K. f. 12.

K. f. 12 ~~f f d 15~~

N. 2. h. 16.

GVILLELMI NEVBRIGENSIS

ANGLI, CANONICI AD

Regulam S. Augustini,

DE REBVS ANGLICIS

suis temporis, libri quinque.

NVNC PRIMVM AVCTIORES XI.

Capitulis hactenus desideratis, & notis IOANNIS PICARDI Bellouaci æquè Canonici ad S. Victoris Parisiensis.

PARISIIS,

Apud CAROLVM SIVESTRE, & DAVIDEM GILLIVM, via Iacobæa, è regione Mathurinorum,

ET

IOANNEM PETIT-PAS, via D. Ioannis Latetanensis in Collegio Cameracensi.

M. DC. X.

Cum Priuilegio Regis.

AD POTENTISSIMVM, ILLVSTRISSIMVMQVE D.D. CAROLVM GONZAGAM & Cleuenſem, Franciæ Patricium, Niuerni Rhetelique Ducem, Mantuanum & Porcianum Principem, nec non Campaniæ Gallicæ Brigiæque Regium Præfectum, &c.

In Guillelmi Neubrigenſis Hiſtoriam, Proloquium I. Picardi.

VEl tandem liceat, quia neceſſe, hunc offerre Auctorem, vt gratiſſimo tuo erga nos animo qualitercũque reſpõdeamus, & beneficiũ priuatũ publica teſtemur gratulatione. Seriùs quidem pro officio, gratiæque collatæ

magnitudine: ita vt vereamur ne nostra χάρις ἀ βραδυπὸς sit ἄχαρις χάρις, quanquam æquissimi rerum æstimatores nihil vnquam duxere, vel dixere serum, si serium. Quàm verò serium, si ex voto Momi fenestrata nobis inessent pectora, etiam talpæ penitius viderent. Interim, si iuuat Angliam renauigare huius historiæ foliis, ceu velis, licet. Quidni? Cum & Princeps Mauricius tibi ex ea aduolanti (redeunti *enim dixisse, tuam minueret celeritatem*) *censuerit inter visenda, veliuolum ostentare currum: qui tamẽ nec te vel ad Gessoriacum Morinorum portum vehat, tantum abest, vt suo perbreui tractu reuehat Douriũ: indeque remigres Londinũ vrbiũ Anglicarũ vrbẽ, quã hoc in libro spectabis non splẽdidis illis, quæ iubẽte serenissima Regina Elisabeta licuit videre, quantũ libuit, insignẽ: sed a conciliis*

a De quibus l. 1 c. 10. 30. & l. 3. c. 1.

habitis, Regibus Stephano, Henrico, II. Ricardique Regis coronatione: l.4.c.1. *ſpumantem noxio Iudæorum perfidorum cruore: turbatam Guillelmi Londinenſis indigenæ factione. At moræ ſatis in Anglia: loci varietas tollat faſtidium, præterquam quod feſtinas ad grauiora, vt luſtratis Zelandię celeberrimis vrbibus applices in Hollãdiam, priſcis, Batauiam: & ſalutato Mauricio Principe, nec non eius germanis, Lugdunum Batauorũ peruenias: Scaligerumque noſtratem, reipublicæ literariæ præcipuum columen & lumen inuiſas. Conduxerit enim plurimum tanti viri aſpectus non iniucundus, ad detergendum, ſi quod haurias, tædium*[b] *ex eiuſdem Hollandiæ inundatione ab Auctore noſtro recenſita vt pote ſuo æuo facta: & certè ſic damnosè, crudeliterque, vt ne ipſis quidem iumentis parcitum. Quid mitius ſperetur de heris, ſcilicet homi-*

[b] De qua l.3.c.1.

nibus, si vel serui innoxij luant capite? Delatus Hollandia Northolandiam, stupuisti insolitos populi mores & fœminę marinę nuper comprehensæ, aliquandiuque cum indigenis versatæ: Cuius haud dispares intueberis in Guillelmi nostri Anglia, pueros toto corpore virides. Daniam tamen appulsus & à Rege perhumano exceptus magnificè: cernes aliud his longè mirabilius, scilicet[d] Nicolaum Brekspearium Anglum, patris Codro pauperioris filium sic prouectum, vt pontificias Albanensis Ecclesiæ meritus infulas, Apostolicus Legatus id obierit regni, paulo pòst Romanus pontifex inaugurandus. Huc vsque pacifica. Magnanimum enimpectus tuum spirans belli verè belli auet castra & hostes illos, cum quibus maiores tui pugnauere gladiis non volsellis: aut, vt pugnaretur, effecerunt: nominatimque S. Bernardi, ęqualis Guillelmus Ni-

cl. 1. c. 27. cui iungãtur notæ.

d de quo l. 2. c. 6.

uernenſis Comes (nulla enim tum Ducis mentio vel titulus) iuſtitiæ ſanctitatiſque nomine celeberrimus in hiſtoriis : qui anno incarnati Chriſti MCXXVIII. *venit ad Trecenſe*[e] *concilium à Mathæo S.R.E. Legato coactum, vnâ cum Archiepiſcopis & cõprouincialibus Remenſis Senonenſisque diœceſeωn, ad præſcribendas leges militibus Templariis: quos Auctor noſter appellat mortis contemptores, & ſuis locis nonnulla eorum fortia denarrat geſta: Sed vbi in actis*[f] *Lateranenſis Concilij , nominatim legi Albigenſes hæreticos, aqua ignique interdictos : venit in mentem*[g] *Odo Niuernenſis Comes anno* MCCIX. *profectus ad eandem hæreſeωn excetram debellandam non Herculis, ſed fidei Catholicæ clauа: vbi expugnatæ Carcaſſonæ regimen oblatum refutauit modeſtè: &, vt Simon Monfortius ſuſciperet obteſtati ſunt ille Duxque*

e Hoc de Concilio lege notas ad epiſt. 395 Bernar. poſter. edit.

f l. 4 c. 24.

g De quo Petr. Vallis Sernaiæ c. 15. & 21. Hiſt. Albig.

Burgundiæ. Hęc quidem in Occidente: Oriens autem longè clarior apparet expeditione Philippi Francorum (qui Petri Comitis Niuernenſis filiam dedit coniugem Herueo à Gierno, & cum ea Comitatum Niuernẽſem, (hinquit *Altiſſiod. Monachus*) *& Ricardi Anglorum Regis: quos inſequebantur Henricus Capanus, Stephanus Bleſẽſis, Rainaldus,* Herueus *Giernius Erixque Niuernenſes Comites, & alij complures Dynaſtæ interpoſitis annis pauculis ad idem bellum accincti: qui licèt pro virili deſudarint, haud tamen coerceri hactenus valuit illis ipſis Orientis finibus ceu rapidus torrens Mahumetes ille Chriſtianiſmi perduellis. Ea de cauſſa plerique Gallorum principum, vt illuſtrem bellis ſuperioribus coronidem imponerẽt: mox Chriſtianæ fidei clypeo pluſquam ſeptemplici muniti ruerunt in idololatras, pulchrãque petierunt per*

b in Chronol. anno, 1199.

i eius mẽtio apud Ioan. Herold. l. 2. Belliſacri c. 2. l. 3. Ioan. Herold.

vulnera mortem: qua & tu, Sereniſſime Princeps, ſtimulatus, ſimulque Hieroſolymitanis maiorum præliis excitatus acriùs, quàm Themiſtocles Miltiadis trophæis, peruenisti tandẽ Viennam Auſtriacam, ſalutaſti Mathiam Archiducem Imperatoris Germanum, & comparatis militiæ neceſſariis, ocyor Euro te applicaſti ad Toparcham Ruſſeuormium caſtrorum præfectum: à quo fuiſti honorificè in conſilium aſſumptus, agnituſque velut ab Vliſſe, alter Achilles, excelſi animi ardore: quem mox explicuiſti, certior factus de duobus Turcarum millibus ſtationem agentibus intra ſecundum ab exercitu Chriſtiano milliarium: illos haud minùs prudenter quàm feliciter inducens ſyluæ, vt guſtarent de inſidiatoribus. Cùmque Polemarcha reſciſſet Peſto conſulẽdum: haud mora copias immittit militares. Tu verò ſimul ruis inter confertas acies ac ad

Hæc & inſequentia ex itinerario eiuſdẽ Ducis edito Viẽnæ Auſtriacæ.

Comitem Martinengum faucibus gladiorum eruendum: at ſenſiſti priùs, quàm videris occũbentem. Pugnis ſingulis aderas propugnator oppugnatorque, &

Nulla dies aberat, quin linea ducta ſuperſſet

hoſtium depicta cruore, tuique enſis cuſpide velut penicillo expreſſa. Cæteris tamen diebus præclarior ille, quo Præfectus Caſtrenſis, hybernorum prouidus incommodorũ indixerat tẽpus oppugnandi ſuperiorem Budæ vrbis regionem. Ruina muri licet angustiore facta, datur ſignum ad pugnã: à qua nullius precibus reuocari potuiſti, arbitrans deiectos militum animos exemplo tuæ magnanimitatis erigendos. Quod perquam neceſſarium fuerit, teſtabatur iter ad murum, cadaueribus ſaburratum, vulneratorum ſtagnans cruore, moribundorum perſonãs ſuſpiriis, plumbeis perſperſum glandi-

bus, quarum vna cæteris audacior & cæcior, te conſtanti gradientem paſſu ad murum diſiectum, in læuo percutiens latere, penetrauit thoracem, proximè cor & pulmonem: Sic tamen diuinitus illapſa, vt ne vitalia quidem attigerit, ſed ad inferiora ſenſim delapſa ſteterit vno ab exitu ſemidigito: vnde inciſionem dorſo factam poſtulãs ſimul dedit tam ſtupendũ tuæ patientiæ exemplum, vt nec Marius Ruſticanus, qui ſe vetuerat ligari dum ſecaretur: nec Anaxarchus, quum in pila lapidea tunderetur, inuitans contuſorem: nec Ioannes Aragonię Rex candens chirũrgi ferrum tam cõſtanter paſſus, vt ſupra quam oportebat vrereretur, te ſuperiores aut debeãt aut poſsint prædicari. Hiſce verò nec otioſè iungendum duxerim tuum cedro digniſsimum reſponſum ad eos qui te monebant de fluuio ſanguinis ex vulnere manante: Sat, *dixiſti*, mihi

adhuc sanguinis in eius bello, qui pro nostra reparatione vel nouissimam profudit stillã. *Sic feruebat in exangui pene corpore sanguis Christi: Sic*

Horat.l.4 Car. Ode 4.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sic animabant recentia Ludouici carissimi genitoris vulnera inflicta à Protestantibus: quos vt Matiscone expulit, de puerperio coniugis amantissimæ certior factus, Niuernum contendit. Idque cum fama volans Protestantibus vel mage Detestantibus indicasset: vltionis via disquisita est fraudulenta, vt quem virtute non poterant, dolo perimerent. Longè tamen aliter cecidit: Ludouicus enim licèt valdè impar & quadraginta tantùm stipatus nobilibus, irruit in hostes tam

animosè, vt coegerit Euro velociores, quasi vulpes in antrum Antrani fugere. Cuius victoriæ testis perstitit vulnus inflictum explosione sclopeti. Nostri verò animi tibi deuotissimi si hæc historia, quasi perpetuus arrhabo tuis obuersetur oculis, & aliquando teratur manibus: aut, si iuuat, quanti Ilias Homeri ab Alexandro Magno, vel Pędia Cyri à Scipione Africano, tanti fiat à te: exultabimus de beneficio pulchrè fœnerato. Momentosa tamen si negotia inuideant, non inuidebimus, quin saltem gloriabimur de recepto nostro tuis manibus munusculo.

AVCTORIS VITA, CONscriptore Ioanne Picardo Bellouaco, Canonico ad S. Victoris Parisiensis.

GVILLELMI noſtri ſcripturus vitam: benignè præmonitum velim exoratumque lectorem, ne fucum ſibi factum cauſetur, quòd catenatam ſingularium narrationem non compoſuerim. Collacteorum, æquæuorum, vel contubernalium debita faciliſque fuerit hæc opera: noſtra verò, inter legendam eius hiſtoriam animaduerſa, diſtinctè ordinatimque diſponere. In quibus cum deſignaro patriam, natiuitatis annum, pueritiæ, & virilis ætatis exactæ modum: reor me facturum ſatis & muneri & pollicitationi.

Nordhumbria, Septentrionalis pars Angliæ: regnique dum eptarchia regeretur, inclyta titulo, fuit natale ſolum Guillelmi[a] in prouincia Deirorum an-

[a] l. 1. c. 38.

no Christi MCXXXVI. (neque enim postremum anni MCXXXV. mensem digner nomine anni, quo Henricus I. decessit) Stephani [b] Regis Anglorum, primo. Bonis autem malisue parentibus num ortus: licèt nec ipse subindicarit, datur tamen nosse, vt S. Basil. S. Gregorij Nazianzeni literas videlicet: ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐπιφαινομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος πρὸς τοὺς τεκόντας. Quam quidem similitudinem exprimemus, suisque distinguemus locis, inhærentes vestigiis naturæ, quæ sua sensim expolit, & imperfecta, tandem omnibus absoluit numeris.

[b] *ex fine præmij ad hos libros.*

Guillelmus igitur vt pueritiam, iniit & laudabili parentum cura, Neuburgēse coenobium: quò ex eodem fōte simul hauriret saluberrimas sanctimoniæ & eruditionis aquas. Hinc ei postea cognomentum Neuburgensis, non Neubrigensis, vt hactenus falsò prætulere libris excusi; quod tamen placuit relinquere ne mutata facies alterum hominem suaderet. Auctor verò ita: [c] *Bellelanda vno tantum milliario distat à Neuburgensi ecclesia, quæ me in Christo à puero aluit.* His accedit Anglicani Codicis mē-

[c] l. 1. c. 15.

branei elogium istiusmodi : *Chronica Vaillelmi de Nouoburgo*, & Ioānes Baleus Anglus centuria III. Scriptorum Angliæ & xiii. in introductione pro formanda historia, cognominans Guillelmum, Nouoburgensem: voce quidem commodiori, semilatina tamen. Quod enim apud Vegetium legimus, Burgū: non Vegetio, sed imperitæ plebi, Lector peritus dabit. Guillelmo tandem nostro maneat cognomen Neuburgēsis vel Nouoburgensis à cœnobio condito Nouoburgi in diœcesi Eboracensi, pietate sumptibusque viri nobilis Rogerij Mulbraij Galli, oppidulo Gornaco ad Bellouacorum Normanorumque confinia oriundi. Agnomini verò fuisse Paruum vel Petite, auctorem habeo Ioannem Baleum. Guillelmus igitur Nouoburgi educatus puer, doctusque ea, propter quæ discenda,

d l. 4. c. 10.

Pueris dant crustula blandi Doctores,

sic Latinæ studuit linguæ, vt vix in eo deprehendas micam stribiliginis: qua plerique contemporanei scatent scriptores. Paulò pòst egressus pueritiā, suique seculi exhorrescens corruptos mores: canonicam victurus vitam, iura-

uit

uit in verba Augustinianæ regulæ. Hinc mox ad S. Patris Augustini sese componens exemplum diuinis incubuit paginis: easque tandem improbo labore ita præ manibus habuit, vt passim lepideque ad rem suam verteret. Dicti mei sũt testes locupletissimi, crebertimç earundem notæ, in hac historia desideratæ hactenus, licèt forsan perneceſſariæ ad inhibendam aliquot delicatulorum nauseam: qui vt delibarunt quiddam minus Ciceronianum, tumidis expuunt buccis. Eam verò sanctarum literarum scientiam vel cæcis indicarent sermones ab eo quidem relicti: sed ab impiis trucibusque blattis, aut sectariis Anglis crudeliter depasti. Hac eruditionis fama, percrebescebat nomen Guillelmi, potissimè in Eboracensi tractu. Vnde Rogerus Bellelandensis abba tam improbè cum illo egit, vt Cantica Canticorum (quod volumen, iudicio [e] S. Hieronimi quãtò breuius, tanto difficilius) susceperit explicanda. Interim, varia memoriæque non indigna gerebantur in Anglia, Scotia, Hybernia, Gallia, quin & in Oriente. Æbredus Rieuallensis Archimandrita volens po-

[e] ad cap. 1. Agg.

ſteris conſultum : epiſtola ad Guillelmum data, vt hæc in hiſtoriam conferret, monuit. Paruit, ſed quam modeſtè, patet ex reſponſo : quàm veraciter, ex ipſa hiſtoria. Vniuerſa enim aut ſuis, aut alienis vidit oculis, aut à viris fide dignis accepit : qualia ſunt *f* de ſepultura Guillelmi nothi : de g Thoma Eboracenſi, Eudone, Vuimundo Epiſcopo, pueris viridibus, vaſculo mirabili, Guillelmo Trẽcheuello : Godrico, Ketello : Henrico II. Anglorum Rege ad Sepulchrum S. Thomæ Cantuarienſis inſigniter publiceque abiecto & cæteris, quos aduertet vigilans Lector. Horum autem nonnullos ſi viderat illaudatis expreſſos coloribus nempe Gerardum Eboracenſem, Hugonem Ceſtrẽſem, Rogerum Saleſberienſem, Alexandrum & Galterium Lincolnienſem tandemque Rotomagenſem, & Guillelmum à longo campo Elienſem, præſules, nec non profanos dynaſtas : Si inquam videat deformatos : eodem vultu, iiſdemque contueatur oculis, memor Strabonis l. 1. Geographiæ aſſerentis ἱστορίας ἀλήθειαν εἶναι τέλος ; quem tamen cõſtitutum finem excedet, imò non accedet reiiciens hiſtoriam,

f l. 1. c. 1. g *Ibid.* c. III. c. xix. c. xxiii cc.

clericorum Regumque probris perſperſam: quaſi verò nec illi, nec hi fuerint homines: vitaque impurior diuinas eorum attingat infulas (vtroſque enim Deos vocari etiam ſacris in chartis nemo non ſcit) & cœleſtem ſoluat maieſtatem. Sic, inquies, huc alliduntur quorundam carinæ, vt ex naufragio ne tabula quidem ſuperſit, fateor, quia nec integræ fidei anchora fundatę fuerant: nec diuino, ſed humano afflatæ ſpiritu, merito ad varias hæreſeωn alliduntur rupeculas. Baſilius Macedo Imperator non hiſtoriæ tribuit huius caſus originem c. lvii. exhortationum, ad filium Leonem cognomento Philoſophum, commendans hiſtoriæ ſtudium his verbis: ἱστορίας ἀρχαίας cc. Euoluere ne vnquam ceſſes hiſtorias antiquas: ibi enim reperies ſine labore, quæ alij magno cũ labore congeſſerunt: atque inde bonorum virtutes, & improborum vitia cognoſces, vt vitę humanæ varias mutationes, & rerum cõuerſiones: mundi huius inſtabilitatem, & imperij ad cadendum pronitatem diſces. Breuiter malefactorum pœnas & bonorum præmia leges: quorum illa fugies, ne vltionis, quæ inde

sequitur, seueritatem patiaris: hæc autem amplecteris, vt præmia, quæ ex eis manant, consequi merearis.

Si quid igitur prauum in historiam legas relatum: non historiæ dederis, sed prauitati hominum, qui tam impudenter peccarũt, vt omnem dedecoris perpetui depoſuerint metum: ſuamque impudentiam ad posteros transmitti, nec piguerit, nec puduerit, nec pœnituerit.

Qui consulunt abstinendum hodie ab euulgatione librorum alicubi referentium sordes Clericorum, ne infirmis noceant, & ad Caluinismum sternant iter: laudandi certè, quia maternæ gloriæ studiosi: Laudabiliores, si id tantùm educeret huiuscemodi perfidos transfugas, quin potius gygantea eorum superbia. Quicquid enim cogitant aut loquuntur, superbia est.

Reuertor ad Guillelmum nostrum: qui vbi acerbum quiddam, & ad humanæ rationis lances iniustum narrauit: mox, ne lectoris iudicium, futiles parũque Christianæ ratiocinationes occupent, educit Theologiæ pene, considerata responsa, & fidelium mentibus percommoda: quæ licet legere l. 4. c. 13. &

30. & alibi, huius operis: Quod quidem, lector, quia nunc habes auctius variis colis, periodis, & vndecim capitulis hactenus desideratis: D. Rumetio in Senatu Parisiensi Aduocato gratias age: imò si potis es refer. Perhumanè commodauit vetus exemplar, cuiuspiam Anglosaxonis descriptum manu: quam testantur passim carachteres Saxonici admixti Latinis. De cœteris tandem lucubrationibus, hacque historia accipe testimonium Ioannis Balei Angli, centuria III. Catalogi Scriptorum Britanniæ, sic omnino scribentis.

Guillelmus Petyte vel Paruus, Bridlingtone in terra Eboracensi natus, Nouoburgensis monasterij propè Syluam cuculinam Canonicus Regularis ac doctor Theologus fuit. Is humanis iuxta ac diuinis studiis tantopere adhærebat, vt nullam ferè horam rectè collocatam putaret, nisi in doctorum librorum lectione. Is quidem à Lelando reprehensus fuit, quòd Britannicarum ignarus antiquitatum cum Galfrido Monumetensi tam acerbè decertarit in præmio suorum Chronicorum. Erat tamen Guillelmus, inquit Lelandus, vir sua ęta-

te, rerum temporibus recentioribus gestarum non ignarus: sed multò in scripturarum interpretatione, vt ex eius facilè apparet libris, fœlicior. Scripsit enim ab Anno Domini MLXVI. ad Annũ MCXCVII. stilo satis nitido historiam de gestis Anglorum libros quinque: *Historiam gentis nostræ.* De Anglorum Regibus l. II. *Primùm ostendenda est origo causæ.* In Cantica Canticorum l. I. *Crebra petitionis tuæ.* Commentarios alios l. I. Sermones eruditos l. I. Rogero abbati Bellelandensi dicauit opus suum in Cantica Canticorum. Claruit anno MCC. rursusque ad finem centuriæ decimæ tertiæ, in introductione pro formanda Historia. G. Guillelmus Nouoburgensis, aliàs Petitus Canonicus Regularis scripsit Historiam de gestis Anglorum in quinque libris à Guillelmo Notho vsque ad Annum Domini MCXCVIII. Huc vsque vita Guillelmi ad Annum ætatis eius LXII. perducta: num longiùs producta, quia nusquam apparuit, diligentiori disquirendum relinquo. Sed & quia tantum vitam sum pollicitus: inique alter postulet aut diem, aut annum mortis.

INDEX CAPITVM.

Capita libri Primi.

1. DE Guillelmo Notho, primo ex Normannis Rege Anglorum, pag. 1.
2. De Guillelmo Rufo secundo ex Normãnis Rege Anglorũ, & de expeditione Ierosolymitana. 6.
3. De Henrico tertio ex Normannis Rege Anglorum, & de iis, quæ sub eius regno contigerunt. 10.
4. Quomodo Stephanus contra iusiurandum inuasit in regnum Anglorum. 17.
5. Quomodo Stephanus fausta habuerit regni principia. 20.
6. De Rogerio Salesbirienſi, & Alexandro Lincolnienſi Epiſcopis, & quomodo capti ſunt à Rege Stephano. 22.
7. Quomodo Stephanus regiam auctoritatem amiſerit cum Normannia. 27.
8. Quomodo Rex Stephanus captus eſt in bello apud Lincolniam. 29.
9. Quomodo Rex Stephanus liberatus eſt per captionem Comitis Glouceſtrenſis. 31.
10. Quomodo Imperatrix fugit de Oxenefordia, & de Concilio Lundonienſi. 33.
11. De vita ſcelerata, & morte condigna Gaufridi de

magna Villa.35.
12. *De Roberto Marmium & eius interitu.* 40.
13. *De variis casibus Regis Stephani.* 42.
14. *De Trustino Eboracensi Archiepiscopo, & origine Rievallis & Fontium.*44.
15. *De origine Bellelandæ.*47.
16. *De Gilleberto de Sempringham, & ordine quem instituit.*50.
17. *Quomodo Guillelmus Eboracensis electus non accepto pallio depositus sit.*53.
18. *De causa expeditionis Jerosolymitanæ secundæ.* 55.
19. *De errore Eudonis de Stella, et quomodo periit*60.
20. *Quomodo Conradus Imperator & Rex Lodouicus exercitum duxerunt in orientem.* 66.
21. *De Raimundo Principe Antiocheno, & captione Ascalonis.*69.
22. *De intestinis malis Angliæ sub Rege Stephano*72.
23. *De Rege Scottorum Dauid, & filio eius, & filiis filij eius.*75.
24. *De Uuimundo Episcopo, & quomodo occæcatus fuerit.*78.
25. *De Malcolino Christianissimo Rege Scottorum.* 83.
26. *De institutione Hugonis Dunelmensis Episcopi, & restitutione Guillelmi Eboracensis, & de morte eius.*86.
27. *De viridibus pueris.*92.
28. *De quibusdam prodigiis.*95.
29. *De successibus Henrici secundi in Anglia tempore Ducatus sui.*100.
30. *De concordia inter Regem Stephanum, & Ducem Henricum celebrata,*103.

31. *De diuortio inter Regem Francorum & vxorem eius celebrato, & quomodo ipsa nupserit futuro Regi Anglorum.* 107.
32. *De concilio Lundoniesi, & morte Regis Stephani.* 110.

CAPITA LIBRI II.

1. *De primordijs regni Henrici secundi.* 113.
2. *Quomodo Rex* Henricus *secundus dominia regia ad pristinum reuocauit statum.* 116.
3. *De situ Castelli de Scarcheburch.* 117.
4. *De obsidione & deditione Brigiæ, & quomodo Rex Scottorum reddidit Regi Anglorum Aquilonares Angliæ parteis.* 119.
5. *De bello Vualensium, & quomodo in gratiam Regis redierint.* 121.
6. *Quomodo Nicolaus Anglicus factus est Papa Romanus.* 125.
7. *De qua causa Gaufridus frater Regis desciuit ab ipso, & quomodo reconciliatus sit.* 129.
8. *De subuersione Mtdiolani, & Magorum reliquiæ.* 133.
9. *De schismate Romanæ Ecclesiæ, & Papiensi concilio, & conuentu Gallicano.* 136.
10. *De expeditione Tolosana, & de illustri Comite Bartinonensi.* 141.
11. *De horrenda interfectione Guillelmi Trencheueil, & vltione eius.* 147.
12. *Quomodo Reges, Francorum scilicet & Anglorum dissidentes pacificati sunt,* 153.
13. *De hæreticis Angliam ingressis, & quomodo exterminati sunt iusto Dei iudicio.* 155.
14. *De Concilio Turone celebrato ab* Alexandro *Papa* 160.

15. *Decreta Turonensis Concilij.*161.
16. *De ira Regis in venerabilem Thomam Cantuarien-*
*sem Archiepiscopum.*168.
17. *De morte Octauiani, & de reditu venerabilis*
*Papæ Alexandri in Italiam,*174.
18. *De secunda expeditione Vualensi, & de adquisi-*
*tione Britanniæ.*177.
19. *De transitu piissimi Regis Scottorum Malcolini.*
180.
20. *De vita & morte venerabilis Godrici.*182.
21. *De quodam Ketello, & gratia diuinitus illi col-*
*lata.*186.
22. *De diutina vacatione Ecclesiæ Lincolniensis.*192.
23. *De duabus expeditionibus Regis Ierosolymitani*
in Ægyptum. 193.
24. *De discordia & reconciliatione Regum Fran-*
*corum & Anglorum.*198.
25. *De coronatione Henrici tertij, & interfectione*
*Thomæ.*200.
26. *De expugnatione Hybernienſiũ ab Anglis* 209.
27. *Quomodo Henricus tertius recessit a patre, &*
commouit eum contra Regem Franciæ. 215.
28. *Qualia contigêrunt apud Albemarlam & Ca-*
*stellum nouum, & Vernullium,*219.
29. *De his qui capti sunt apud Dolum.* 224.
30. *De obsidione Licestriæ, & Guerra Regis Scotto-*
rum captione Comitis Licestrensis 226.
31. *De Dauid Scotto & quibusdam alijs qui à Rege.*
defecerunt. 229.
32. *De aduentu Regis in Angliam & qualis Scotti*
fecerunt.
33. *De captione Regis Scottorum.*234.
34. *Qualia in exercitu & Regis terra Scottorum, eo*

capto prouenerunt, 238.

35. *De humilitate Regis Anglorum, & de eo quod consequutum est* 240.

36. *De obsidione Rothomagi, & dolosa oppugnatione obsidentium*, 244.

37. *Quomodo Rex Anglorum pacificauit Angliam & liberauit Rothomagum*, 249.

38. *De concordia Regum, & pace regnorum*, 252.

CAPITA LIBRI III.

1. *DE Lundonienſi Concilio, & contentione Archiepiſcoporum, & inundatione Hoilandiæ*. 256.

2. *De reconciliatione domini Papæ & Imperatoris*. 259.

3. *Decreta Lateranenſis Concilij*. 261.

4. *De morte Regis Francorum, & iis quæ apud Conſtantinopolim contigerunt*, 279.

5. *De mutatione monetæ publicæ, & deceſſu Rogerij Eboracenſis Archiepiſcopi*. 282.

6. *De Sueroe tyranno Norvvegiæ*, 286.

7. *De morte Regis Henrici* III. *& Gaufridi fratris eius*, 293.

8. *De morte Cantuarienſis Archiepiſcepi, & inſtitutione Lincolnienſis*, 297.

9. *De expeditione contra* Rollandum, *& quibuſdã euentis Hyberniæ*, 299.

10. *De aduentu* Patriarchæ *in* Angliam, *& morte Regis Jeroſolymorum, & regno filij eius, & de* Saladino. 305.

11. *Quomodo victus* Saladinus *a* Chriſtianis, *& quomodo poſtea prævaluit*. 307.

12. *De cauſa aduentus* Patriarchæ *in* Angliam *&*

Epistola Lucij Papæ ad Anglorum Regem, 311.
13. *Quomodo* Patriarcha *infecto negotio repatriauit.* 316.
14. *De discordia Regum atque Inducijs.* 317.
15. *De prærogatiua terræ Ierosolymitanæ propter quã totiens deuorat habitatores suos.* 319.
16. *De Guidone* Rege *Ierosolymorum*, 328.
17. *De prælio, quo exercitus periit Christianorum, & captus est Rex cum Sancta cruce*, 331.
18. *Quomodo Saladinus occupauit terram promissionis cum sancta ciuitate.* 335.
19. *Quomodo Conradus Marchio munuit Tyrum, & de interitu Comitis Tripolitani* 339.
20. *De obsidione Tyri, et reditu Regis et captione* 342.
21. *De morte Vrbani Papæ, & institutione Gregorij.* 345.
22. *De transitu Gregorij Papæ.* 353.
23. *Quomodo* Reges *crucem acceperunt cum plurimis nobilibus. item. Statuta Regum in susceptione crucis.* 354. & 357.
24. *De exactione decimarum, & quomodo* Imperator *cum suis crucem accepit.* 360.
25. *De rupto fœdere à* Rege *Francorum, & consecuta morte Regis Anglorum*, 362.
26. *De moribus* Regis *Henrici* 368.
27. *De laboriosa & morosa obsidione Acræ.* 374.
28. *De morte Guillelmi* Regis *Siciliæ, & de malis quæ per illam contigerunt* 376.

CAPITA LIBRI IIII.

1. *De Primordiis Regis* Richardi, *& de his quæ in eius coronatione contigerunt*, 379.
2. *De ordinatione vacantium ecclesiarum post coronationem Regis* Richardi, 388.
3. *De affectu* Regis *ad* Ioannem *fratrem eius.* 390.
4. *Quis successerit* Ranulpho *de Glanuilla in procuratione regni*, 391.
5. *Quæ fecit Rex in Anglia antequam transfretaret*, 393.
6. *De quodam prodigio, quod eo tempore in aëre visum est*, 398.
7. *Quid actum sit contra insolentiam Iudæorũ apud Linnam*, 400.
8. *Quid actum sit contra Iudæos apud Stanfordiam, & de quadam superstitione populi.* 403.
9. *Quæ acta sunt contra Iudæos Lincolniæ & Eboraci*, 406.
10. *De exitio Iudæorum apud* Eboracum 413.
11. *De ira Regis in interfectores Iudæorum.* 421.
12. *Quomodo Reges venerunt in Siciliam: & quomodo Rex Anglorum expugnauit Messanam*, 423.
13. *De expeditione Teutonica, & morte Imperatoris.* 426.
14. *De insolentia & fastu Cancellarij post Regis profectionem*, 433.
15. *Quare Rex Rothomagensem Archiepiscopum de Sicilia miserit in Angliam* 441.

16. *Qua occasione Joannes frater Regis restiterit Cãcellario.*443.
17. *De captione Eboracensis* Archiepiscopi, *& expulsione Cancellarij,* 446.
18. *De ordinatione regni post repulsionem Cancellarij, & molitionibus eius irritis,* 453.
19. *De processu Regum à Sicilia, & impedimentis Christiani exercitus apud Acram* 457.
20. *Quomodo Rex Anglorũ adquisiuit Cyprũ,* 462.
21. *Quibus de causis Reges cœperunt dissidere apud Acram,* 466.
22. *De expugnatione Acræ, & præmaturo discessu Regis Francorum,* 471.
23. *Quæ acta sint a nostris in Syria post discessum Regis Francorum,* 476.
24. *Quomodo Conradus Marchio à sicarijs interfectus est* 482.
25. *Quomodo Rex Francorum necem Marchionis refudit in Regem* Anglorum, *& de conuentu Parisiacensi,* 485.
26. *Quomodo Rex Francorum duxit sororem Regis* Danorum, *& quomodo repudiauit eam.* 488.
27. *Quomodo Eboracensis Archiepiscopus præcipitauit sententiam excommunicationis in Episcopum* Dunelmensem. 492.
28. *Cur minus actum sit à nostris in Oriente, & de reparatione peregrinorum,* 495.
29. *Quomodo Rex Anglorum liberauit Ioppem, & de induciis Christianorum & Turcorum,* 500.
30. *Quod Deo disponente plus actum sit illa expeditione pro superna quàm terrena Ierusalem, & de morte Saladini,* 504.
31. *Quomodo Rex Anglorum naufragium passus, & captus est a Duce Austriæ.* 508.

31. Quomodo Rex Francorum delusus à filio Ducis Saxoniæ speratis nuptiis caruit, 511.
33. Quomodo Rex Anglorum per Ducem Austriæ venit in custodiam Imperatoris. 513.
34. Quomodo Rex Francorum inuasit Normanniam, & quomodo Ioannes turbauit Angliam. 519.
35. Quomodo Hubertus Salesbirienſis Episcopus factus est Archiepiscopus Cantuarienſis, & de Ecclesia contradictionis. 522.
36. Quomodo Hugo Cestrenſis Episcopus destruxit monasterium Conuentrense. 542.
37. De nece Leodienſis Episcopi, cuius occasione pæne periclitatus est Rex Anglorum, 525.
38. Quomodo afflicta sit Anglia per captiuitatem Regiam, 528.
39. De prodigio ruboris insoliti, ter in aere diuersis temporibus apparentis, 531.
40. Quomodo Francorum Rex, cum non posset impedire liberationem Regis Anglorum, iterum inuasit Normaniam. 533.
41. Quomodo Rex Anglorum de captiuitate relaxatus applicuit in Anglia. 536.
42. Quomodo Rex pacificato regno Vvintoniæ coronatus est, 538.

CAPITA LIBRI QVINTI.

1. QVæ acta sunt à Rege Angliæ, postliminio reuerso antequam transfretaret in Normanniam. 547.
2. Quæ acta sint inter Regem Anglorum, & inimicos eius postquam transfretauit, 551.

3. De induciis inter Reges factis, & pace prouinciarum præterquam ab Exactoribus regiis, 555.
4. Quomodo Tyronum exercitia tempore Regis Richardi esse in Anglia cœperunt. 558.
5. De reditu Ioannis ad fratrem, 560.
6. De Stephano procuratore Andegauensi deluso a Demone, 562.
7. De occasu Regni Normanici in Sicilia 566.
8. De horrenda morte Ducis Austriæ, 572.
9. Quid Dei ordinatione euenerit in pago Cenomannensi, ad coronationem Regis, 576.
10. De morte Hugonis Dunelmensis Episcopi, 580.
11. De tribus spuriis eiusdem Episcopi, & quis ei successerit, 586.
12. Quomodo Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus in Eboracensi ecclesia nomine Legati celebrauit Concilium, & de lite, quæ vertitur inter Cantuariensem & Eboracensem de prioratu, 598.
13. De exercitu Saracenorum, qui ex Aphrica Hispanias intrauit, 593.
14. De Mahometo Pseudopropheta, & de lege quam per se spiritus erroris introduxit, & quomodo eadem lex plurimas gentes infecit, 597.
15. De reditiuo post expletionem inducarum bello Regum nostrorum, 610.
16. Quomodo Rex Anglorum de nece Marchionis purgatus sit per litteras senis Montani. 613.
17. De bellico post inducias motu Regũ, & quomodo apud Isondunum fœdus inierunt, 607.
18. Quomodo Principes fœdus initum declararunt, quod diu steterit, & de motu Britannico, 621.
19. De improuisa morte Abbatis Cadomensis in Angliam missi. 624.
20. De

20. De coniuratione Lundoniis facta per quendam Guillelmum, & quomodo idem pœnas audaciæ suæ luit. 626.
21. Quomodo vulgus voluerit hominem illum tanquam martyrem honorare, & quomodo error iste extinctus sit, 634.
22. De prodigio mortui post sepulturam, 637.
23. De re consimili, quæ accidit apud Bereuik, 640.
24. De signo quod visum est in cœlo, 651.
25. De fame & peste per Angliam, 654.
26. Quomodo Alemanni secundò signum Dominicũ susceperunt, 656.
27. De dissensione Regis Richardi, & Rothomagensis Archiepiscopi, 659.
28. De morte Heliensis Episcopi. 662.
29. Quomodo finitum est bellum Britannicum quadragenarium, 665.
30. De captiuatione Episcopi Beluacensis, 667.
31. De defectione quorundam à Rege Francorum, & qua occasione inducię factæ sunt inter ipsum & Regem Anglorum, 671.
32. De re prodigiosa quæ accidit apud Maltone, 674.
33. De concordia Regis Richardi & Rotomagensis Archiepiscopi, & de quodam prodigio, 677.

Mendas aliquot in Auctoris vitam illapsas sic emendato.

Pag. 1. literæ, e : *videret l. videat.*
pag. 2. literæ, ee lin. antep. *pene l. penu.*
pag. 1. e. 3. lin. antep. *prœmio, l. proemio*

[a]GVLIELMI NEVBRIGENSIS AD E. ABBATEM

[a] Carebat mss. hac petitulatione, vide notata.

Rieuallis epistolá, qua instituti sui rationem persequitur.

AMantissimo patri domino E. Abbati Rieuallis, suus G. seruorũ Christi minimus, *cum apparuerit Princeps pastorum, immarcessibilem percipere gloriæ coronam.* Litteras sanctitatis vestræ susceпi, quibus mihi studium & [b] operam rerum memorabilium, quæ nostris temporibus copiosius prouenerũt, ad notitiam cautelamque posterorum conscribẽdarum dignatur ingerere: cum ex illo venerabili filiorum vestrorum collegio plures vobis suppetant,

[b] al. opera

qui hoc opus commodiùs valeãt atque elegantiùs adimplere.

Sed vt video, pia prudẽtia veſtra propriis filiis circa obſeruantiam militiæ regularis ſudantibus in hac parte ducens parcendum: indultum miſericorditer infirmitati meæ ocium non patitur eſſe ocioſum. Et quidem veſtræ circa me dignationi tanta ſum deuotione aſtrictus: vt etiam, ſi fortiora iubeatis, non audeam [c] continere. Nunc autem cum tanta diſcretio veſtra non altis ſcrutandis, myſticiſque rimandis inſiſtere, ſed in narrationib[9] [d] hiſtoriatis pręcipiat ſpatiari ad tempus, tanquam pro quadam (ex facilitate operis) recreatione ingenii; tantò magis excuſandi mihi occaſio tollitur. Itaque in adiutorio Dei & Domini noſtri, in cuius manu ſumus nos & ſermones noſtri, fretus oratio-

c *v.c.* contraire & *nō fallor melius.*

d *v.c. ms.* *hiſtoricis.*

nibus veſtris, & ſanctorum filiorum veſtrorum, qui præcepto ſanctitatis veſtræ [c] non contemnendas preces dignati ſunt ſociare, opus iniunctum aggrediar, pauca ſanè, quæ ad rem pertinent, ante hiſtoriæ ingreſsum prælibans.

[c] Suas *in mss. erat addidum.*

EIVSDEM GVILLELMI NEVBRIGENSIS PROEMIUM in sequentem historiam.

HIstoriam [a] gentis nostræ, id est, Anglorum, venerabilis presbyter & monachus Beda conscripsit. [b] Qui nimirum præsumpto altiùs exordio, vt ad id quod specialiter intendebat, competentiùs accederet: etiam Britonum, qui nostræ insulæ primi incolæ fuisse noscuntur, celebriora subtili [c] grauitate gesta perstrinxit. Habuit [d] gens Britonum ante nostrum Bedam proprium historiographum Gildã, quod & Beda testatur, quædam eius verba suis litteris [e] inserens: sicut ipse probaui, cum ante annos aliquot in eiusdem Gildæ librum legendum incidissem. Cum enim sermone sit admodum impolitus atque insipidus: paucis eum vel transcribere vel habere curantibus, rarò inuenitur. Integritatis tamen eius non

[a] desunt hæ tres voc. in ms.

[b] c. v.

[c] ms. breui tate.

[d] autem in ms.

[e] l. 1. histor Anglo. c. 21.

leue documentum est, quia in veritate promẽda propriæ genti non parcit, & cum admodum parcè bona de suis loquatur, multa in eis mala deplorat, nec veretur, vt verum non taceat, Brito de Britonibus scribere, quod nec in bello fortes fuerint, nec in pace fideles. At contrà quidam nostris temporibus pro expiandis his Britonum maculis scriptor emersit, ridicula de eisdem figmenta contexens, eosque longè supra virtutem Macedonũ & Romanorum impudenti vanitate attollẽs. Gaufridus hic dictus est, agnomen habẽs Arturi: pro eo quod fabulas de Arturo ex priscis Britonum figmentis sumptas, & ex proprio auctas per superductum Latini sermonis colorẽ honesto historiæ nomine palliauit: qui etiam maiori ausu, cuiusdam Merlini diuinationes fallaciſsimas, quibus vtique de proprio plurimum adiecit, dum eas in Latinum transfunderet, tanquam autenticas, & immobili veritate subnixas prophetias vulgauit. Et hunc quidem Merlinum patre incubo dæmone ex fœmina natum fabulatur: cui propterea tanquam patris sancti [a] filio excellentiſsimam atque latiſsimam tribuit præscientiam futurorum: cum profectò & veris rationibus & sacris litteris doceamur, dæmones à luce Dei secluſos futura nequaquam contẽplando præ-

Vide Notas.

a aberat ex mss.

ſcire: ſed quoſdam euentus futuros ex ſignis ſibi quàm nobis notioribus, conijciendo magis quàm cognoſcendo colligere. Denique in ſuis quamuis ſubtilioribus coniecturis ſæpe falluntur, & fallunt: cum tamen per diuinationum præſtigia apud imperitos, quam vtique non habent, præſcientiam ſibi arrogent futurorum. Sanè diuinationum Merlini perſpicua fallacia eſt in his quæ in regno Anglorum contigiſſe noſcuntur poſt mortem prænominati Gaufridi: qui diuinationum illarum nænias ex Britannico tranſtulit: quibus, vt non fruſtra credatur, ex proprio figmento multum adiecit. Porro ad ea, quæ vel ante ipſum, vel in diebus eius euenerunt, taliter ſua, quod vtique facilè poterat, temperauit figmẽta: vt congruam poſſent interpretationem recipere. Præterea in libro ſuo, quem Britonum hiſtoriam vocat, quàm petulanter & impudenter ferè per omnia mentiatur, nemo niſi veterum hiſtoriarum ignarus, cum in librum illum [a] incidit, ambigere ſinitur. Nam, qui rerum veritatẽ non didicit, fabularum vanitatem indiſcretè admittit. Omitto quanta de geſtis Britonum ante Iulij Cæſaris imperium [b] & adiẽtum homo ille confinxerit, vel ab aliis conficta, tanquam autentica ſcripſerit. Omitto quæcunque in laudibus Britonũ

a adl. incideriit.

b deeſt in ms.

contra fidem historicæ veritatis delirauit, à tempore Iulij Cæsaris sub quo Britones ditionis Romanæ esse cœperunt, vsque ad tempus Honorij Imperatoris : sub quo Romani à Britannia propter vrgentiora Reipub. negotia sponte recesserunt. Certè Britones, Romanis recedentibus sui iuris effecti : imò ad suam perniciẽ sibi relicti, Pictisque & Scottis ad prædam expositi : Regem Vortegirnum habuisse leguntur, à quo ad tuitionem regni [a] *Saxones vel Angli Duce Hengisto in Britanniam venerunt, irruptiones barbaricas pro tempore depulerunt, postea verò explorata insulæ fertilitate, & indigenarum inertia rupto fœdere in ipsos, à quibus fuerant inuitati, arma verterunt: quibus paulatim profligatis, miseras eorum reliquias, quæ nunc Valenses vocantur, in inuiis montibus & saltibus coartarunt. Habueruntque per seriem successionis reges fortissimos, & latè dominantes, è quibus fuére Echelbertus, Hengisti pronepos, qui protenso à Gallico mari vsque ad Humbrum imperio, leue Christi iugum, Augustino prædicante suscepit. Ailfridus, qui Northabumbranis præsidens Britones simul & Scotos vasta cæde perdomuit. Edvvinus, qui Ailfrido succedens Anglis simul & Brito-*

a inuitati *fuerit ex ms. reponendum.*

nibus præfuit. Ostvaldus eius successor, [a] qui cunctis Britanniæ populis imperauit. Hæc, cum iuxta historicam veritatem à venerabili Beda expositam constet esse rata: cuncta, quæ homo ille de Arturo & eius successoribus, vel post Vvortegirnum, prædecessoribus scribere curauit, partim ab ipso, partim & ab aliis constat esse conficta, siue effrænata mentiendi libidine: siue etiam gratia placendi Britonibus, quorum plurimi tam bruti esse feruntur, vt adhuc [b] Arturum tanquam venturum exspectare dicantur, eumque mortuum nec audire patiantur. Denique Vvortegirno facit succedere Aurelium Ambrosium, (deuictis expulsisque Saxonibus, quos Vvortegirnus accersierat,) in tota Britannia egregiè imperantem, illique dat successorem Vtherpendragum fratrem eius, non impari potentia gloriaque regnantem, plura de Merlino suo [c] profusa mentiendi libertate interserens. Defuncto quoque Vtherpendragone facit succedere Arturum filium suum in regno Britanniæ, à Vuortegirno quartum, [d] sicut noster Beda ponit Echelbertum, Augustini susceptorem in Regno Anglorum, ab Hengisto quartũ. Itaque regnũ Arturi, &c.

a abest in ms. & iuvre.

b Britonũ stoliditas, auctoris seculo.

c v.e. Imperij.

d in ms est colon. & post, Sic noster,

ingressus in Britanniam Augustini: concurrere debuerunt. Sed quantum mera historiæ veritas hoc loco compositæ præiudicet falsitati: vellippienti, mentis acie clarè videri potest. Ipsum Arturum autem facit præclarum & spectabilem super omneis homines,
a caret ms. duabus vocalis. *tantúmque illum in gestis vult esse: quantum sibi libuit fingere. Denique in primis facit eũ de Anglis, Pictis, & Scotis, ad libitum triũphare: Denique Hiberniam,* b *Noricam, Orchades, Gothiam, Daniam, partim bello, partim etiam solo terrore nominis, ditioni suæ subiugare: His quo que addit Islandiam: quæ vltima Thule secundum quosdam dicitur, vt ad Britonem illum in veritate spectare videatur: quod Augusto Romano à Poeta nobili, adulatoriè dicitur,* Tibi seruiet vltima
b abest in ms.
c in ms. Tile Extat autem locus 1. Georg. c Thule. *Deinde facit eum bello pulsare Gallias, & de ipsis in breui subactis felicissimè triumphare: quas Iulius Cæsar cum summis periculis atque laboribus annis decem vix potuit subiugare, scilicet vt minimus digitus huius Britonis grossior videatur lumbis magni Cæsaris. Post hæc cum triumpho multiplici reducit eum in Britanniam, & facit eum cum subactis regibus & principibus*
d v. c. famosissimũ. *festum celebrare* d *sanctissimũ: præsentibus tribus Britonum Archiepiscopis, scilicet Lũ-*

doniarum, Vrbis legionum, Eboraci: cum ne vnum quidem Archiepiscopũ vnquam habuerint Britones. Primus enim Augustinus accepto à Romano Pontifice pallio, Archiepiscopus in Britannia factus est. Barbaræ verò nationes Europæ [a] etiã olim ad fidẽ Christi conuersæ, contẽtæ Episcopis de Pallij prærogatiua non curabãt. Denique Hybernienses, [b] Norici, Dani, Gothi, cum olim Christiani fuisse & Episcopos habuisse noscãtur: nostris tẽporibus Archiepiscopos habere cœperunt. Inde Fabulator ille, Vt suum Arturũ ad summũ euehat, facit eum Romanis bellum indicere: ante hoc bellum singulari certamine miræ magnitudinis Gigantem prosternere: cum post Dauidica tempora de nullo Gigante legatur. Consequenter profusiore mentiendi licentia facit aduersus eum conuenire cum Romanis Reges magnos orbis terrarum: scilicet, Græciæ, Africæ, Hispaniæ, Parthorũ, Medorũ, Itureorum, Libyæ, Ægypti, Babylonis, Bithyniæ, [c] Phrygiæ, Syriæ, Beotiæ, Cretæ, omneisque refert vno prælio ab illo deuictos: cum Alexander ille Magnus & omnibus seculis clarus, per annos duodecim, [d] quibusdam tantorum regnorum principibus superandis sudauerit. Profecto [e] minimum digitum sui Arturi, grossiorem facit dorso A

a deest in ms. & meritò.

b ms. habebat, Norda ci, dictio ex duabus cõposita.

c desunt in ms.

d ms. inpræ posit habet.

e aptat pro posito respõsum Roboami ad subditos petẽtes vectigalium minutionẽ 3. Reg. 12.

lexandri Magni, præsertim cum ante hanc victoriam de tot magnis regibus, faciat eum commemorare suis in concione subactionem triginta regnorum, a se & illis iam factam. At non inueniet Fabulator noster tot regna in orbe nostro, præter regna memorata, quæ vtique nondum ille subegerat. An alium orbem somniat infinita regna habentem, in quo ea contigerint, quæ suprà memorauit? Quippe in orbe nostro nunquam talia contigerunt.

a ms. Veteres addit.

Quomodo enim historiographi, [a] quibus ingenti curæ fuit, nihil memorabile scribendo omittere, qui etiam mediocria memoriæ mandasse noscuntur, virum incomparabilem eiusque acta supra modũ insignia silentio præterire potuerunt? Quomodo, inquam, vel nobiliorem Alexandro Magno Britonum monarcham Arturum, eiusque acta, vel parem nostro Esaiæ, Britonũ prophetam Merlinũ, eiusque dicta silentio suppressẽrũt? Quid enim minus in præscientia dum taxat futurorum tribuit suo Merlino, quam nos nostro Esaiæ: nisi quod eius vaticiniis non audet inserere, Hęc dicit Dominus, *& erubuit inserere,* Hęc dicit Diabolus, *Quippe hoc debuit* [b] *cõgruere vati, incubi dæmonis filio. Cum ergo nec tenuem de his veteres historici fecerunt mẽtionem: liquet a mendacibus esse conficta,*

b desideratur in ms.

quæcunque de Arturo atque Merlino ad pascendam minus prudentũ curiositatem, homo ille scribendo vulgauit. Et notandum, quod eundem Arturũ postea refert in bello letaliter vulneratum: regno disposito ad curanda vulnera sua abiisse in illam, quã Britannicæ fingunt fabulæ insulam [a] *Auallom: propter metum* Britonum *non audens eum dicere mortuũ, quẽ adhuc verè bruti Britones expectãt venturũ. De successoribus verò Arturi pari impudentia mentitur, tribuẽs eis vsque ad septimam fere generationẽ, Britanniæ monarchiã: faciẽsque eorũ subregulos & ministros: quos venerabilis Beda fortissimos dicit fuisse Reges Anglorũ, vniuersæ Britanniæ nobiliter imperantes. Vt ergo eidẽ Bedæ, de cuius sapientia & sinceritate dubitare fas non est, fides in omnibus habeatur: Fabulator ille cum suis fabulis incunctanter ab omnibus respuatur. Sanè post Bedam non defuere, qui ab ipso seriem temporum atque euentuum nostræ insulæ, ad nostrã vsque memoriam ducerent, illi quidem minime comparandi: pro religiosa tamen opera, & fideli, quanquam minus diserta narratione laudandi. Nostris autẽ temporibus tanta & tam memorabilia contigerunt: vt modernorum negligentia culpãda meritò cẽseatur, si litterarũ monumẽtis ad*

[a] ms. Auallonis.

memoriam ſempiternam mandata non fuerint. Et fortè hoc opus ab aliquo ſiue aliquibus iam vel inchoatũ eſt, vel patratum: ſed tamen viri venerabiles, quibus mos gerẽdus eſt, hoc ipſum & meæ paruitati dignãtur iniungere, vt & ego, quia cum diuitibus non poſsũ, ſaltẽ cum paupercula vidua aliquid de tenuitate mea mittam in gazophylacium Domini. Quoniam vero Anglicanæ ordinem hiſtoriæ à quibuſdam vſque ad deceſſum Regis Henrici primi nouimus eſſe deductum, ſumpto ab aduentu Normannorum in Angliam exordio, media tempora ſuccinctè percurram, vt à ſucceſſore eiuſdem Henrici Stephano (cuius anno primo ego G. ſeruorum Chriſti minimus, & in Adam primo ad mortem ſum natus, & in ſecundo ad vitam renatus) narrationem (Deo volente) incipiam producere pleniorem.

GVILLELMI

GVILLELMI NEVBRIGENSIS DE REBVS ANGLICIS,

LIBER PRIMVS.

DE GVILLELMO Notho, primo ex Normannis Rege Anglorum.

CAP. I.

ANNO a plenitudine temporis quo verbum caro factum est, & habitauit in nobis M.LXVI. Guillelmus cognomento Nothus, Dux Normannorum, Haraldo Regi Anglorum, vel dominādi libidine, vel causa vlciscendi iniurias, bellum intulit: quo Haraldo bellica sorte absumpto, Angliſque expu- 1066.

gnatis atque subactis, Ducatui Normanniæ regnũ Angliæ sociauit. Cumque peracta victoria, tyranni nomen exhorrescens & legitimi Principis personam induere gestiens, a Stigando tunc temporis Cantuariensi [a] Episcopo in Regem solemniter consecrari deposceret; ille, viro (vt aiebat) cruento & alieni iuris inuasori; manus imponere nullatenus adquieuit. [b] Altredus verò Eboracensis Archiepiscopus vir bonus & prudens, hoc munus impleuit, acutiùs intelligens, cedendum esse tempori, & diuinę nequaquam resistendum ordinationi. Denique hoc modo hominem ferociſſimum [c] spirantem adhuc minarum & cædis in populum; mitem reddidit, & religiosis pro conseruanda [d] republica, tuendaque ecclesiastica disciplina, sacramentis astrinxit. A quo postea loco patris ita colebatur, vt cùm ille cæteris imperaret: ab eo sibi imperari æquanimiter sineret. Contigit aliquando eundem Pontificem in quadam petitione a Rege repulsam passum; iratum auertere scapulam, [e] recedentem & maledicentem pro benedictione comminari.

a rectius. ms Archiepiscopo.

b al. Aldredus.

c scitè, quod act. ix. T. 5. Paulo, accommodat Guilel.

d ms. publica.

e ms. recedẽtémque, maledictionem.

Cuius motus ille non sustinens ad pedes eius procidit, veniam petiit, satisfactionem spopondit. Cumque optimates, qui aderant, suaderent, vt regem prostratum erigeret, *finite*, inquit, *illum iacere ad pedes* Petri. Planè in hoc & quanta fuerit ferociſſimi Principis erga Præsulem reuerentia; & quanta eiusdem Præsulis circa Principem auctoritas atque fiducia; satis declaratum est. Porrò idem Rex a Stigando Cantuariensi, vt dictum est, irritatus, cum vitium ordinationis eius, & vitæ dedecora postea cognouisset, honestam de ipso voluit habere vltionem. Accersitus enim Regiis litteris ad disponendam ecclesiam Anglicanam, concilium in Anglia Apostolicæ sedis legatus celebrauit: in quo Stigandi sceleribus patefactis, infructuosam arborem [a] securis Canonicæ animaduersionis succidit. Locum verò succisæ suscepit Lanfrancus ex monacho Beccensi; Abbas Cadomensis, natione Longobardus; vir præter religiosæ vitæ meritum, in vtraque litteratura, seculari scilicet & diuina clarissimus. Aldredo quoque Eboracensi ad

[a] *Videne-tas.*

patres ſuos appoſito Thomas ſucceſſit. Guillelmus autem poſtquam regnum fortiter adquiſitum per annos 21. nobiliter tenuit: cùm iam ſub extrema ſorte decumberet, treis filios deſignauit hæredes. Et quidem Robertum primogenitum ſuum quia paternæ pietati inofficioſus & rebellis extiterat, ducatu [a] contentum eſſe voluit: ſui verò nominis filio, in quo ſibi meliùs complacebat, regnum Angliæ aſſignauit. Porro iuniorem Henricum, cuius indolem propenſiùs laudabat; multa ſumma donatum bene [b] acturum prædixit. Dormiuit ergo cum patribus ſuis homo ab annis adoleſcentiæ armis acer, animo ingens, ſucceſſu felix, ſingulare Nothorum decus: ſepultuſque eſt Cadomi in monaſterio Protomartyris Stephani, quod ipſe a fundamentis extruxerat, egregiéque ditauerat. In eius verò ſepultura quiddam memorabile contigiſſe fideli narratione cognoui. Cum enim expleta exequiarum ſolemnitate corpus eius in loco ad hoc præparato eſſet condendum; quidam accedens, omnipotentis Dei [a] præcepto terribiliter nomine

a *ms. addit, Normanniæ.*

b *malè, in ms. Argt hurum.*

eum ibidē ſepeliri prohibuit, terra, inquiens, iſta [b] auito mihi iure competit: quam idem Rex dum monaſterium conſtrueret, violenter mihi abſtulit, nec vnquam poſtea mihi ſatisfecit. Obſtupuêre omnes qui aderant, iudicio Dei, ad declarandam tranſitoriæ Dominationis vanitatem, actum conſiderantes: vt Princeps potentiſſimus, qui tam latè dominatus fuerat viuus locum corporis ſui capacem ſine querela non haberet mortuus. Denique querela illa adeo mouit omneis: vt priùs illi cani viuo, tanquam meliori, ad votum ſatisfacerent; ac deinde circa leonem mortuum iuſta complerent. Sanè [c] quòd idem Chriſtianos innoxios hoſtiliter Chriſtianus impetiit, & tanto ſibi ſanguine Chriſtiano regnum parauit. quantæ apud homines gloriæ; tantę [d] etiam apud Deum noxæ fuit. Cuius rei argumentum eſt quod a teſtibus fide dignis accepimus. in loco ſiquidem vbi [e] victi Angli occubuêrunt, conſtructum eſt a victoribus monaſterium nobile beati Martini de bello nũcupatum; quod ſcilicet & ad homines æternus foret Normannicæ victoriæ

a *al. pretẽo et melius quàm præcentor, in edit. Antuer.*
b *ms. antiquo.*
c *v. c. quia*
d *v. c. &*
e *v. c. multi.*

titulus: & ad Dominum propitiatio pro effusione tanti sanguinis Christiani. Denique in eodem monasterio locus ille vbi Anglorũ pro patria dimicantiũ [a] maxima strages facta est, si fortè modico imbre maduerit; verum sanguinem quasi recentem exsudat: ac si apertè per ipsam rei euidentiam dicatur, quod adhuc [b] vox tanti sanguinis Christiani clamet ad Dominum de terra; quę aperuit os suum & suscepit eundem sanguinem de manibus fratrum, id est Christianorum.

a *v.c. maximè.*

b *imitatus est locum de nece Abel Gene. 4.*

De Guillelmo Rufo, secundo ex Normannis Rege Anglorum, & de expeditione Ierosolymitana.

Cap. II.

ANNO a plenitudine temporis quo veritas de terra orta est M. LXXXVII. Robertus primogenitus in Ducatu Normanniæ & Guillelmus qui agnominatus est Rufus in regno Angliæ patri defuncto suc-

1087.

Hunc Roberto fuisse cognomen Curthosi

cessêre, ordine quidem præpostero, scilicet per vltimam patris (vt dictum est) voluntatem commutato. Vnde factum est, vt quibusdam optimatum Roberto propensiorem, tanquam iusto hæredi & perperam exhæredato, fauorem præstantibus, statumque regni turbantibus; Guillelmus in principio infirmiùs laborioſiúsque imperaret, & ad conciliandos sibi animos subditorum modestior mitiórque appareret: at postquam perdomitis hostibus & fratre molliùs agente roboratum est regnum eius: exaltatum est illico cor eius, apparuítque succedẽtibus prosperis; qualis [a] latuisset, dum premeretur aduersis, homo vecors & inconstans in omnibus viis suis, Deo indeuotus, ecclesiæ grauis, nuptiarum spernens, [b] & passim lasciuiens, opes regni vanissima effusione exhauriẽs, & eisdẽ deficientibus subditorũ fortunas in hoc ipsum corradẽs. Homo turgidus [c] typo immanissimæ superbiæ, & vsque ad nauseam vel etiã derisionem doctrinæ euangelicæ, temporalis gloriæ fœdissima voluptate absorptus. Fratrem verò eius senior Robertus, cui nimirũ ordine naturali regni

tradit anonim. Anglus in Chron. ad eundem annum & in sequentes & Valsingham in ypodig. Neustriæ.

a *ms. addit, apud se.*

b *ms. addit, copulas.*

c *rectiùs, typho, quade voce, in notis ad epist. 3. Ber. dixi.*

ſucceſſio cõpetebat: minus quidẽ clati & ferocis animi fuit: ſed in minori adminiſtratione ſcilicet Ducatus Normannici claruit, quòd regno ampliſſimo adminiſtrando nunquam idoneus fuerit. Qui tamen armis tantus fuit, vt in illa magna & famoſa expeditione Ieroſolymitana inter fortiſſimos totius orbis proceres clariſſimæ militiæ titulis [a] fulſerit. Porro Henricus frater iunior laudabilem præferens indolem duris & [b] infidis fratribus militabat. De ſuo quippe nihil ei largientes: ea etiam, quæ pater illi teſtamento reliquerat, abſtulêrunt. Cúmque fratri minimo paulatim ad prouectum tendenti inuiderent, eorum ille inſidias in tuto ſe continens prudenter eludebat. Circa hoc tempus Lanfranco Cantuarienſi Epiſcopo viam vniuerſæ carnis ingreſſo; Anſelmus Abbas Beccenſis ſucceſſit, natione & ipſe Longobardus, Lanfranci olim diſcipulus, vir ſanctus & excelſus in verbo glorię. Eboracenſis quoque Eccleſiæ Præſulatum Thoma defuncto Gerardus ſuſcepit. Sanè ſub memorati Regis principatu, ſuſcitauit Dominus ſpiritus Chriſtiano-

a Ms. fuerit vbi etiã deeſt vocula, titulis.

b Ms. inuidis.

rum contra Sarracenos occulto Dei iudicio longo iam tempore tanquam iure hæreditario possidentes sanctuarium Dei, [a] id est loca sacra, in quibus redemptio nostra celebrata est Factus est ergo per Vrbani Pontificis Romani, & aliorum seruorum Dei religiosam operam, magnus populi Christiani concursus. fortissimi duces charactere Domini insigniti, & numerosissima stipati militia, expeditione laboriosissima Orientis regna penetrantes: Niceam Bithyniæ, Antiochiam Siriæ vrbeis amplissimas, & ad vltimum sanctam ciuitatem, pio & felici sudore ceperunt. è quibus fuit Robertus Dux Normanniæ in primis clarus. Qui nimirum cum eidem expeditioni necessaria prępararet, & pecunia illi minus copiosa suppeteret, accepta à fratre Guillelmo summa non modica Normanniam illi [b] appposuit, sicque cũ reliquis Principibus Christianis laudabile iter arripiens: cunctis prosperè gestis post annos aliquot [c] domum repedauit. Rex autem Guillelmus prolongans iniquitatem sibi, & in exitium proprium contra stimulum calcitrans; venerabilem Anselmum cum modestia

[a] *ms. &c.*

[b] *id est oppignorauit*

[c] *In ms. repatriauit*

eum corripientem, & enormia, quæ ab eo vel ſub eo gerebantur, corrigere volentem non petulit, ſed ſpoliatum rebus fere omnibus tanquam regno contrarium ab Anglia expulit. Verùm dum in Oriente a noſtris proceribus fortiter atque feliciter ageretur: idem Rex propellẽtibus eum ad interitum malis ſuis, condignum effrenatæ ſuperbiæ finem incurrit. Quippe in venatione, ſagitta proprij militis homo ferociſſimus pro fera confoſſus interijt, completumque in eo eſt illud. [a] Vidi impium ſuper exaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui & ecce non erat, quæſiui eum & non eſt inuentus locus eius.

a Pſal. 36.

De Henrico tertio ex Normannis Rege Anglorum, & de quibuſdam quæ ſub eius regno contigerunt.

CAP. III.

ANNO a plenitudine temporis quo miſit Deus filium ſuum in mundum M. C. Regi Guillelmo infeliciter mortuo, frater ſuus Hẽricus ſucceſſit, filio-

1100.

rum quidem Guillelmi magni ordine natiuitatis nouiſsimus, ſed prærogatiua primus. Quippe alijs in Ducatu patris natis: ſolus ipſe ex eodem iam rege eſt ortus. Hac ratione inducti, & præterea laudabili eius indole illecti Pontifices & proceres Angliæ fratrem Robertum in Oriente adhuc conſtitutum, quem ex Ducatu non bene adminiſtrato cõſtabat regno adminiſtrando [a] minus idoneum, expectãdum minimè cenſuêrunt, eumque quem aptum eſſe regimini ſignis non fallacibus colligebant in Regem ſolemniter ſublimârunt. Qui mox ſalubri vſus conſilio, venerabilem Anſelmum ab exilio reuocauit, prauas conſuetudines, quæ ſub fratre inoleuerant, [b] abrogauit: pacis & æquitatis iura, [c] quatenus regem adhuc nouitium decuit, firmauit; multa enim adhuc pro tempore prudenter diſſimulabat ne rigore ſubito ſubditi terrerentur, cautè præuidens poſt reditum fratris tumultus [d] ſcilicet publicos minimè defuturos, quod & contigit. Cum enim ille ex Orientis partibus cum vxore quam ſibi in via deſpõderat, reuerſus, Normanniam recepiſſet; inſtigantibus eum qui-

a *Ante in ms. eſt, fore.*

b *ms abrogans.*

c *ms. quoád regi non nouitio licebat.*

d *ms ſibi.*

busdã Angliæ proceribus, quibus iam Henricus formidabilis esse cœperat, fratri bellum, nisi regnum sibi resignaret, indixit, armatam classem in Angliam duxit, cui & mox adiuncti sunt, qui a fratre desciuerant. Sed prudentia fraterna homo leuis & inconstãs delusus: infecto negotio, regnandi securitatem fratri cum regno reliquit, & [a] in Normanniam redijt. Cumque per annos aliquot Normanniæ incubans eam sua molitie perderet, & improbi nullo publicæ disciplinæ metu [b] coerciti liberè grassarentur, inuitatus a maiorib. eiusdem prouinciæ Rex Hẽricus ciuili magis animo quàm hostili affuit, plurima eius parte in deditionem recepta, tandem fratrem fusis eius copijs apud Tenerchebrai in bello cepit. Sic itaque vir magnus & magnorum in remotis mundi partibus operum, fortunæ inuidia [c] proditus in manus iunioris fratris quem olim irritauerat, incidit. & post tantam militiæ claritatem in fratris quidem, sed tamen minus fraterna custodia inglorius reliquum vitæ suæ tempus exegit. Henricus autem regno Angliæ socians Ducatum Normanniæ,

a In ms. hæc præcedebãt.

b ms. coærcati.

c Ex ms. reposui piè præditus, quod antea legebatur.

[a] sicut pater olim Ducatui Normaniæ regnum sociauerat Angliæ, nomen celebre & grande adeptus est iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. Porro venerabilis Anselmus Cantuariensis ex Gallicano exilio ad propriam sedem regressus, & post annos aliquot viam vniuersæ carnis ingressus: sortitus est nomen grande iuxta nomen magnorũ qui sunt in cælo. Successit ei Radulphus Abbas Sagiensis vir religiosus & prudens. Gerardo verò Eboracensi defuncto Thomas secundus successit, ætate quidem iuuenis, sed grauitate & synceritate morum prædecessori suo valdè dissimilis. Idem enim Gerardus homo quidē acutus & litteratus fuisse dignoscitur: sed vita lubricus, in emungendis per indecoras etiam occasiones subditorum marsupiis callidus, & vt plurimi asseuerant, maleficiis etiam [b] assuetus: Deo & hominibus inuisus inuentus est, quod & eius mors horrenda & post mortem corpori eius negata Pontificalium exequiarum solemnitas declarauit. Quippe apud Suthvvellam cũ prãsus in horto iuxta cubiculum clericis propè spatiantibus super ceruical sub

a Decrat in ms.

b ms. assecutus.

dio quieſceret : letali ſopore diriguit. Corpus eius raro agmine Eboracum delatum : neque clericis, neque ciuibus cum pompa exequiali ex morè occurrentibus; ſed pueris (vt dicitur) ſandapilam lapidantibus extra eccleſiam ſine honore ſepulturæ eſt traditum. Ille autem qui ei ſucceſſit, exemplo eius territus, lauanſque manus ſuas in ſanguine peccatoris, laudabiliter in officio conuerſatus eſt. [a] Prolixiores verò annos non vidit, raptus, vt credo, ne malitia mutaret intellectum eius. De quo nimirum rem memorabilem viro veraciſſimo referente cognoui : quam non ſilebo. Ægrotanti a medicis dictum eſt, vt fœminæ pro remedio miſceretur, pronuntiantibus hoc ſolo morbum fore curabilem. Inſtabant amici vt fieret: proteſtantes Dominum minimè offenſum iri : dum hoc purè pro remedio, nõ pro voluptatis illecebra fieret. Viſus eſt aſſentiri ne contriſtaret amicos. Fœmina decentis formæ in ſecretum eius intermittitur. Poſtea verò vrinam inſpicientibus medicis, aſſenſio illa pro placandis amicis ſimulatoria fuiſſe declaratur. Obiurgantibus ergo eum ami-

[a] *ms progressiores.*

cis, quod quasi semetipsum occideret, qui medicorum præcepto non pareret, *silete*, inquit, *nullus vestrum mihi vlterius verbi huius virus insibilet: nam propter salutem carnis tandem morituræ immortale decus pudicitiæ non amittam.* Huic ergo ex eadem ægritudine, vt creditur, feliciter mortuo, pro qua curanda Dominum offendere noluit [a]: Trustinus vir bonus & prudens successit. Porro Radulpho Cantuariensi apposito ad patres suos, Guillelmus, qui regularium clericorum apud Chiechiam Prior exstiterat, cathedram eius suscepit. Has fuisse nouimus Metropolinatorum successiones sub Rege Henrico. Idem autem Rex ex Matilde religiosa regina geminam in sexu dispari susceperat sobolem. Et filiam quidem materni nominis iam nubilẽ Henrico Imperatori Romano petenti despõdit, filium vero auiti nominis, qui successor sperabatur, iam puberem sinister casus abstulit, cum turba nobilium iuuenum marinis belluis escam datum. Et quoniam Matildis regina iam obierat: procreãdorum causa hæredum Rex filiam Ducis Lotharingiæ duxit vxorem, de

[a] *ab Turstano.*

Polydor Virgil. Anglic. hist. li. 11 pa. 191.

a tamẽ rep. en ms.

qua [a] liberos nõ ſuſcepit. Vnde filiam, poſtquam Imperator non relictis ex ea hæredibus in fata conceſſerat, ex Alemannia reuocatam, illuſtri Comiti Andegauenſi Gaufrido deſpondit, vt vel nepotes ex ea ſucceſſuros haberet. Facto que concilio: eidem filiæ ſuæ & ſuſceptis vel ſuſcipiendis ex ea nepotibus, ab Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, & omnibus qui alicuius videbantur eſſe momenti, regnum Angliæ cum Ducatu Normanniæ fecit adiurari. Regnauit autem in multa felicitate & gloria annis xxxv. & menſibus aliquot, quibus expletis: dormiuit cum patribus ſuis: homo multis quæ decerent Principem bonis ornatus: quæ tamen plurimùm denigrabat [b] in concupiſcentia fœminarum imitando petulantiam Salomonis. Feras quoque propter venationis delicias plus iuſto diligens, in publicis animaduerſionibus ceruicidas ab homicidis parum diſcernebat. Corpus eius cerebro & inteſtinis eiectis ſalitum corijſque inſutum, a Normannia in Angliam delatum & apud Radingum in monaſterio, cuius ipſe deuotus fundator largusque ditator extiterat; ſepultum

b abeſt in ms.

Videntes notas.

sepultum est. Porro ille qui precio magno conductus, cerebrum eius extraxerat: intolerantia fœtoris (vt dicitur) infectus atque extinctus est: sicque cum [a] Helisæi mortui corpus viuificauerit mortuum, illius iam mortui corpus mortificauit viuum. [a] 4. *Reg.* 13. *& Ecc.* 48.

Quomodo Stephanus contra iusiurandum inuasit regnum Anglorum.

Cap. IIII.

ANNO a partu virginis M. C. XXXV. defuncto, sed nondum sepulto clarissimo Rege Anglorum, & Duce Normannorum Henrico, Stephanus Comes Bononiensis eius ex sorore nepos regnum Anglorum inuasit. Si quidem Stephanus maior Comes Blesensis maioris Guillielmi filiam [b] memorabilem fœminam vxorẽ duxerat, & ex ea quatuor susceperat filios. Quo nimirum in partibus Orientis defuncto; mater mirabilis primogenito, quod remissioris ingenij & tanquam degener videretur, *1135. al. in ms. 1136.* [b] *addit. ms. nomine Adalem.*

prudenter amoto, Theobaldum filium in quo sibi bene complacebat, ad plenitudinem hæreditatis prouexit. [a] Stephanum adhuc impuberem Regi auũculo nutriendum promouendumque direxit, [b] quartum verò Henricum ne soli seculo genuisse liberos videretur apud Cluniacum tonsorauit. Processu temporis Rex Henricus vnicã Comitis Bononiensis filã, ad quam tota spectabat hæreditas, nepoti Stephano copulauit: in Anglia plurima eidem collargiens. Fratri autem eius Henrico Cluniacensi monacho dedit Abbatiã Glastonienſem, ac postmodum Episcopatum adiecit Vvintonienſem. Cum ergo vt prædictum est, Rex Henricus obisset: idem Stephanus sacramenti, quod filiæ eius de conseruanda fidelitate præstiterat, præuaricator regnum arripuit, annitentibus Præsulibus atque Principibus eodem sacramento astrictis. Denique Guillelmus Cantuariensis Archiepiscopus, qui primus iurauerat, vnxit eum in Regem assistente & cooperante Rogerio Salesberiensi Episcopo, qui secundus iurauerat, & iuraturis singulis iuramenti formam expressérat. Et

a *in ms. Tertium, id est.*

b *Vide notas ad epist. 93. Bern. edit. 1608.*

Archiepiscopus quidem eiusdem, vt creditur, periurij merito, ipso præuaricationis suæ anno defecit. Episcopus verò post annos aliquot, ipso Rege [a] diuinæ in illum vltionis ministro, miserabili exitu vitam finiuit, vt plenius suo loco [b] dicetur. Fortè tamen arbitrati sunt obsequium se præstare Deo, dū suo periurio tanquam dispensatorio Ecclesiæ regnique profectib. meliùs prouiderent: eo quòd in defuncti Principis moribus & actibus plura ipsis meritò displicuissent, quę Princeps mero ab eis creatus beneficio, eorum (vt credebant) libenter emēdaret consilio. Stephanus ergo, vt contra ius humanum pariter & diuinum; Humanum scilicet, quia legitimus hæres non erat, & diuinum, id est violata iuris iurandi religione, sublimaretur in Regem, pactus est quæcunque Præsules & Proceres exigere voluêrūt, quæ postea per eius perfidiam in irritum cuncta cessêrunt. Dei enim iudicio bona minimè venire debuerunt: propter quæ sapientes, potentésque illi malum tam enorme faciendum decreuêrunt.

[a] *ms. diuinitus.*

[b] *scilicet cap. vi. huius libri.*

Quod Stephanus fausta habuerit regni principia.

CAP. V.

DVos quidem priores regni sui annos Rex Stephanus fauſtos habere viſus eſt, Rege Scottorũ Dauid, qui Northumbriam trans fluuium Tinum irruperat, magnis viribus repulſo, & domito: Baldenvvino de Redneriis, qui contra eũ rebellare cœperat expugnato atque in exilium acto: rebus quoque in Normannia fortiter & fæliciter geſtis. Anno verò tertio & quarto cœperunt contra periurum & pactorum etiam quę in promotione ſua fecerat, preuaricatorem mala increſcere, plurimi & fortiſſimi rebellare. ipſe iam exhauſtis auũculi theſauris minus poſſe & mollius agere. Initia malorum hæc. Cum ergo in Auſtralibus Angliæ partibus contra eos, qui a ſe defecerãt, & hoſtiliter agebant caſſo labore ſudaret; Scottorum rediuiuus furor erum-

pens Northumbriam crudeliſſima depopulatione exinanitam obtinuit, & amne Tino tranſmiſſo, neque ſexui, neque ætati parcens, vſque ad fluuium Teſam peruenit: non quidem ibi debachandi ſibi limitem ſtatuens, ſed totam Deinrorum prouinciam cum Eboraca ciuitate ſpe iam non dubia poſſidens. Prouinciales verò cum nullum vel a Rege vel a Transhumbranis prouinciis ſperarent auxilium: bonæ memoriæ Truſtini Archiepiſcopi monitis animati pro animabus ſuis, pro coniugibus & liberis pugnandum duxêrunt, atque vnanimiter conglobati contra multitudinem immanitate terribilem non longè a flumine Teſa in campo ſtetêrunt, numero quidem longe impares: ſed piæ iuſtæque cauſæ fiducia multum præſtãtes. Denique Scotti mane caſtris incenſis flumen tranſeunt, & obiectam paucitatem deriſui habentes, audacter in pugnam ruunt. At non diu prælium tractum eſt, vbi nihil aut parum gladiis actum, Leuis enim armaturæ homines, confodientibus eos eminus iaculis, mox tergadedêrunt, noſtriſque cum victoria campum reliquerunt. Cæſa re-

ferũtur in illa vel pugna, vel fuga Scottorum multa milia, & Rex Dauid raro quidem milite, sed multo decore comitatus: refugit in propria. Hoc bellum Deo propicio aduersus Scottos feliciter gestum est anno Regis Stephani quarto, mense Augusto. Et post menses aliquot Albertus Hostiensis Episcopus Apostolicæ sedis legatus, concilium Lundoniis celebrauit; vbi Theobaldus Abbas Beccensis Rege conniuente cathedram Ecclesiæ Cantuariensis suscepit.

Consule notas.

De Rogerio Salesberiensi, & Alexandro Lincolniensi Episcopis, & quomodo capti sunt a rege Stephano.

Cap. VI.

POST hæc Rex Oxenefordię constitutus, pessimis cõsiliis ita est deprauatus, vt Ecclesiasticorum virorum inhiando pecuniis impias eis manus iniiceret, & sacris non deferendo ordinibus, per-

sonæ regiæ inexpiabilem næuum inureret. Quippe Rogerium Salesberiensem & Alexãdrum Lincolniensem nobiliſſimos & potentiſſimos tunc in Epiſcopis Anglorum, cum eos paulò ante ad ſe venienteis hilari facie ſuſcepiſſet; repentè tanquam perſonas viliſſimas atrocium iniuriarum reas captos incluſit, artauit, pecuniis & caſtellis nudauit. Sanè de huius Rogerij primordiis atque progreſſibus, quoniam ſe præbet occaſio, pauca dicenda ſunt: vt in fine eius miſerrimo, altitudo diuini conſideretur iudicij. Idem ſub regno Guillelmi iunioris ſacerdos admodum tenuis (vt dicitur) in quodam ſuburbano Cadomenſi de officio viuebat. Eodem tempore Henricus iunior fratri Regi militans, caſu ex itinere cum comitib. diuertit ad Eccleſiam, in qua ille miniſtrabat; petiítque ſibi celebrari ſacra: Sacerdos verò petitione ſuſcepta ad incipiendum promptus, & ad finiendum ſuccinctus: in vtroque ſic militibus placuit, vt dicerent tam aptum militibus reperiri non poſſe Sacellanum. Cúmque regius ille iuuenis diceret, ſequere me: non ſecus illi adhæſit

quàm [a] Petrus olim Regi cæleſti idem dicenti : Petrus enim relicta nauicula Regem Regum; ille vero relicta Eccleſia ſecutus eſt iuuenem Regium: factuſque illi & eius militibus Sacellanus ad libitum ; cæcus præſtabat cæcis [b] ducem. Et cum eſſet ferè illiteratus : innata tamen aſtutia ita callebat vt Domino ſuo in breui carus exiſteret, & ſecretiora eius negotia procuraret. Poſtquam autem idem Dominus eius regnum ſortitus eſt; eum tanquam ante regnum & in regno bene de ſe meritum ad Salesberienſem prouexit Epiſcopatum : quinetiam illi tanquam in multis probato , fideli & induſtrio publicas adminiſtrationes commiſit , vt eſſet non tantum in Eccleſia magnus; ſed etiam in regno a Rege ſecundus. Denique amplas exercēdæ auaritiæ occaſiones nactus , ex vtroque officio, ſcilicet Eccleſiaſtico & Seculari; ingenteis coaceruauit diuitias, non diſpergendas dandaſque pauperibus: ſed vaniſsimis vſibus applicandas. Duo enim nobilia ſumptuoſiſsimo opere caſtella ſcilicet [c] Diuiſas & Scireburnam conſtruxit , vaniſsimè ſatagens ne reciperent

[a] *Math. 4. Mar.*

[b] *ms. duratum.*

[c] *quo non erat ſplendidius intra fines Europæ, inquit Ricard. Hagulſtad. in Chron. de geſtis Stephani.*

comparationem in regno. Alexandro nepoti ſuo, Rege ſibi nihil negante, Lincolnienſis Eccleſię ſedem obtinuit, qui cum eſſet cordis latiſſimi, auunculum æmulans duo & ipſe non ignobilia expenſis profuſiſſimis caſtella exſtruxit. Et quoniam huiuſmodi exſtructio Epiſcopalem honeſtatem minùs decere videbatur: ad tollendam illius exſtructionis inuidiam & quaſi expiandam maculam, totidem monaſteria cõſtruens, [a] collegis religioſis impleuit. Cum autem inclytus Rex Henricus a ſingulis regni Præſulibus atque Proceribus de conſeruanda Filiæ ſuæ in ſucceſſione regni fidelitate ſacramentum exigeret; memoratus Salesberienſis idẽ ſacramentum, vti ſuperiùs dictum eſt, non ſolùm in propria perſona, verùm etiam aliis præſtitutis tanquam vir prudens & à Rege ſecundus ad nutum regium cautè diſtinxit. Sed Rege defuncto, qui ei tantæ in ſeculo claritatis auctor extiterat, circa legitimos eius hæredes infidus; vt Stephanum ſacramento illo æquè aſtrictum [b] alliceret; non eſt veritus incurrere periurium, verùm etiam aliis inſigne peierandi præſtruxit

a *eáque, vt reor, de cauſſa, eius religio prudentiáque cõmendantur in ms. tabulis Epiſcoporum Lincoln.*

b *ms. addit, ſibi.*

exemplum. Eidem quoque ſublimato in Regem ſe talẽ exhibuit; vt obſequiorum gratia pręclaram apud illum habere fiduciam videretur. Tantis ille beneficiis ingratus, & in ipſum Epiſcopum, cuius opera nunquam epiſcopalia fuêre, vltor diuinitus ordinatus: eundem, tanquam exigui hominem momenti, primò carcerali cuſtodia, poſtmodum etiam cibi inopia, & nepoti eius (qui Cancellarius fuerat regius) intentato ſupplicio ita coartauit, vt duo illa præclara caſtella, in quibus theſauri eius erãt repoſiti, reſignaret. Quo facto claruit, ex vi doloris; quantum eius cor infecerit mũdani virus amoris. Nam iuxta veraciſſimam beati Gregorij ſententiam: quantum, cum habentur temporalia, hæret amor; tantum, cum ſubtrahuntur, vrit dolor. Denique grandæuus Epiſcopus ex eorum amiſſione in quorũ exſtructione vel cõgeſtione Dominum vehementer offenderat, vi doloris abſorptus, atque in amẽtiam verſus, ita vt indecẽtia vel faceret vel diceret, perſpicuo Dei iudicio vitam longo tempore ſplendidiſſimam infeliciſsimo fine concluſit. Alexander verò Lincolnien-

sis, qui cum eo captus fuerat; eisdem quibus ille modis ad resignandas munitiones, quas exstruxerat angariatus est, quibus resignatis ægrè relaxatus est diuinum circa se iudicium (si sapuit) venerans & saniora meditãs. Sed nec ipsi Regi, quem virgam furoris Domini fuisse constat, erga memoratos Episcopos in prosperum cedebat; quod instigante, vel odio personarum, vel ambitu pecuniarum, sacris minimè ordinib. deferebat, ídque sequentia declarabũt.

Quomodo Stephanus regiam auctoritatem amiserit cum Normannia.

Cap. VII.

PAVCIS siquidem diebus elapsis Matildis olim imperatrix filia Regis Henrici in Angliam venit, & contemplatione iuramenti olim de Regno sibi præstiti, multorum procerum corda commouit, cum se iam plurimi proprio instinctu contra Regem Stephanũ erigere minimè formidarent. Itaque

diuisum est regnum quibusdam Stephano, quibusdam vero dictæ imperatrici fauorem opemque præstantibus; & cõpletum est illud Dominicum. [a] Omne regnum in se diuisum desolabitur. Ita enim per discursus excursusque hinc inde hostileis, rapinis & incendiis paulatim dilaniata atque attenuata est Anglia; vt ex regno florentissimo infelicissimum videretur. Iam omnis Regij nominis terror, iam omnis disciplinæ publicæ vigor in ventum abierat; & sublato legum metu, libido & licentia passibus æquis currebant. Malis ergo quotidie [b] crescentibus, iam versa erat in luctum, Ecclesiæ Cithara; & populus sub multiplici gemebat iactura. Rebus in Anglia se ita habentibus, Andegauensis Comes Normanniam cum exercitu peruagatur: totamque in breui vxoris & filij nomine in suam potestatem [c] redegit, nemine se opponente qui eius valeret impetum sustinere. Cum Rege quippe Francorum qui Regi Stephano fœderatus videbatur, prudenter colluserat, ne quid ab eo impedimenti pateretur, quo minus prosperaretur in his quæ intendebat.

a *Matt. 12 & Luc 11*

b *al. crebrescentibus.*

c *ms. tradu cta. Huc au tem possunt referri con tinuat. Siger. Hy moim & Ricardus Hagulst.*

Quomodo Rex Stephanus captus est in bello apud Lincolniam.

Cap. VIII.

EXTO regni anno Rex Stephanus castrũ Lincolnienſe obſedit: quod Rannulphus Comes Ceſtrenſis dolo intrauerat, & tenebat: protractaque eſt obſidio a diebus Natalis Dominici vſque ad Epiphaniam Domini. Idem autem Comes vt obſidionem ſolueret, Gloceſtrenſem Comitem Regis Henrici filium Nothum, ſuum verò ſocerum, alioſque fortiſsimos Proceres cum ingentibus copiis ſecum adducens: Regi, ni cederet, bellum denuntiauit. Rex verò eorum aduentu præcognito, vireis vndecunque contraxerat: & turmis extra vrbem diſpoſitis, vt reciperet venienteis, prælių cum multa fiducia inſtruebat. Nam & ipſe bellator erat robuſtiſſimus, & militum numero ampliore ſubnixus. Huc accedebat, quòd hoſtilis exercitus

longo & hyemali itinere fatigatus, otio, quo recrearetur, quàm prælio, quo periclitaretur: magis idoneus videbatur. Qui tamen numero quidem & apparatu impar, sed solis animis præstans, eo quod sibi tam longè progresso a proprijs nullum in hostium finibus videret esse locum effugij, constanter in bellum prorupit. Rex ipse cum sua turma amotis equis in pedes consistens, equitum turmas ad dandos vel excipiendos primos belli ictus in fronte dispoſuerat, quibus primo hostilis equitatus impressu victis atque in fugam actis, totum pondus prælij in regiam turmam versum est. Ibi quidem acerrimè pugnatum est, Rege ipso in primis fortiter agente, quo tandem capto & turma eius profligata, victor exercitus vrbem diripiendam ouans ingreditur, & captiuus insignis dictæ imperatrici transmissus, apud Bristou custodiæ mancipatur.

Quomodo Rex Stephanus liberatus est per captionem Comitis Gloceſtrienſis.

Cap. IX.

IGITVR Regij caſus infelicitate comperta; imperatrix ad ſummum euehitur, & ferè totius regni fauorib. honoratur. Verùm ſtulta apparuit: poſtquã eleuata eſt in ſublime. Ita enim ex recẽti felicitate ſucceſſuum, corde intumuit & verbis intonuit, vt intolerabili faſtu fœmineo optimatum contra ſe pendulos adhuc animos inflammaret. Ciues quoque Lundonienſes, qui eam fauorabiliter priùs ſuſceperant, expulerunt eam, ſuperbiam eius non ferentes. Vnde indignata, [a] Regem (qui iudicio Dei in manum eius inciderat, & adhuc indulgentiùs cuſtodiebatur) cõpedibus onerauit, eo ipſo diuini ſeueritatẽ iudicij circa eũ molliẽs, & vt poſtea claruit, liberationem eius accelerans. Euolutis

[a] *his, conſequentibuſque ſimilia refert Ricardus Hagulſta. in Chron. ad annum* MCXL.

enim diebus paucis cum auunculo ſuo Rege Scottorum & fratre ſuo Roberto turrim Vvintonienſis Epiſcopi obſidens, fortunæ inconſtantiam, & effrænatæ ſuperbiæ merito, prioris iacturam glorię experta eſt. Denique idem Epiſcopus Regis Germanus homo multæ in regno potentiæ callidus & pecunioſus ſupra modum, Apoſtolicæ quoque ſedis legatus in Anglia; ad ſoluendam obſidionem, ex Cantia quam ſolam caſus non flexerat regius, Guillelmum Yprenſem cum Regina & ex aliis prouinciis plurimos dominationis fœmineę faſtu irritatos accerſiuit. Cumque iam immenſas contraxiſſet copias, per dies aliquot vterq; exercitus excubabat in caſtris, & præter eos qui ex caſtris egreſſi pro oſtẽtatione viriũ exercebãtur, vacare videbatur. Sed aduenientes magnæ ex Lundoniis copię, ita eorum qui dictæ imperatrici aduerſabantur auxêrũt exercitum, vt ipſa iam impar ad pugnam: ciuitate Vvintonia relicta & direptioni expoſita, euadere curaret per fugam. Captus eſt in fuga illa [a] Robertus frater eius Comes Gloceſtrenſis cũ aliis plurimis. Porro Rex Scottorum

a in die exaltationis S. Crucis

ne

ne incideret in manus hostium: persequenteis arte elusit. & quibusdam eum cautè deducentibus cum multo metu atque periculo ad propria rediit. Sanè insignium captiuorum scilicet Regis & Comitis commutatio facta est. & perseuerantibus inimicitiis vterque pro altero sibi & suis est redditus. *inquit Ricar. Hagul. Dauid, & ms.*

Quomodo imperatrix fugit de Oxenfordia, & de concilio Lundonienſi.

Cap. X.

VM ergo Rex & imperatrix iugi discordia disceptarent, quandoque partes æquabantur, quandoque verò præstabat altera: fortunæ volubilitatem in breui expertura, quod ex [a] suppositis clarebat. Sequente autem anno Rex Stephanus apud Vvil-tonam munitionem construens, repentina hostium irruptione contritus, & plurimis suorum amissis in fugam actus est. Captus est ibidem Dapifer Regis

[a] *postpositis clarebit. ms.*

Guillelmus, cognomento Marcellus: qui mox pro sui corporis liberatione nobile castellum Schireburnense resignauit. Eodem anno fortuna retrograda Rex imperatricem in Oxenofordia [a] per mensеis aliquot obsidione concluſit. Illa vero diutinæ obsidionis impatiens occasionem fugæ ex tẽporis qualitate nacta, noctis & niuis beneficio in veste alba Tamesim fluuium crassa glacie superstratũ trãsiit: & hoc modo euadens in tutiora se loca recepit. Rex autẽ oppidum memoratũ obtinuit. Hoc successu priorum euentuum dedecus quãtulumcunq; detergẽs, post tanta diuinę vel districtionis vel miserationis experimenta, viris ecclesiasticis de cętero mitior visus est: & concilio, quod sequenti anno Lundoniis ab Hẽrico Vvintonienſi Episcopo sedis Apostolicæ legato pro quiete & prærogratiua ordinis clericalis celebratũ est, benignè interfuit, & fauoris Regij suffragiũ nõ negauit. Nam quia tunc in Anglia malis increscentibus parum sacris deferebatur ordinibus, eratq; fere in omnibus sicut populus sic sacerdos; in eodem cõcilio statutum est, vt quicunq; in clericũ vel

[a] *post festũ S. Michaelis vsq; ad aduentum, inquit Ricardus Hagulstad.*

consule notas.

in monachum violentas manus iniiceret, excommunicatus solemniter denũtiaretur, & ad Romanum Pontificẽ absoluẽdus mitteretur. Ipso anno nondũ finito Cãtuarien sis Archiepiscopus superVvintonien sem Episcopum ordinariam potestatem habens, & Vvintoniẽsis super Cantuarien sem Romanæ legationis potestatẽ exercens, dum hæ duæ potestates se mutuo sibi colliderẽt; Ecclesiarum pace concussa Romanum Pontificem adierunt, & quæstionem tanto gratiorem quanto ponderosiorẽ Romanis auribus intulerunt. Et alter quidẽ in causa præstantior, neuter verõ nisi exhausto sacculo reuersus est.

De vita scelerata & morte condigna Gaufridi de magna Villa.

Cap. XI.

EODEM tempore Rex Stephanus cepit Gaufridum de magna Villa in curia suã apud sanctum Album: non quidem honestè &

a v.c addit gentiũ, at. secundũ ius [a] pro merito eius; & metu, scilicet, quod expediret, quàm quod deceret, plus attendẽs. Erat enim idem Gaufridus homo audaciſſimus, & magnarum virium, ſimul & artium: præclaram illam arcem Lundolnienſem cũ duabus aliis munitionibus non ignobilibus poſſidens, & ſubtili aſtutia, ingentia moliens. Cum ergo propter hæc ipſi eſſet Regi terribilis: acceptam ab eo iniuriam, Rex cautè diſſimulabat: & tempus opportunum, quo ſe vlciſceretur, obſeruabat. Iniuria verò quam Regi nequam ille intulerat; talis erat. Rex ante annos aliquot Epiſcopi, vt [b] dictũ eſt, Salesberienſis theſauros adeptus: ſumma non modica Regi Francorum Lodouico tranſmiſſa ſororem eius Cõſtantiam Euſtachio filio ſuo deſponderat; intendens affinitate tanti Principis contra Comitẽ Andegauenſem eiuſq; filios ſucceſſurum ſibi filium roborare: erat [c] hæc cũſocru ſua regina Lundoniis. Cumq; regina ad alium forte vellet cum eadem nuru ſua locum migrare; memoratus Gaufridus arci tũc præſidens reſtitit: nuruq; de manibus ſocrus pro viribus obnitentis abſtracta

b ſup. cap. vj.

c v.c. que.

atq; retenta; illam cum ignominia abire permisit. Postea vero reposcenti, & iustum metum pro tempore dissimulãti Regi socero insignẽ prædam ægrè resignauit. Et videbatur hæc iniuria obliuioni iam tradita, cum ecce congregatis per edictum regiũ apud Sanctũ Albanũ proceribus, prædo ille inter cæteros affuit, quem Rex illico temporis opportunitatẽ nactus iustissimę indignationis loris astrinxit, eiq; arcem Lũdoniẽsem cũ duobus reliquis quę possidebat castellis extorsit. Munitionibus ergo nudatus, sed tamen relaxatus homo ille, quietis nescius, animo ingẽs, [a] astu vix cõparabiliter prędítus, & supra modum sapiens, vt faceret malum: collecta improborum manu monasterium Rameseyense inuasit, nec veritus expulsis monachis locum tam celebrem & sanctũ facere speluncam latronum, & Sãctuarium Dei conuertere in domiciliũ Diaboli: crebris eruptionib. atq; [b] excursionibus vicinas infestauit prouincias. Deinde sũpta [c] ex successu fiducia longiùs progrediens Regem Stephanũ acerrimis fatigauit terruitque incursibus. Eo sic debacchãte videbatur dor-

[a] *v. c fastu*

[b] *v. c. extorsionibus.*

[c] *v. c. successu.*

mire diuinitas, & non curare res humanas vel etiam suas id est ecclesiasticas:
Psalm. 43. dicebaturque a laborantibus piis, [a] *Exsurge, quare obdormis Domine.* At postquã
Rom. 9. (vt ait Apostolus) sustinuit Dominus in multa patientia vasa iræ apta in interitũ, *excitatus* est ([b] vt ait propheta) *tanquam dormiens Dominus, & percussit inimicos suos in posteriora.* i. in fine, quorum anteriora felicia videbantur. Denique paulò ante impij illius interitum; sicut veraci multorum relatione compertũ
vide notas est, parietes Ecclesiæ, quam inuaserat, & claustri adiacentis, verùm sanguinẽ sudárunt: quo, vt postea claruit, significabatur & immanitas facinoris: & iam imminẽs iudicium eiusdem immanitatis. Verùm cum improbi in reprobum sensum dati signo tam horribili minimè terrerentur; nequam ille castellum hostile oppugnans inter confertas suorum cateruas, viliſſimi peditis sagitta in capite percussus est. Quo vulnusculo vir ferociſſimus, quamuis illud primo derideret, post aliquot dies absumptus, ecclesiastici anathematis vinculum, nũquam ab eo absoluendus secum portauit ad inferos. Quo etiam satellites eius

crudeliſſimi, quorum vnus equitibus, alter peditibus præerat; diuerſis caſibus interijſſe feruntur. Ille enim equo decidens; eliſo ad terram capite excuſſoque cerebro exſpirauit: Alter verò Rainerius nomine, præcipuus eccleſiarum effractor atque incenſor, cum vxore ſua transfretans, iniquitatum ſuarum pondere in medio mari nauim, qua vehebatur, fecit immobilem. Quod cum maximo [a] nautis, & aliis qui ſimul vehebantur, eſſet ſtupori: [b] antiquo exemplo iacta eſt ſors, & cecidit ſors ſuper Rainerum. Et ne fortè hoc caſu accidiſſe videretur: iterum & tertiò ſorte iacta & fideli inuenta, iudicium Dei declaratum eſt. Itaq; ne vniuerſi cum ipſo & propter ipſum perirent; expoſitus eſt in ſcapha cum vxore & pecunia malè adquiſita. Nauis ilico expedita eſt & curſu ſolito ferebatur. Scapha verò pŏdere peccatoris ſubſedit, fluctibuſque abſorpta eſt.

[a] *v.c. natis.*

[b] *Ionæ prophetæ, vt eſt videre. ca. 1. eiuſd.*

De Roberto Marmiun & eius interitu.

Cap. XII.

SANE memorato inuasori duo in Anglia consimiles fuisse noscuntur, Robertus scilicet, cognomento Marmiun; qui expulsis monachis ecclesiá Conuentrensem, & Guillelmus Albemarlensis, qui exclusis regularibus clericis ecclesiam inuasit & polluit [a] Belinconiensem. quorũ alter scilicet Robertus, diuini pondere iudicij contritus est: Alter verò. i. Guillelmus, clementię diuinę respectu compũctus; largis crebrisque eleemosynis in pauperes expensis; & non ignobilium constructione monasteriorum expiauit excessum. Denique Robertus Marmiũ homo bellicosus, ferocia, astutia, audacia, ferè nulli suo tempore impar, cũ iã multis latè debacchãdo successibus clarus, præclarã illã Ecclesiam exclusis seruis Dei, [b] intromissis satellitibus

[a] *vide notas.*

[b] *v. c. &.*

diaboli profanaſſet: Ceſtrenſem quoque Comitem, quiſpecialiter aduerſabatur, crebris & magnis excurſionibus fatigaret, eidem Comiti cum ingenribus copiis aduersãti inſultaturus egreſſus eſt. Cúmque in conſpectu ſuorum pariter & hoſtium equo ſpumeo cum faſtu nimio veheretur: ſuæ artis immemor (nam crebras, vt dicitur, in cãpo foſſas fecerat quibus hoſtes vel arcerentur vel impedirentur.) iudicio, inquam, Dei, ſuę artis & operis immemor, incidit in foueam, quã fecit: fractóque femore emergere nõ valens, a quodam ignobili hoſtium partium ſatellite, cũctis [a] huic inuidentibus, capite truncatus eſt, eiſdem ferè diebus, quibus ſuper prædicto Gaufrido iudicium Dei celebratũ eſt, quod & in huius interitu pro cauſſa conſimili claruit. Horum quidẽ exitio, & perſpicuo circa illos Dei iudicio prænominatus Albemarlenſis non eſt territus, quò minùs poſt annos aliquot ſcelus conſimile attentaret. Sed vt dixi, miſericordiam non iudicium de manu Omnipotentis Dei pœnitentiæ & ſatisfactioni reſeruatus ſuſcepit.

[a] *v. c. hinc inde.*

De varijs casibus Regis Stephani.

CAP. XIII.

ANNO Regis Stephani nono, qui illorum duorum nequam interitu fuit insignis, idē Rex castrum Lincolniense, quod Comes Cestrensis obtinebat, obsedit. vbi dum munitionem exstrueret, operariis subita hostium irruptione præfocatis, confusus abscessit. Verùm anno sequenti, huius iacturæ maculam expiauit. Cum enim Comes Gloceſtrensis & cæteri partis aduersæ munitionem quantum sibi vtilem, tantum etiam hostibus nocituram apud [a] Ferendunum construxissent, Rex cum sua militia & Lundonienſibus copiis ociùs aduolans, eadem munitione per dies aliquot fortiter oppugnata, tandem cum ingenti & cruento labore potitus est. Sic ergo circa parteis alternabat fortuna, & quibus per secundos paulò

a *v. c. Sferendinium.*

antè ſucceſſus arridebat, hos ſiniſtris repentè caſibus eludebat. Verùm hunc ſucceſſum, quo videbatur anni præcedentis dedecus expiaſſe, anni ſui vndecimi fœdauit infamia. Cum enim Rannulphus Comes Ceſtrenſis pactis cum eo celebratis, fidelis iam illi & deuotus effectus, apud Vvalingefordam profuſis eum iuuiſſet auxiliis, ille poſt modicum eundem Comitem ad ſe pacificè & ſecurè venientem apud [a] Norhamneriam in Curia ſua regiæ Maieſtatis & honeſtatis immemor hoſtiliter comprehendit, & caſtrum Lincolnienſe cum cæteris quæ vſurpaſſe videbatur, reſignare coegit. Quo facto Comes relaxatus Regi perpes de cætero factus eſt inimicus.

[a] *v.c. Northamptoniã.*

De Truſtino Eboracenſi Archiepiſcopo, & origine Rieuallis & Fontium.

CAP. XIIII.

CVM in Regno Angliæ talia prouenirent: ſanctæ recordationis Truſtinus Eboracenſis Archiepiſcopus poſt laudabilem annis plurimis adminiſtrationem officij, & præclara pietatis opera: cum iam ferè expletum militiæ ſuæ tempus eſſe ſentiret, relicto honore & ſe excuſans ab onere, cum monachis Cluniacenſibus apud Pontemfractum vltimos vitæ ſuæ dies exegit, & appoſitus eſt ad patres ſuos in ſenectute bona. Cuius inter cætera bona quæ operatus eſt, pio ſtudio & religioſæ induſtriæ potiſſimum attribuenda eſt fundatio atque prouectio celeberrimi monaſterij Fontanenſis, cuius memorandi operis talis fuiſſe occaſio perhibetur, Quidam [a] Eboracenſes monachi nu-

[a] v.e. Eboracenſis cœnobij.

mero duodecim vel tredecim feruentes ſpiritu, & ſcrupuloſam habentes conſcientiam, dū acutius inſpicerent quòd iuxta traditiones vel Cluniacenſes vel alias conſimileis religioſam quidem vitam ducerent, ſed beati Benedicti regulam, quam profitebantur, minus ad litterā obſeruarent, aliquid melius fortiuſque acturi, (nam Ciſtercienſis ordinis, qui nuper eſſe cœperat, fama iam celebris erat) ſuum monaſterium reliquêrunt. Quorum ſtudium zelumque venerabilis Truſtinus amplexus, egreſſos paternê ſuſcepit, maternæ pietatis ſinu fouit, & in ſuis penetralibus pro tempore occultatos, donec eis prout animo conceperat, prouideret: tandem in loco paſcuæ collocauit. Et vocatur *Vide notas* locus ille, Fontes: vbi ex tunc & deinceps tanquam de fontibus Saluatoris tam multi hauſêrunt aquas ſalienteis in vitam æternam. Sanè paulò antè a nobili viro Vvalterico Eſpec inuitati, & a *Lege notas.* felicis memoriæ Abbate Bernardo directi monachi Clareuallenſes in Eboracenſem prouinciam venerant, & in loco, qui nunc dicitur Rieuallis (tunc autem erat locus horroris, & vaſtæ ſolitu-

dinis)manſionem acceperant, præfato viro tradẽte,&venerabiliTruſtino Epiſcopalem cum affectu paterno fauorem præbente. Horum exemplo monachi illi Eboracenſes incitati, atque ad arripienda fortiora animati,memoratiAbbatis (cuius memoria in benedictionc eſt)magiſterio ſe tradidêrunt, & diſtincti locis non animis hi & illi arctam viã quæ ducit ad vitã paribus votis & ſtudiis infatigabiliter currere cœpêrunt. Benedixitque eis Dominus benedictionibus cæli deſuperbenedictionib.abyſſi iacentis deorſum.benedictionibus vberũ vellerumq; vt non ſolùm in Omnipotentis Dei ſeruitio copioſam multitudinem aggregarent, ſed etiam largioribus eleemoſynis in pauperes diſpergendis ſufficerent. Quod autẽ Domino Chriſto tanquam apes argumentoſæ [d] ſeruirent,ex fructibus eorum cognoſcitur. numeroſis ſcilicet ſanctorum collegiis,quæ ex ſe tanquam quædam rationalium apum examina emiſêrunt, & non ſolùm per Anglicanas prouincias , verum etiam in barbaras nationes ſparsêrunt.

a v. c. ſernierintimitatus eſt autẽ Guil. locum hiſt. S. Ceciliæ: de qua canit eccleſia: Cecilia famula tua quaſi apis argumentoſa tibi deſeruit.

De origine Bellelandæ.

Cap. XV.

Via vero duorum insignium monasteriorum nostræ Eboracensis prouinciæ scilicet Rieuallis & Fontium feci, vt decuit mentionem, Bellelandæ quoque originem debeo explicare, quæ & loci propinquitate mihi est notior: nam vno tantùm miliario distat a Neuburgensi Ecclesia, quæ me in Christo à puero aluit. Vt autẽ paulò altius exordiar: in Transmarinis partibus, sicut a maioribus accepi, tres memorabiles viri vno tempore fuêre, scilicet Robertus [a] cognominatus de Arbusculo, Bernardus & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi & spiritu feruẽtes circuibãt per castella & vicos, seminantesque secundũ Esaiam super omneis aquas, de conuersione multorum fructus vberes colligebant: pio inter se placito constituto: quod Robertus quidem fœminarum communi labore ad meliora conuersarum

[a] *v.c. qui cognominatur.*

sollicitudinem gereret, Bernardus vero & Vitalis maribus propensius prouiderent. Robertus itaque famosissimũ illud monasterium fœminarum de Fonte Ebraudi constituit, & regularibus disciplinis informauit: Bernardus verò apud Tyrocinum & Vitalis apud Sauiniacum monachis regulariter institutis: suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietates distinxit. Cumque ex his tribus quasi radicibus seruorum atque ancillarum Dei per diuersas prouincias religiosa germina pullularent, quidam Sauiniacenses monachi Bellelandam nostram cõdiderunt. Qui cum essent numero pauci & pauperes, locumque aptum [a] quærerent, vbi Deo propicio cum fructu aliquo habitarent: nobili viro Rogerio de Moubrai, (qui & Neuburgensem fundauit Ecclesiã,) [b] donante, locum priùs angustum acceperunt: deinde ad locum alium, de illo ad tertium, & de tertio ad quartum sub eodem patrocinio, diuersis ex caussis migrantes, ibidem fixis radicibus tãdem resedêrunt, Benedixitque eis Dominus, & de rebus angustis ad magnam iam amplitudinem peruenêrunt sub

Vide notas.

[a] *sic, & melius.*

[b] *v. c. donando.*

patre

patre Rogerio miſerandæ ſynceritatis viro, qui adhuc ſuperſtes eſt, in ſenecta vberi, adminiſtrationis ſuæ annis circiter quinquaginta & ſeptem expletis. Fuit autem monaſterij huius initium poſt venerabilis Truſtini deceſſum, memoratis duob. ſcilicet Rieuallis & Fontium in bono iam ſtatu agentibus. Et quoniam ante annos iam plurimos Sauiniacenſes per cuiuſdam Abbatis religioſam inſtantiam in ritus Clareuallenſes tranſiêrunt; hæc tria monaſteria per vnitatem diſciplinæ regularis, arctiori quoque animorum nexu cohærent, & tanquam tria noſtræ prouinciæ lumina, ſacrę religionis prærogatiua refulgent. Quid autem ſentiendum eſt de his & aliis locis religioſis, qui in diebus Regis Stephani copioſius exſtrui, & florere cœpérunt, niſi quod caſtra Dei ſunt hæc, in quibus contra ſpiritualia nequitiæ, Regis Chriſti excubant milites & exercentur tyrones? Eo quippe tempore, cum regiæ potentiæ omnis iam vigor deperiſſet; potentes regni, prout quiſque poterat, vel vt ſuos tutarentur, vel vt alienos fines peruaderent, munitiones conſtruebant. Malis ergo ſic pul-

lulantibus atque abundantibus per mollitiem Regis Stephani, vel potius per malitiam discordias semper nutriẽtis diaboli, superabundauit & gloriosè eminuit sapiens & salubris prouisio Regis magni, qui nimirum tunc temporis solito propensius ad debellandum Regem superbiæ, quales Regem pacificum decent munitiones sibi noscitur exstruxisse. Denique multo plura sub breuitate temporis, quo Stephanus regnauit, vel potius nomẽ Regis obtinuit, quàm centum retro annis seruorum & ancillarum Dei monasteria initium in Anglia sumpsisse noscuntur.

De Gilleberto de Sempringham & ordine quem istituit.

Cap. XVI.

NEc silentio prætereundus est venerabilis Gillebertus, vir planè mirabilis, & in custodia fœminarũ singularis, a quo etiam ordo

Videnotas. Sempringhamensis sumpsit exordium,

& cum celeri prouectu celerem statum. Hic ab annis, vt dicitur, adolescentiæ propria nequaquam salute contentus, sed lucrādarum Christo animarum zelo ignitus, infirmiorem sexum propensius cœpit æmulari Dei æmulatione, pio ausu sumpto ex propriæ castitatis conscientia, & gratiæ supernæ fiducia. Cūque cœptis eius fauor videretur arridere diuinus, veritus ne fortè in vacuū curreret, aut cucurisset, si erumpentem zelū moderatrix scientia non condiret, præsertim minùs adhuc a maioribus institutus tam arduam sollicitudinem arripuisset: virum sapientiæ & sanctitatis titulis clarum venerabilem scilicet Abbatem Clarevallensem sanctum Bernardum adeundum putauit, cuius venerandis cōsiliis informatus, atque in suo proposito roboratus, tantò feruentiùs quantò cōfidentiùs piis cœptis insistere nō cessauit. Prosperatusque est in his quæ gerebat, & sicut de nobili [a] patriarcha dicitur, *ibat proficiens atque succrescēs*: donec magnus vehementer effectus est, tam in multitudine copiosa ad Omnipotentis Dei seruitium aggregata: quàm in adiectione rerum tempo-

[a] Gen 26.

ralium ad neceſſaria ſubſidia corporum
a Math.6. iuxta illud Dominicũ: [a] *Quærite primũ regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicentur vobis.* Denique ſeruorum Dei, duo: & ancillarum Dei octo, non ignobilia conſtruxit monaſteria; quæ & numeroſis repleuit collegiis, & iuxta datam ſibi ſapientiam regularibus ornauit inſtitutis. Et quidem circa ſeruos Dei inſtituendos abundauit indulta ei diuinitus gratia, in ſollicitudine fœminarũ. Quippe in hac parte meo iudicio palmam tenet inter omneis quos inſtituendis regendiſque fœminis religioſam operam impendiſſe cognouimus, & quidem ante annos aliquot ſpiritualibus lucris onuſtus, iamque decrepitus cæleſtis ſponſi paranymphus migrauit ad Dominum. Porro filiorum & filiarum eius numeroſitas permanet. potẽſque eſt in terra noſtra ſemen eius. & generatio eius benedicetur in ſeculum.

Quomodo Guillielmus Eboracensis electus, non accepto pallio depositus sit.

[a] a v. c. caret vocula electus.

Cap. XVII.

VENERABILI Trustino defuncto Eboracensis Ecclesiæ pontificatum suscepit Guillelmus eiusdē Ecclesiæ thesaurarius, vir planè secundùm carnem nobilis, & morū ingenua lenitate amabilis. Qui cum ad sedem Apostolicā responsales idoneos pro petendo solemniter pallio direxisset: emergentibus aduersariis & multa contra eum proponentibus negatū est. Iussūsque ad eandem sedem in propria persona accedere, & pro semetipo tanquam ætatem habens allegare: cauſſis [b] tamen ingraueſcentibus atque inualeſcentibus aduerſariis, piæ quoque memoriæ Papa Eugenio contra eum, ſiue per veritatem ſiue per ſurreptionem implacabiliter irritato depoſitus eſt.

[b] v. c. tandem his autem iunge S. Bernar. epiſt. 234. & notas in eandē edit. 1608.

Reuersusque in Angliam secessit Vvintoniam, ibique à consecratore suo Hẽrico honorificè susceptus, & splendidè exhibitus est, fere per decennium vel excessus vel casus suos deplorans, atque in silentio; temporum mutationem exspectans. Eo sic amoto cathedram Eboracensem Henricus [a] Fontanensis suscepit. annuente potissimùm venerabili Eugenio: qui eius olim apud Clareuallem sub patre Bernardo iodalis & condiscipulus fuerat, eiúsque vitam, mores & industriam optimè nouerat. Denique electioni eius fauorem promptissimum præbuit, & solemniter [b] cõsecratum pallij prærogatiua insigniuit. Quem reuersum in Angliam Rex Stephanus recipere noluit, nisi præstita sibi iuratoria cautione de fidelitate seruanda. Negato autem ei fauore regio: nec ciues Eboracenses eum recipere voluerunt, studia in depositum Præsulem propensiora habentes. Interdicta ergo propter hanc peruicaciam ciuitate, & suspensis Ecclesiæ organis, aduenies Eustachius Regis filius sacra officia celebrari præcepit, & prætentis erroribus non cedentes, ciuitate extrusit.

[a] v.c. Abbas.

[b] abest in v.c.

Propinqui quoque depositi & proprio furore & Regio fauore feroces, cunctis, qui depositioni eius consensisse videbantur, erant infesti atque terribiles, in tantùm vt seniorem Archidiaconum, qui fortè in manus eorum inciderat, abscindere minimè vererentur. Verum post annos aliquot Rege placato ciues Eboracenses proprium antistitem cum gaudio recepêrunt, sicque post diutinum discordiæ malum, illuxit desideratæ pacis serenum.

De causa expeditionis Ierosolymitanæ secundæ.

CAP. XVIII.

ANNO regni sui duodecimo, cum Rex Stephanus extorta (vt supra dictum est) de manibus comitis Cestrẽsis ciuitate Lincolnia potiretur, ibidem in celebritate natalis Dominici solemniter voluit coronari: vetustam superstitionem, qua Reges Angelorum

eandem ciuitatem ingredi vetabantur, laudabiliter paruipẽdens. Denique incunctanter ingressus, nihil siniſtri ominis, ſicut illa vanitas comminabatur, expertus eſt. ſed regiæ coronationis ſolemnibus adimpletis: per dies aliquot exultatione & ſuperſtitioſæ vanitatis deriſione egreſſus eſt. Eodem anno turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus populis & tribubus & linguis Chriſtianis ſub charactere crucifixi Domini Ieroſolymitanum iter arripuit. Cuius celeberrimæ expeditionis talis cauſſa fuiſſe perhibetur. Eſt [a] Meſopotamiæ trans flumen magnum Eufraten ciuitas nobilis, quæ quidem vulgò Roheſia, ſed rectiùs & antiquo nomine Ediſſa vocatur, a diebus Conſtantini Magni Chriſtianæ religionis cultui dedita, & beatiſſimi Thomæ Apoſtoli allatis ex India reliquiis inclita; Huius ciuitatis tantus in fide Catholica feruor ſub Valente Imperatore Arriano fuiſſe [b] memoratur, vt cum ab eodem miſſus aduenisſet præfectus, omnes qui ad Apoſtoli baſilicã orandi ſtudio conuenirent gladio mactaturus, nullus domi reſediſſe re-

[a] *falsò antè legebatur, Moſopotamiæ. Lege notas.*

[b] *Ruffi l. 2. c. 5. Hozon. l. 6. c. 18. Socr. lib 4 c 15. Theo. l. 4 c. 16.*

feratur: sed omneis a minimo vsque ad maximum, vt pro fidei veritate morerentur, illuc multò alacriùs quàm ad epulas concurrisse. in tantum, vt quædam muliercula paruulum secum filiũ trahens dum properat, se simul & sobolem pro Christo expositura ad victimã, irrumperet officium iudicis illuc cum terrore maximo properantis. Deniq; a multis retrò annis, cum Sarraceni occulto Dei iudicio supra modũ in Christianos grassari permissi, captis ciuitatibus clarissimis, scilicet Alexandria, Antiochia, Ierusalem, Damasco, Ægyptum, Syriam, aliasque Orientis prouincias, in quibus Christus colebatur, occupassent; atque in his omnibus Christianum nomẽ exterminassent; sola hęc ciuitas[a] propugnatrix non tantùm murorũ, sed etiam finium suorum, in medio hostium innumerabilium, & ferocissimorum inuicta perseuerauit vsque ad tempus expeditionis Ierosolymitanæ prioris: qua Ierusalem & Antiochiã Christiani expugnatis obtinuere Sarracenis. Tunc enim Turcis incursantibus laborantes Edissẽni, auxilium à nostro exercitu petiẽrunt, & virum fortissimũ

[a] *Paulus tamen Diaconus l. xviij. notauit à Cosrois tẽpore ad* DCXXIX. *annum fuisse detentam Ecclesiam a Nestorianis.*

Baldevvinum fratrem illustrissimi Ducis Godefridi, primum Gallici generis Ducem accepérunt. Quo in Regem Ierosolymitanum post fratrem Godefridum sublimato: Principatus Ediſſenus per alios strennuè administratus est, vsque ad Iocelinum: cuius lubrici hominis petulantia atque libidine actũ est, vt ciuitas Christianæ religionis titulo fere per nongentos insignis annos in manus Turcorum & sacræ fidei exterminium vnius ciuis perfidi proditione traderetur. Is erat genere Armenius, eiusdem ciuitatis ciuis indigena: & iure hereditario habitabat in quadam turri muro coniuncta. Huius filiam prænominatus ciuitatis Princeps formæ captus illecebra vi abstraxit, & stupro polluit. Ille filiam dehonestatam dolens, & astutè dissimulatam doloris magnitudinem vt de vno vlciſceretur ad multorum perniciem trahens: nocte sacratissimæ Dominicæ natiuitatis, cum sacræ in Ecclesijs more Christiano celebrarentur vigiliæ, inuitatos pactis clandestinis Turcos intromisit in ciuitatẽ. Qui nimirum Christianum sanguinem insatiabiliter sitientes: irruêrunt in po-

pulum ſecurè in Eccleſia excubantem. Et Archiepiſcopum quidē (vt dicitur) altari aſſiſtentem mactarunt. Populum verò non reſiſtentem, ſed ſubiti caſus ſtupore rigentem, gladio trucidárunt. Sic capta & in poteſtatem ſpurciſsimæ gentis redacta eſt Ediſſa tantis retro tēporibus ſemper inuicta, & [a] antiqua fidei Chriſtianę alumna. Latiſſimis quoque finibus eius pertinaci hoſtium furore peruaſis, & in eorum immundiſſimam poſſeſſionem cedentibus: Chriſtianæ Religionis cultus trans Eufraten funditus deletus eſt. Tanti mali fama [b] exciti Chriſtiani nominis fortiſsimi principes, ſcilicet Conradus Italiæ atq; Germaniæ Imperator, & Lodouicus Rex Francię Dominicum charactarem mente promptiſſima ſuſcepêrunt, & cum eis multi nobiles populique innumerabiles ex cunctis prouinciis Chriſtianis.

a *v.c. antiquæ.*

b *v.c. excitati.*

monum ita dementatus, vt quum sermone Gallico (Eun) diceretur, ad suam personam pertinere crederet, quod in ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet, *per eum qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.* Ita planè fatuus vt eun & eum nesciret distinguere, sed supra modum stupenda cæcitate crederet se esse dominatorem & iudicem viuorum & mortuorũ. Eratq; per diabolicas præstigias tam potens ad capiendas simplicium animas, vt tanquam ex muscis aranearum opere irretitis, seductam sibi multitudinem aggregaret: quæ tota illum tanquam dominum dominorum indiuiduè sequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diuersas prouincias ferebatur: [a] Interdum vero morabatur cũ suis omnibus in locis desertis, & inuiis, moxque instigãte diabolo erumpebat improuisus, ecclesiarum maximè ac monasteriorum infestator. Accedebãt ad eum plerumque noti eius & propinqui (erat enim non infimi generis) siue vt eum familiari ausu corriperent; siue vt, quomodo se circa eum res haberet, cautiùs explorarent. Videbatur autem

[a] *v. c. in-deque.*

esse circa eum ingens gloria, apparatus fastusq; regius, & qui cum eo erant, solicitudinis laboriſq; expertes: pretioſè indui, splẽdidè epulari, & in ſumma lætitia agere videbantur: in tantum vt pleriq; qui ad corripiendũ eũ venerant, conſpecta eius non vera, ſed fantaſtica gloria, corrumperentur. Fiebant enim, ſed fantaſticè per dæmones: a quibus ſcilicet miſera illa multitudo, non veris & ſolidis, ſed aëriis potius cibis in locis deſertis alebatur. Nam, ſicut poſtmodum per quoſdã audiuimus, qui in eius fuerant comitatu, eoque ſublato tanquam agentes pœnitentiam per orbem vagabantur, in promptu [a] eius erant, quotieſcunq; volebat, panes, carnes, piſces, & quique cibi lautiores. Verùm quod idem cibi non ſolidi, ſed aerij fuerint, ſubminiſtrantibus inuiſibiliter ſpiritibus aëris huius, ad capiendas magis quàm paſcẽdas animas, [b] hinc elucet, quod quantumcunq; ex cibis illis repletionẽ modico ructu exinanitam, tãta mox ſequebatur eſuries, vt eoſdem cibos, illico repetere cogerentur. Quicunque [c] fortè ad eos accedens ex cibis eorum, vel modicum gu-

a v.c. eis.

b v.c. quod, ſed ſuperua caneè.

c v.c. autè.

ſtaſſet, ex participatione [a] mẽſę dæmoniorum mẽte mutata ſpurciſſimæ multitudini continuo adhærebat. Et quicunque ab eis aliquid in qualibet ſpecie accepiſſet, periculi expers non erat. Deniq; fertur [b] quendam militem propinquum illius peſtiferi acceſſiſſe ad eũ, & ſimpliciter monuiſſe: vt abiurata nephanda ſecta illa per communionem Chriſtianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem aſtutè ſuſpendens, oſtendit ei in multiplici ſpecie, fantaſticarum opum amplitudinem; vt blandiente [c] viſarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquit noſter es, ſume de noſtro, quod & quantum vis. Verùm homo prudens cum verba correptionis in ventum fudiſſet, exiuit vt abiret. Armiger verò eius conſpectum miræ pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupiuit. Quo petito & accepto dominũ ſuum iam abeuntem cum lætitia ſequebatur. Cui ille, abijce citò quod portas; non enim eſt auis, vt videtur, ſed dæmõ ſic transformatus: cuius verbi veritas poſt modicum claruit. Cum enim inſipiens nollet audire monentem: primò

a *ante hac legelatur menſa, ſed mendoſè.*

b *malè antea quondã*

c *v.c. multorum.*

conqueſtus, quod accipiter ille vnguibus ſibi pugnũ fortiùs ſtringeret: mox ab eodem per manum in aërem ſubleuatus deinceps non comparuit: Sanè cũ peſtifer ille [a] ita debaccharetur (vt dictum eſt) ſæpius a principibus ad veſtigandum & perſequendum eum exercitus fruſtra mittebatur: quæſitus enim non inueniebatur. Tandem verò fraudatus ope dæmonum, cum nõ ampliùs per illum debacchari ſinerentur (non enim [b] niſi a ſuperioribus poteſtatibus iuſto Dei iudicio relaxantur) leui negotio a Remenſi Archiepiſcopo comprehenſus eſt: & populus quidem ſtolidus, qui eum ſequebatur, dilapſus eſt. Porro diſcipuli, qui ei arctiùs adhærebant, eiuſque cooperatores exſtiterant, cum ipſo capti ſunt. Cùm ergo ſtaret in conſpectu concilij, interrogatus a ſummo Pontifice quiſnam eſſet reſpondit. *Ego ſum ille,* [c] *qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem.* Habebat autem in manu ſua baculum inuſitatæ formæ, in ſuperiori ſcilicet [d] bifurcum Interrogatus quid ſibi vellet baculus ille; *res,* inquit, *grandis myſterij eſt. Quãdiu enim ſicut nunc videtis duobus cælum capitibus*

a *v. c. addit per operationem ſathanæ.*

b *cod. amplius poſſũt quã à Deo &c.*

c *v. c. Eum vt ſuperioribus reſpõdeat.*

d *v. c. addit parte.*

pitibus ſuſcipit: duas orbis parteis Deus *poſſidet, tertiam mihi partem cedens. Porro ſi eadem duo ſuperiora capita baculi* [a] *ſummitatem vſque ad terram, & inferiorem eius partem, quæ ſimplex eſt erigam, vt cælum ſuſpiciat: duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam, tantummodo partem Deo relinquã.* Ad [b] hæc riſit vniuerſa ſynodus, deriſitque hominem tam profundè datum in reprobum ſenſum. Iuſſus autem ex decreto concilij, ne peſtis iterum ſerperet diligẽter cuſtodiri, tempore exiguo ſuperuixit. Diſcipuli verò eius quos magnis inſignierat nominibus, alium ſcilicet vocans ſapientiam, alium iudicium, & in hunc modum cæteros; cum ſanam doctrinam nulla ratione reciperent, [c] potiùs obſtinatiſſimè de falſis gloriarentur vocabulis, in tantum, vt ille qui *Iudicium* dicebatur, ſuis detentoribus vltricem infelici fiducia comminaretur ſententiam. Curiæ priùs, & poſtea ignibus traditi, ardere potius quàm ad vitam corrigi maluêrunt. Audiui a quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quod audierit illum, qui *Iudicium* dicebatur, cum ad ſupplicium duceretur, crebrò

a *v.c. humiliauero.*

b *v.c. hoc reſponſum.*

c *v.c. ſedpi v.c. ſun,*

dicentem, Terra findere: tanquam ad oris eius Imperium, terra aperienda esset, & deuoratura [a] sicut Datan & Abiron, hosteis eius. Tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit.

a num. xvj. Deuter. xi. Psal. 105.

Quomodo Conradus Imperator & Rex Lodouicus exercitum duxêrunt in Orientem.

Cap. XX.

1147. ANNO a paratu virginis M C.XLVII. tantæ expeditionis explicito apparatu: vterq; Princeps iter arripuit, & exercitu bipertito. Imperator enim præcedebat itinere dierum aliquot, cum Italorum & Germanorũ aliarumque gentium amplissimis copiis. Rex verò sequebatur, Francorum, Flandrensium, Normanorum, Britonum, Anglorum, Burgundionum, Prouincialium, Aquitanorum equestri simul & pedestri agmine comitatus. [b] Ingressi Pannonias, illarũ gentiũ placato Rege, vt exercitui

b v. c. qui.

venalia non deeſſent, Danubium tranſierunt: & per Thracias, ſuppetente venaliũ copia, proſperè vſq; ad vrbẽ Conſtantinopolitanã venerunt. Ibi fixis extra vrbẽ tentoriis per dies aliquot exercitũ recreantes: pactis tandẽ cum eiuſdem vrbis Imperatore[a] conuentis, anguſtũ illud fretũ quod Brachiũ S. Georgij dicitur, tranſmeárũt. Ingreſſiq; Aſiã minorem, cuius pars quædam Conſtãtinopolitanæ ditionis eſt, partem verò reliquã Soldanus Iconij poſſidet, Græci Imperatoris perfidiam experti ſunt: cuius tamen noſtri quibuſdam exceſſibus motum incurrerant, cũ Omnipotentis Dei, ſuperbè & diſciplinatè agendo, contra ſe iracundiam accendiſſent. Legimus olim numeroſiſſimum Domini exercitum vnius hominis etiam occultè peccantis ſcelere ita inquinatũ, & fauore diuino nudatũ, vt eneruus & languidus appareret. Conſultus Dominus, reſpondit populum anathemate pollutũ eſſe, & adiecit.[b] *Anathema in medio tui eſt, Iſrael: non poteris ſtare aduerſus hoſtes tuos, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus eſt ſcelere.* Porro in noſtro illo exercitu tanta tam contra Chri-

[a] *v. c. celebratis.*

[b] *Ioſue. 7.*

ſtianam quàm cõtra Caſtrenſem etiam diſciplinam mala increuerant: vt mirum non ſit, quod eis tanquam pollutis & immũdis fauor nequaquam diuinus arriſerit. Caſtra enim a caſtratione dicuntur luxuriæ. At caſtra illa noſtra caſta non erant: in quibus vtique infelici quadam licentia [a] multorum ſpumabant libidines. Præſumentes quoque de multitudine & inſtructu copiarum, atque ita carnem brachium ſuum ſuperbè ponentes, in Domini, pro quo æmulari videbantur, miſericordia atq; potentia minùs confidebant, declaratumque in eis eſt, quia [b] *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam.* Præterea in terra Chriſtiani Imperatoris, cum quo fœdus [c] percuſſerant, & quo iubente, venalia vel afferebantur, vel abundabant, minus a rapinis temperabant. Immiſit ergo eis infenſus Imperator, hinc famem, inde hoſtem: tanti ſanguinis Chriſtiani periculum Chriſtianus minimè perhorreſcens. Denique venalibus prohibitis, cum pro victualibus congerendis propter [d] hoſtiũ inſidias noſtri non valerent excurrere: Primo, exercitus fame cõtabuit: Dein-

vide notas.

a v.c. multi

b Iacobi. 4.

v. c. antea percuſſerũt.

d anteà hoſtiam ſed malè.

de hostium exceptus insidiis, vel Turcorum gladios inebriauit, vel Christianæ statum libertatis ignominiosissimæ atq; infeliciſſimæ seruitutis sorte mutauit. Nec superbis atq; immundis castigandis iræ defuére cælestes,[a] & plerũq; (vt dicitur) effusa desuper [b] intempestiuarum nubium inundatio de exercitu nostro plus minuit, quam hostilis gladius.[c] Itaque duorum exercituum maximorum parte longè maiore diuersis casibus & cladibus profligata, cum parte residua duo illi magni Principes ægrè exitium euadentes, Ierosolymam venerunt: & nulla re mèmorabili facta, inglorie recesserunt.

[a] *v.c.sed*
[b] *v.c intẽpestiuorum imbrium.*
[b] *v.c.addit deuorauit.*

De Raimundo Principe Antiocheno, & captione Ascaloni.

Cap. XXI.

Illis ad propria cũ ignominia reuersis, Sarraceni de cæsæ vel captæ multitudinis Christianæ gentibus spoliis ditati, facti sunt incliti. Denique suc-

ceſſu ſuperbi, & confidentia virium plus ſolito efferati Chriſtianis ſe finibus immerſerunt. Omne genus Chriſtianum in Orientis partibus abradere meditantes, atque huius molitionis quaſi fauſta principia interfecto Raimundo Chriſtianiſsimo Antiochiæ Principe prælibātes. Quippe hic fuerat Chriſtiani nominis in Oriente fortiſſimus propugnator, atq; inſignium geſtorum titulis veteris in ſe Machabæi transfuderat gloriam. Memini me (cū eſſem adoleſcentulus) vidiſſe quendam venerabilem monachū ab Orientis partibus cū magnis ſuffragiis veniētem, qui ex eiuſdē clariſſimi Principis olim militia fuerat. Hic inter plura, quæ de ipſo memoranda referebat, eum ob inſigne virtutis Turcis tam terribilem fuiſſe perhibebat: vt quotiens contra eum producturi eſſent exercitum, contra eius gladium centum milites, & totidem cōtra eius lanceam ſcriberent. Cum ergo (vt dixi) ijdem hoſtes recentibus Chriſtianorū cladibus alacres fineis Antiochenos ſolito ferociùs incurſarēt, ille conuentum non ſuſtinēs ſufficientium copiarū paullo inconſideratius ex virtutis

conscientia cum paucis se dedit discrimini, oppressúsq; multitudine, post fortia gesta non secus quàm antiquus ille Machabæus occubuit. Cum autem hostes erectis vsque in cælum animis Antiochiam irrumpere cogitarent, audito Christiani[a] principis occasu, magnanimus Rex Ierosolymorum Baldevvinus cum Cruce dominica & militia tẽpli ocior aduolat: & hostium molitiones præueniens, [b] Antiochiam ciuitatẽ ingreditur. Hostes nihilominus irruũt, ciuitatem obsidione concludunt. Sed qui superbis paulo antè restiterat, humilibus illis dedit vberem gratiã. Deo enim propicio paulatim respirantes atque inualescentes, hosteis iam crebris successibus tumidos non solùm obsidionem deserere: sed etiam finibus suis cum dedecore excedere compulêrunt; viribusque paulatim crescentibus non multo post [c] hostium fineis ingressi, eos, qui paulo antè aliena inuaserant: propria cum summo periculo tueri coëgêrunt. Denique post annos aliquot, militia templi Gazam antiquissimã Palestinæ ciuitatem olim dirutam reparauit, & fertilissimos eius fineis obtinuit.

a *v.c. syderis nec absre: quandoquidem sic irradiaret quasi geminis Polluce & Castore: pietate & fortitudine.*

b *v.c attonitã, fortè ob Raimundi acerbum casum.*

c *v.c. modicum.*

Inclytus quoque Rex Baldevvinus Ascalonam eiusdem prouinciæ, & florentissimam atque munitissimam ciuitatē, quæ nunquam antea a Christianis expugnari potuerat, cum multa gloria expugnauit & cepit, sicque tota Palestina in ius & potestatem Christianorum redacta est.

De intestinis malis Angliæ sub Rege Stephano.

Cap. XXII.

INTEREA dum circa nostros vel a nostris in Oriente talia gererentur, Anglia intestinis malis exanguis & saucia tabescebat. Et quidem de quodam tempore [a] plebis antiquæ scriptum est. [b] *In diebus illis non erat Rex in Israel: sed vnusquisque, quod rectum sibi videbatur, faciebat.* At in Anglia sub Rege Stephano peius fiebat. Nam quia tunc impotens erat Rex: & per Regis impotentiam languida lex, quibusdam quod rectum sibi videbatur

a *in ms. ora erat, legis.*
b Iudic. 17.

agentibus; multi, quod insita ratione malum esse sciebant, sublato Regis & legis metu procliuiùs faciebant. Et primo quidem videbatur regnum Angliæ sciſſum esse in duo; quibusdam Regi, quibusdam verò Imperatrici fauentib. Non quod vel Rex, vel Imperatrix suæ parti potenter imperaret; sed quod suorum bellicis quisque studiis pro tempore niteretur. Neuter enim in suos imperiosè agere & disciplinæ vigorem exercere poterat; sed vterque suos, ne a se deficerent, nihil negando mulcebat. Sanè inter parteis (vt superiùs dictum est) diu multúmque m certatum est, alternante fortuna. Processu verò temporis inter eos iam sæpius fortunæ infidelitatẽ expertos, remissiores motus esse cœpêre: quod tum Angliæ nõ cessit in bonum. Illis quippe diutinæ concertationis pertæsis, & molliùs agentibus, prouinciales discordantium Procerum motus efferbuêre. Castella quippe per singulas prouincias studio partium crebra surrexerãt, erantque in Anglia quodammodo tot Reges, vel potius tyranni: quot Domini castellorum, habentes singuli percussurã proprij nusmismatis,

& potestatem subditis, regio more, dicendi iuris. Cumque ita singuli excellere quærerent; vt quidam superiorem, quidam vel parē sustinere non possent, feralibus inter se odiis disceptantes, rapinis atque incendiis regiones clarissimas corrupērūt: & in fertilissima olim patria, fere omne robur panis absumpsērunt. Aquilonaris vero regio quæ in potestatem [a] Domini Regis Scottorū, vsque ad fluuium [b] Tesam cesserat; per eiusdem Regis industriam in pace agebat, ad quem Henricus ex nepte eius Matilde olim Imperatrice Andegauēsis Comitis filius, & Angliæ Rex futurus a matre missus iam pubes accessit: at ab eo apud Lugubaliam (quæ vulgo Carleil dicitur) cingulum militare accepit: præstita priùs (vt dicitur) cautione, quod nulla parte terrarum, quæ in eiusdem ex Anglia ditionē transissent; eius vllo tempore mutilaret hæredes.

[a] *in v.c. erat duplex D quod videtur significare Dauid.*

[b] *v.c. Thesyam. Vide notas.*

De Rege Scottorum Dauid & filio eius, & filiis filij eius.

Cap. XXIII.

EIS DEM temporibus iuuenis clarissimus, & quod in homine latas seculi vias ambulante inuenire difficile est, cũ morum suauitate, eorundem etiam syncerirate conspicuus, Henricus scilicet [a] memorati Domini Regis filius, Northũbriæ Comes, & regni successor speratus, cum ingenti Anglorum simul & Scottorum luctu morte immatura reb. excesit humanis, relictis ex coniuge, quæ [b] Guarẽnẽsis fuerat Comitis filia, tribus filiis & totidem filiab. Casus quidem acerbissimus viscera pij patris cõcussit, sed cõstantis animi pondus (erat enim vir bonus & sapiens) decentem [c] doloris modum fecit, complexusque nepotes duos, nam tertium (ni fallor) grauida nondum mater ediderat: filium in eis viuere reputans; consolationem

[a] *v. c. vnimemorati.*

[b] *v. c. Guerrenensis.*

[c] *sic & in v. c. sed forsan melius dolori.*

recepit. Denique post annos aliquot generale debitum soluturus, Malcolinũ Filij primogenitum adhuc impuberem regni Successorem declarauit, fratri [a] eius Guilelmo comitatum Northumbriæ assignauit. Et maior quidem natu, tam morum similitudine, quàm corporis habitudine patrissare, magis; minor verò matrissare, ideſt, materni generis imaginem in vultu & moribus prætendere videbatur. Dormiuit ergo Scottorum [b] Dominus cum partibus suis, [c] vir magnus & glorioſus in seculo: nec minoris gloriæ in Christo. Nam sicut accepimus a fide dignis testibus, qui eius vitam actusque nouêrunt; vir fuit religioſus & pius. Vir multæ prudentię, summique moderaminis in administratione temporalium, & nihilominus magnæ deuotionis in Dominum. Vir post regni negotia ad diuina nequaquam officia segnior: vel propter diuina quib. insistebat officia, ad negotia regia [d] obtusior Post honorabiles nuptias & thorum immaculatum, ex quo illi vnicus natus est filius, qui simillimis morib. patrem exprimeret, annis plurimis in cælibatu [e] permansit, in piis largitionibus

a *v.c. verò.*

b *v.c. vbique vice, Dominus scribit DD III. Dauid quod & titulus impressi libri planè habebat.*

c *Sub quo, inquit Nicolaus. S. Bern. Amanuensis ep. 31. Et virtus mercede, & vitiũ vltione non caruit.*

d *antea, malè, obtunsior.*

e *v.c remansit.*

tam profusus, vt præter copiosam dispersionem in pauperes, eleemosynas illius enarrent ab ipso fundatæ, dicatæ, & ornatæ multæ ecclesiæ Sanctorum. Sane cum [a] illi quem Dominus pronuntiauit se inuenisse virum secundùm cor suum, cum titulo vocabuli in multis similimus fuerit: in quodam etiam non paruo inter multa & præclara bona, excessu ab eius similitudine non recessit. Sicut enim ille post multa virtutum insignia [b] in adulterium simul & [c] homicidium, in altero eneruis, in altero nequam incidit: ita & iste alias quidem bonus & pius, Scottorum gentem ex effrænata barbarie sanguinis auidam, & neque ætati, neque sexui, licet eo nolente & frustra prohibente perciturum, Anglorum immisit prouinciæ, dum pro nepte sua olim Imperatrice, cuius iustã, vt credebat, partem fouebat: plus iusto æmularetur. At sicut ille per [d] excubantem electoris sui gratiam vulnus illud vel potius vulnera pia humilitate sanauit, ita etiam iste tanti excessus reactum dignis (vt credimus) pœnitentiæ fructibus expiauit: Itaque non solũ in executione piorum operum, verum etiam in

a *corruptè, c. imp. illi, sed & orationis textus repugnat, & v c.*

b *lege* 11. *Reg c.* 11.

c *homicidiũ Vriæ suprà descriptũ.*

d *v.c. exuberantem.*

actione fructuosæ pœnitentiæ; regiam antiqui Dauid formã nouus iste Dauid Rex, non barbarus barbaræ gentis impleuit. Notandum etiam quod sicut ille post pœnitentiam, ob prioris peccati meritum diuinitus castigatus est, per [a] nequissimum filium; ita iste quoque quamuis longè mitiùs per quendam pseudomonachum & Episcopum. Quẽ nimirum ego postmodum apud Bellelandam nostram sæpius vidi, actusque eius insolentissimos cum dignissimo didici. Quæ vtique silentio præteriri non debent: vt cognoscant & posteri quomodo in homine illo glorificatus sit, [b] qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam.

a *Absalonem lege c. 15. 16. 17. 18. Reg. 11.*

b *Nempe Deus, de quo hæc scripsere Iacob. 4 & 5. Petr. 1. epist. 5. ante hæc mendosè. xxv.a*

De Vvimundo Episcopo, & quomodo occæcatus fuerit.

CAP. XXIIII.

IDEM obscurissimo in Anglia loco natus, cum perceptis literarũ rudimentis non haberet vnde in scholis subsisteret: artis scriptoriæ scio-

lus quibuſdam religioſis antiquarii officium pro toleranda inopia impendebat. Deinde apud Furneſium tonſuratus, & regularem vitam profeſſus, cum nactus eſſet ſcripturarum copiam, cum otio competenti, adiutus triplici bono, ſcilicet acri ingenio, illabili memoria, apto eloquio, ita in breui profecit, vt magnæ ſpei eſſe videretur. Euolutis diebus in inſulam cum fratribus miſſus: ſuauitate eloquij, & iocunditate faciei, cum eſſet etiam producto & robuſto corpore, ita barbaris placuit: vt ab eis in Epiſcopum peteretur, & eorum quidem completum eſt deſiderium. Mox ex ſucceſſu intumuit, & grandia moliri cœpit. Nec contentus epiſcopalis dignitate officij, animo iam ambulabat in magnis & mirabilibus ſuper ſe; eratque [a] ei corde vaniſſimo, os loquens ingentia. Denique congregans viros inopes & audaces, iudicium veritatis non veritus, propoſuit ſe [b] filium Comitis Murauenſis, hæreditate patrum ſuorum a Rege Scottorũ ſpoliatum, cordi ſibi eſſe non ſolùm ius ſuum [c] perſequi, ſed etiam vlciſci iniurias, illos ſe velle & habere periculi &

[a] *v.c. cum.*

[b] *v.c eſſe: quam certè voculâ deſideratiſſima ipſa oratio.*

[c] *v.c. proſequi.*

fortunæ consortes, rem quidem esse aliquanti laboris & periculi, sed magnæ claritatis, & plurimi emolumenti. Accensis ergo omnibus, atque in verba eius iurantibus: per vicinas cœpit insulas ferociter debacchari, eratque iam
Gen.10. quasi Nembroth robustus venator coram Domino: dedignatus iuxta Episcopalis officij debitum hominum esse piscator cum Petro. Augebatur indies satellitum copiis, inter quos nimirum ipse eminens fere ab humero & sursum, tãquam dux magnus omnium animos accendebat. Excurrebat in prouincias Scotiæ: rapinis & homicidiis cuncta exterminans. Cumque aduersus eum regius exercitus mitteretur: in remotioreis se saltus recipiens, vel in Oceanum refugiẽs, omnem illum apparatum bellicum eludebat, & recedente exercitu, rursum ex locis abditis, ad infestandas prouincias erũpebat. Cum ergo in omnibus prosperaretur, esset que iam ipsi etiam Regi terribilis: quidam Episcopus vir simpliciss:mus mirabiliter eius impetum ad tempus repressit. Cui cum ille bellum denuntians exterminiũ minaretur, nisi vectigal penderet: volũtas, inquit,

inquit, Dei fiat. nam meo exemplo nũquam aliquis Episcopus alterius Episcopi fiet tributarius. Cohortatus ergo populum suum, illi cum furore venienti sola fide maior, nam in cæteris longè impar occurrit, & pro suorum animatione primum ipse belli dans ictum; iactata securi modica, hostem in fronte gradientem Deo volente prostrauit. Quo casu confortatus populus: in prædones fortiter irruit, & eorum magna parte cæna: ducem ferociſſimum eneruiter fugere compulit. Solebat autem hoc ipse postea inter amicos cum iucũditate narrare tanquam glorians, quod solus eum Deus per simplicis Episcopi fidem vincere potuisset. Ego quoque hoc ipsum, quodam qui de numero satellitum eius fuerat, & cum cæteris qui euasêre, fugerat; referẽte cognoui. Resumptis autem viribus per insulas atque prouincias Scotiæ debacchatus est vt priùs. Quamobrem Rex compulsus est placare prædonem; saniori plane vsus consilio: vt cum hoste tumido callidoque, cum quo fortiter agi non poterat, sapienter ageretur. Cedens ergo illi quandam prouinciam cum monasterio

Furnesiensi, excursiones eius interim suspendit. Cum autem per subditam prouinciam tanquam Rex [a] valente exercitu gloriosè ferretur, ipsique monasterio, cuius monachus fuerat supra modum grauis existeret, de consensu nobilium insidiati sunt ei quidam prouinciales, qui eius vel potentiam vel insolentiã exosã habebant. Nactíque tẽpus opportunum, cum præmissam ad hospitiũ multitudinẽ lento pede & raro stipatus satellite sequeretur; comprehensum vinxêrunt: vtrumque illi oculum, quia [b] vterque nequam erat, eruêrunt, causamque virulenti germinis amputantes, eum pro pace regni Scottorum, non [c] propter regnum cælorum castrauêrunt. Qui postea Bellelandam nostram venit, ibique annis plurimis vsque ad obitũ quietus permansit. Ferţur tamen tunc dixisse quia si vel passeris oculum haberet, inimici eius de actis in eum minimè exultarent.

a v. c. *Vallante, & rectius, ni fallor.*

b v. c. *vtróque. Videtur autem auctor respexisse illud Euang. an oculus tuus nequã est, quia ego bonus sum: patres autẽ moraliter in scripturis exponũt oculum pro intentione: eò quoque specta. Euang Parab. Math. 19.*

c *alludit ad Christi dictum Math. 19. Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regna cælorum.*

De Malcolino Christianissimo Rege Scottorum.

Cap. XXV.

MEMORATO ergo Scottorum Regi Dauid, Malcolinus maior natu nepotum eius ex filio nondum pubes succesſit. Qui venerabilem auum in multis bonis exæquans, in quibuſdam etiam glorioſè ſuperans in medio nationis barbaræ, & peruerſæ tanquam ſydus cæleſte refulſit. Præuentus enim a Deo in benedictionib. dulcedinis, vt a tenero, ſuperni amoris feruorem conciperet, in tota vita ſua candore pudicitiæ, titulo humilitatis & innocentiæ, puritate conſcientiæ, morum ſuauitate pariter & grauitate ita excelluit, vt inter ſeculares (quib. [a] ſolo habitu congruebat) monachus, & inter homines, quibus imperabat, terrenus quidam Angelus videretur. Mira quidem hæc in Rege, & rege gentis tam barbaræ, quam vtique Deo cuncta

[a] *v. e tote.*

opera eius dirigente ita regebat, vt propter illa virtutum insignia barbaris nō esset despectui, sed potius admirationi & amori: dum per regiam auctoritatem & seueritatem improbis & audacibus maximo esset terrori. Non enim defuêre, qui nouis motib. intumescentes, vel eum impetendum censerent, vel cōsueta illi denegarent. Quos nimirum Deo sibi manifestè cooperante ita vel contriuit, vel domuit; vt omnes deinceps formidarēt molestiesse viro, cū quo erat Deus. [a] Sed nec defuêre illi in ingressu pubertatis, quidā immissi a Satha na, qui cum in seipsis castitatis iacturam pro nihilo ducerent; eum quoque & ad carnalis experientiam voluptatis ausu improbo & virulentis suasionibus titillarent. Illo verò, qui iam [b] sequi agnum cupiens quocunque iret, sanctæ integritatis Zelum toto pectore hauserat, & thesaurum istum in carne fragili tanquam in vase fictili cautè custodiendū, nullo quidem homine, sed Deo tantum intus docēte sciebat: indecoras coæuorum, vel etiam eorum quos loco magistrorum colebat, suasiones primò contempsit; ac deinde, cum nondum quie-

a *v c. Non tamen.*

b *ad rem trahit illud Apocal. 14. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnū quocunque ierit.*

ſceret: voce & vultu cum quadã auctoritate, ita repreſſit, vt eorum nullus de cætero talia illi auderet ingerere: at in his [a] repulſus hoſtis ſtimulante inuidia non quieſcit, [b] fortioreis contra puerũ Dei, inſidias ſtruit, Matrẽ adornat, quæ illi virus occultum tanquam conſilium maternæ pietatis inſibilet, & non ſolùm blandiendo alliciat: ſed etiam imperiis vrgeat; Regem, non monachũ eſſe moneat, ætati & corpori eius amplexus puellares maximè congruere doceat. Matris importunitate victus magis quàm victus: aſſentiri viſus eſt, ne contriſtaret parentem. Læta illa cubantis iam filij lecto aſſiſtens virginem ſpecioſam & nobilem ad latus non obluctantis collocauit. Ille egredientibus conſciis ſecretum nactus, & charitatis magis quàm carnis igne ſuccenſus, illico ſurrexit, & cubile regium toto noctis ſpatio virgini cedens: opertus pallio in pauimento dormiuit. Eo manè a cubiculariis ſic inuento, & [c] conſueto virginis teſtimonio: vtriuſque eſt declarata virginitas. Matrem poſtea vel obiurgare vel blãdiri adjicientem, quadam conſtantis animi auctoritate cum-

a v.c. repulis.
b v.c. ſed.
c v.c. conſecuto.

pescuit, vt super hoc audendum vlterius non putaret. Dicant quod voluerint veneratores signorum, & ex miris merita metientes: & ex sola signorum claritate sanctitatis titulum tribuentes: Planè ego illud in Regeiuuenculo, sic impugnatæ sed inexpugnatæ integritatis miraculum, prę ferendum censeo nō solum illuminationi cæcorum, sed etiã suscitationi mortuorum.

---

a *Perperã v.c. inserebat, de Malcolino.*

a De *institutione Hugonis Dunelmensis Episcopi, & restitutione Guillelmi Eboracensis, & de morte eius.*

Cap. XXVI.

VT autem a Scotia paululùm regrediar, defuncto Guillielmo de Sancta Barbara Dunelmensi Episcopo viro religioso: Hugo Eboracensis Ecclesiæ thesaurarius propter nobilitatẽ generis (erat enim propinquus Regis Stephani) ad Pontifica-

tum Dunelmensis ecclesiæ electus est: venerabili Henrico Eboracēsi Archiepiscopo, ad quem Dunelmēsis Episcopi spectabat consecratio, plurimū obnitēte, atq; obtēdente & minùs canonicā electi ætatē, & minùs probatam morum eius grauitatē. Ascēderūt ergo maiores ex electoribus cum ipso electo ad sedē Apostolicam, pro negotio tam electionis quàm consecrationis, iam dicto Archiepiscopo pro se responsalem mittente: qui & electioni contrairet, & consecrationē impediret. Sed venerabili Eugenio, qui eiusdem Archiepiscopi apud Clareuallē condiscipulus fuerat ex hac luce paulò antè subtracto: inuenērunt Anastasium sedi Apostolicæ præsidentem. Tres quippe viri memorabiles, & in vita sua amicissimi tempore illo decedentes, in morte quoque breuibus interuallis, separati, scilicet Eugenius Papa Romanus, Bernardus Clareuallis Abbas, Henricus Eboracensis Archiepiscopus: è quib. Eugenio & Bernardo prius absumptis, Henricus euestigio secutus est. Vulgato autem duorum transitu, tertio adhuc supertiste, Guillelmus olim Eboracēsis[a], qui Vvintoniæ mo

[a] v. c. Archiepiscopus.

rabatur, ſpe recuperationis concepta (nam prior eum depoſuerat, ſecundus vt deponeretur egerat, tertius depoſito ſucceſſerat) ſedem Apoſtolicam celeriter adijt: iudicium non accuſans, miſericordiam humiliter poſtulauit. Et ecce certus de tranſitu ex Anglia Eboracenſis [a] Epiſcopi nuntius ſuperueniens: verecundiſſimas eius preces multùm adiuuit. Et quidem Dunelmenſis electus, qui prior illuc venerat, a Domino Papa ſolemniter conſecratus: illius qui poſterior aduenerat pendente adhuc fortuna diſcesſit. Sed tandem prioris iudicij rigore ſublato, Apoſtolicę manſuetudinis clementiam expertus: miſerante eius canos Papa cum Cardinalibus, & ſatagente circa eius negotium maximè quodam Gregorio magni nominis Cardinali, homine facundiſsimo & profundiſsimæ aſtutiæ, atque animi verè Romani. Itaque in integrum reſtitutus, & pallio, quod nunquam eatenus impetrare potuerat, inſignitus, Sabbato ſancto Vvintoniam rediit, ibique celebrata ſolemnitate Paſchali, poſt [b] albas ad ciuitatem propriã properauit. Occurérunt autẽ ei ex-

[a] v.c. Archiepiſcopi.

[b] v.c. Octauas.

tra ciuitatem minus pacificè Robertus Eboracenſis eccleſiæ Decanus, & Oſbertus Archidiaconus, qui, vt eum a deſiderata ſede arcerent, propoſitis capitulis aduerſus eum fortiter appellarunt. Ille nihilominus progrediens, ſolemni occurſu, & ingenti applauſu a Clero & populo ſuſceptus eſt. Prænominati verò eius aduerſarij Theobaldũ Cantuarienſem Archiepiſcopum, Apoſtolicas tunc in Anglia vices agentem, concitè adeuntes, eiuſdem fauore & ſuffragiis vtebantur. Porrò ille receptã non multo poſt albas Paſchales eccleſiam decenti moderamine regens, & ingenita lenitate nulli oneroſus exiſtens: paucis poſt Pentecoſtem euolutis diebus febre corripitur, & rapitur ex hâc vita, ingenti tam clericis quam laicis ex mitiſſimi Paſtoris occaſu, luctu relicto. Sanè propter inopinatum eius tranſitum a multis creditur veneno extinctus aſſerentibus eum ex ſacro calice per quendam [a] ab aduerſariis immiſſo vel pro eis æmulantem infecto, potũ mortiferum (quod dictu horrendum eſt) & cum potu mortẽ hauſiſſe. At hoc mera quorundã [b] opinione, quam tamẽ pe-

[a] *v. c. ex.*

[b] *v. c. opinio eſt.*

a v. c. veritatem.
b v. c. non habet duas illas voculas.

tulanter velut perſpicuam [a] veritate ſpartîerunt [b] in vulgus. deniq; ego proceſſu temporis cum fama iſta crebreſceret, quendam virum magnum & grandæuum, Rieuallis monaſterij monachum iam valetudinarium & morti vicinum, qui eo tempore Eboracenſis eccleſiæ Canonicus & memorato Archiepiſcopo familiaris exſtiterat, ſuper hoc cum adiurationibus percunctandum putaui. Qui conſtanter reſpondit, hoc eſſe mendaciſſimum conceptæ a quibuſdam opinionis commentum: ſe quippe cum ſcelus illud attentatum dicitur, præſentem atque Archiepiſcopo aſsiſtentem fuiſſe, nullo modo malignum quemquam inter circumſtanteis fideliſsimos ad aliquid tale audendum irrepere potuiſſe. Illud quoque falſum eſt quod dicunt eum amicis ſuadentibus antidotum guſtare voluiſſe: eum ab eis hoſtilis malicia in eum aliquid auſa putaretur. & ad hoc ſuum vel opinabile vel commentum firmandum fertur eum dixiſſe, quod cæleſti antidoto non adiiceret humanum. Quod vti-

c Deut. 6 Matth. 4.

que quia vir ſapiẽs fuit, & [c] Dominum non eſſe tentandum, diuina auctoritate

edoctus: nec dixisse neque egisse credẽdus est. Ad hoc Symphorianũ familiarẽ clericum eius, qui in eius obsequio non paruo tempore fuerat, & ægrotanti deuotus minister astiterat, audiui dicentem, quod amicis suadentibus antidotum sumpserit, quod vtiq; [a] sapiens credendus est. Ab eodem quoque audiui, amicos qui aderant ob hoc maximè, ad putandum quod mortiferum quid biberit, fuisse procliues, quia dentes eius, qui candidi fuerant, in extremo illo incommodo nigrescere cœperant. At hoc ridetur a medicis [b] cum homines morituri passim nigrescere soleant. Porro Eboracensis Archiepiscopi morte comperta, Robertus Decanus, & Osbertus Archidiaconus annitente & cooperante Cantuariensi Archiepiscopo Apostolicæ sedis legato, Rogerium eiusdem Archidiaconum ad Eboracensis Ecclesię cathedram elegerunt, magnisque suffragiis atque terroribus Eboracense Capitulum ad consentiendum induxerunt. Et de hoc quidem pleniùs suo loco dicemus.

a *locus corruptus sic ex ms. restituitur, quod vtique vir sapiens fecisse credẽdus est.*

b *v.c. dentes hominis*

De viridibus pueris.

Cap. XXVII.

NEc prætereundum videtur inauditũ a ſeculis prodigium : quod ſub Rege Stephano in Anglia noſcitur euenisſe. Et quidem diu ſuper hoc cum tamen a multis prædicaretur, hæſitaui ; remque vel nullius vel abditiſſimæ rationis in fidem recipere ridiculum mihi videbatur : donec tantorum & talium pondere teſtium ita ſum obrutus, vt cogerer credere & mirari, quod nullis animi viribus poſſum attingere vel rimari. Vicus eſt in Eſtanglia quatuor vel quinque (vt dicitur) miliarijs diſtans a nobili monaſterio beati Regis, & martyris Edmundi. Iuxta quem vicum quædam antiquiſſimæ foſſæ viſuntur : quæ ſermone Anglico a Vulfputes, i. luporum foſſæ dicuntur, & vico, cui adiacent, ſuum nomẽ indulgent. Ex his foſſis tempore meſſis, & occupatis circa frugum collectionem

a videntur.

per agros messoribus : emersêrunt duo pueri masculus & fœmina, toto corpore virides, & colotis insoliti, ex incognita materia veste operti. Cumque per agrum attoniti oberrarent, comprehẽsi a messoribus ducti sunt in vicum, multisque confluentibus ad tantæ nouitatis spectaculum : per dies aliquot tenti sunt cibi expertes. Cum ergo inedia iam pæne deficerent, nec tamen aliquid ciborum, qui offerebantur, attenderent : fortè ex agro contigit fabas inferri : quas illico arripientes, legumen ipsum in thyrsis quæsierunt, & nihil in concauitate thyrsorum inuenientes, amárè fleuêrunt. Tunc quidam eorum, qui aderãt, legumen ex corticibus erutum porrexit eis, quod statim libenter acceptum, comederunt. Hoc cibo aliti sunt per menseis aliquot: quousque panis vsum nouérunt. Denique colorem proprium, ciborum nostrorum prævalẽte natura paulatim mutantes, & similes nobis effecti : nostri quoque sermonis vsum didicêrunt. Vitumque est prudentibus, vt sacri Baptismatis perciperent sacramentum, quod & factum est. Sed puer qui minor natu videbatur

poſt Baptiſmum breui viuens tempore immatura morte deceſſit, ſorore incolumi permanente, & nec in modico a noſtri generis fœminis diſcrepãte. Quæ nimirum poſt apud Lennam (vt dicitur) duxit maritum, & ante annos paucos ſuperſtes eſſe dicebatur. Sanè cum iam noſtræ vſum loquelæ haberent: interrogati qui & vnde eſſent, reſpondiſſe feruntur. *Homines de terra ſancti Martini, qui ſcilicet in terra natiuitatis noſtræ præcipuæ ℣eneratione habetur.* Conſequenter interrogati vbinam eſſet terra illa, & quomodo exinde adueniſſẽt huc, ℣trũque, inquiunt, *neſcimus. Hoc tantum meminimus, quia cum quodam die pecora patris noſtri in agro paſceremus, ſonitum audiuimus, qualem nunc apud Sanctum Albanum cum ſigna concrepare dicuntur, audire ſolemus. Cumque in ſonitum illum quem admirabamur animo intenderemus: repentè tanquam in quodam mentis exceſſu poſitî, inuenimus nos inter ℣os in agro ℣bi metebatis.* Interrogati vtrum ibidem vel in Chriſtum crederetur, vel ſol oriretur: terram illam Chriſtianam eſſe, & eccleſias habere dixêrunt. *Sed ſol, inquiunt, apud noſtra-*

tes non oritur: & eius radiis terra nostra minimè illustratur, illius claritatis modulo contenta: quæ apud[a] *nos solem vel Orientẽ præcedit vel sequitur Occidentem. Porrò terra quædam lucida non longè a terra nostra aspicitur amne largissimo vtramque dirimente.*

[a] ave vos, & quidẽ correctius.

Hæc & multa alia, quæ retexere lõgum est, curiosè percunctantibus respondisse feruntur. Dicat quisque quod voluerit & ratiocinetur de his, vt poterit, me autem prodigiosum mirabilemque euentum exposuisse non piget.

De *quibusdam prodigijs.*

Cap. XXVIII.

ALIA quoque æquè mira & prodigiosa nostris temporibus contigêrunt, ex quibus pauca retexam. Mira verò huiusmodi dicimus non tantùm propter raritatem, sed etiam quia occultam habent rationem.

Dum in [b] lapicidina quadam petra

[b] Lapidicina.

In carbonariis fodinis agri nostri Leodiensis, sæpenumero silices in gẽtes, repertũ, rotũdi, læues, præduri, intra quos vidi bufones omnis spiraculi, quod videri possit, expertes, conditi latent. C. LANG

ingens ferramentis finderetur: apparuere duo canes, capacem sui in eadem petra concauitatem replentes absque omni spiraculo. Videbantur autẽ esse ex eo canum genere quos leporarios vocant, sed vultu truces, odore graues, pilorum expertes. Et vnus quidem eorum, vt dicitur, citò defecit. Alterum verò stupendæ, vt aiunt, edacitatis Henricus Vvintonienſis Episcopus diebus plurimis in deliciis habuit. Refertur etiam quod in alia lapicidina, dum pro eruendis fabricæ necessariis lapidibus altiùs foderetur: repertus sit lapis formosus duplex. i. ex duobus subtili agglutinatione compactus lapidibus. Mirantibus operariis; Episcopo, qui non longè aberat, exhibitus, dissignari iussus est vt innotesceret, si quid in eo lateret mysterij Inuentàque in eius [b] concauitate bestiola, quam bufonem vocant, cathenulam auream circa collum habens. Cunctis ergo, qui aderant tam inusitatæ rei stupore suspensis, præcepit Episcopus iterum signari lapidem, & lapicidinæ altitudini redditum ruderibus in perpetuum operiri. In prouincia quoque Deirorum haud

b *Anno.* M. CXLV *inuẽtus est bigo vivus incluſus in in concauo lapide in muro ciuitatis c. nomani. Quo occiſe bufones infra mœnia exin*

haud procul a loco natiuitatis meæ res mirabilis contigit, quã a puero cognoui. Eſt vicus aliquot a mari Orientali miliariis diſtans, iuxta quem famoſæ illæ aquæ, quas vulgò Vipſe vocant, numeroſa ſcaturigine e terra proſiliunt, non quidem iugiter, ſed annis interpoſitis, & facto torrente non modico: per loca humiliora in mare labuntur, quæ quidẽ cum ſiccantur, ſignum bonum eſt: nam earum fluxus futuræ famis incommodum non fallaciter portendere dicitur. Ex quo vico ruſticus quidam ad ſalutãdum amicum in proximo vico commorantem profectus: multa iam nocte minus ſobrius remeabat. Et ecce, de proximo tumulo quem ſæpius vidi, & duobus vel tribus ſtadiis a vico abeſt, voces cantantium, & quaſi feſtiuè conuiuantium audiuit. Miratus quinam in illo loco ſolemnibus gaudiis intempeſtæ noctis ſilentium rumperent, hoc ipſum curioſius inſpicere voluit, videnſque in latere tumuli ianuam patentem; acceſſit & introſpexit, viditque domum amplã, & luminoſam, plenamq; diſcũbentibus, tam viris quàm fœminis, tanquam ad ſolemneis epulas. Vnus autem

deſu runt, cum antea nunquam fuiſſent I. Picardus. Victor. & Ricard. Hagulſt. Chron. De alijs rebus in lapidibus repertis Alexand. ab Alexã. genial. dierũ lib. 5. cap. 9

miniſtrantiũ aſpiciens ſtantem ad oſtiũ, obtulit ei poculum. Quo ille accepto conſultè noluit bibere, ſed effuſo contento, & cõtinente retẽto cõcitus abiit, factóq; tumultu in conuiuio pro ſublatione vaſculi, & perſequentibus eũ conuiuis, pernicitate iumenti quo vehebatur euaſit, & in vicũ cum inſigni ſe præda recepit. Deniq; hoc vaſculum materiæ incognitæ, coloris inſoliti, & formæ inuſitatæ, Henrico ſeniori Anglorum Regi pro [a] munere oblatũ eſt, ac deinde fratri Reginæ Dauid ſcilicet Regi Scotorum cõtraditũ: annis plurimis in theſauris Scotiæ ſeruatum eſt: & ante annos aliquot (ſicut veraci relatione cognouimus) Henrico ſecundo illud aſpicere cupiẽti a Rege Scotorum Guillelmo reſignatũ. Hæc & huiuſmodi incredibilia viderentur: niſi a dignis fide teſtibus; contigiſſe probarentur. Si autẽ potuêrũt [b] Magi per incantationes (vt ſcriptũ eſt) Ægyptiacas, & arcana quadam operatione vtiq; malorũ Angelorũ virgas cõuertere in dracones, & aquã in ſanguinẽ, [c] nouas quoq; ranas producere, quos tamẽ (vt [d] ait Auguſtinus) creatores draconum vel ranarum non

a v. c. magno.

b Exod. 7.

c Exod. 8.

d lib. 3. de Trin. c. 8.

dicimus, ſicut nec agricolas ſegetum. aliud eſt enim, ex intimo & ſummo cauſarum cardine cõdere atq; adminiſtrare creaturam, quod qui facit ſolus creator eſt Deus, aliud autem pro diſtributis ab illo viribus & facultatibus aliquando operationem forinſecus [a] admouere, vt tunc vel tunc, ſic exeat quod creatur, quod non ſolùm mali Angeli, & mali homines poſſunt: ſi, in quã, mali Angeli per Magos (Deo permittente) ea potuere: nõ eſt mirũ, ſi & illa de quibus nunc quæritur quadã Angelicę naturę potẽtia, (ſi a ſuperiori poteſtate permittãtur) partim pręſtigialiter & fantaſticè, vt illud in tumulo nocturnum conuiuium, partim etiam in veritate vt vel illos canes, vel bufonem illum cum cathenula aurea ſeu ſcyphum illum valeant exhibere, in quibus homines ſtupore inutili teneantur; qui nimirum mali Angeli libentiùs faciunt, cum permittuntur, in quibus homines perniciosè fallantur. Porro puerorum illorum viridium, qui de terra emerſiſſe dicuntur, abſtruſior ratio eſt, quam vtique noſtri ſenſus tenuitas non ſufficit indagare.

[a] *v.c. admonere certéque, correctius.*

De ſucceſsibus Henrici ſecundi in Anglia tempore Ducatus ſui.

Cap. XXIX.

VT autem iam ad ſeriem hiſtoricę narrationis redeam, Henricus Matildis olim imperatricis ex illuſtri Andegauēſi Comite filius accepto, vt ſuperiùs dictum eſt, a matris auunculo Rege Scotorum cingulo militari: transfretauit, & venit ad patrem; eratque de cætero in obſequio eius prudentiæ & fortitudinis pręclaram indolem præferens, & militaris gloriæ non [a] trepidus æmulator [b]. Poſt annos verò aliquot patre in fata concedente: paterni iuris plenitudinem. i. Andegauenſem ſimul & Cænomanenſem Comitatum, & materni iuris expeditam portionem. i. Normanniæ Ducatū recepit. Nā regno Angliæ, quod ad ius æquè ſpectabat maternū Rex Stephanus quamuis remiſſè & languidè, vt ſu-

vide notas.

a v.c. tepidus.

b v.c addit exiſtens.

periùs expositum est, eatenus incubabat. Itaque patri succedens, & patrem in breui vel æquans vel etiam excedens, quocũq; se vertisset, industrius strenuusque apparuit: ita vt iam illis formidabilis existeret, qui felicibus eius initiis inuidebant. Cumq; in partibus transmarinis omnia illi quieta iam essent: regno Angliæ, quod iure sibi perspicuo competebat, fraudari non vlteriùs patiens, tã difficili & periculoso negotio animũ intendit. Metuens autem ne qua post egressum suum in Normanniam fieret irruptio a Rege Francorum, cuius Rex Stephanus affinitate gaudebat (nam sororẽ eius iam pridẽ filio suo Eustachio vxorem acceperat) fineis suos præsidiis opportunè dispositis, cautiùs credidit muniendos. Vnde factum est vt paruam secum manũ in Angliam duceret, reputans terris transmarinis, quas quieto iã iure possidebat parum esse consultum: si copias abduceret militares, necessaria sibi præsidia in Anglia minimè defutura: si secùs; certa incertis incõsultò postponi. Deniq; non amplius (vt dicitur) quàm centũ quadraginta equites, & peditum tria millia in Angliam cum eo

venerunt. Aduentu eius cognito, feruẽtibus ad eum animis conuenẽrunt, qui matri eius ab initio fauerant. Auctus illico ingẽtibus copiis: munitionẽ [c] Melbesbirienſem, vbi Regis Stephani præſidium erat, obſedit. Tunc idẽ Rex conuocatis celeriter, qui ab ſe non defecerant, cum Euſtachio filio, accerrimo iuuene ociùs aduolans, hoſtem ad prœliũ prouocauit. At ille in caſtris ſe continens, & campi diſcrimẽ, pro tẽpore cõſulto declinãs, eo quòd manum imparẽ habere videretur; hoſtili ferociæ copiã pugnæ non fecit. Rex verò cũ neq; hoſtẽ cõmodè poſſet impetere, neq; prolixiores circa caſtra hoſtilia excubias agere totum videretur: ociosè receſſit, & obſeſſa munitio in poteſtatẽ obſidentis conceſſit. Augebatur idem indies, & militiæ numeris, & fauoribus ſociorum, deficientibus ad eum paulatim, qui hoſtilium partium fuerant regni optimatibus; ita vt iam incrementis virium & felicitate ſucceſſuum ducis gloria, (ſic enim vocabatur) aduerſarij nomen regium adumbraret. Sanfordiam cum inſtructo exercitu adijt; qua celeriter expugnata & capta, munitionem quo-

[c] v.e. Malmesburienſem.

que ejecto præsidio regio post aliquot dies obtinuit. Audiens autē Gipeſvvic, qui ad eius ſe parteis tranſtulerat, obſideri a Rege, vt hoſte propulſato obſidionem ſolueret, ad Orientalium Anglorum prouinciam cum exercitu properabat, ſed accepto poſt modicum de eiuſdem loci deditione nūtio: diuertit, & [a] irruit ſuper Notingeham, quæ ſita eſt ſuper fluuium Trentā, qua mox expugnata atq; opibus vacuata: receſſit, oppugnandæ munitionis, quæ natura loci inexpugnabilis videbatur, operam inanem omittens, inde ad alia conuerſus negotia, ſibi tanquam fauore arridēte diuino in omnibus proſperabatur.

[a] *v. c. irruit ſed & hic ante legebatur, irruit.*

De concordia inter Regem Stephanū & Ducem Henricum celebrata.

Cap. XXX.

DVm hæc ſub euentu pendulo inter Regem & Ducem altercatio traheretur: Euſtachius eiuſdem Regis filius iuuenis clariſſimus immatura ſecundùm voluntatem Dei

morte decessit, magnam seminandæ inter Principes, pacis occasionem, sui de medio ablatione relinquens. Eo quippe superstite partes concordia mediante componi, atque vniri minimè potuissent; cum propter iuuenilem eiusdem acrimoniam, tum propter eiusdem præclaram quandam ex[a] affinitate Regis Francorum fiduciam. Vtróque autem pacis impedimento per vnius hominis mortē sublato, quod Deo propicio proueniſſe creditur; eo quod iā super Angliam inteſtinis malis exanguē & ſauciam cogitaret cogitationes pacis & non afflictionis: viri pacifici, de pace ſuadenda atq; formāda propenſiùs cogitare cœperūt. Occaſu quippe filij, qui ſucceſſurus ſperabatur ſupra modū exulceratus pater: ad apparatus bellicos pigriùs mouebatur, & voces ſuadentium pacē ſolito patientiùs audiebat. Duce quoq; prudentū cōſiliis adhoc inclinato, vt honeſto & ſolido fœderi poſtponeret caſus ambiguos: placuit inter eos ſolenne & ſalubre colloquiū celebrari. Vbi amicis mediantibus & circa bonū publicū pia & prudenti prouiſione ſatagentibus, pax inter eos & cautè for-

[a] quam repetes ex c. 23. ſup.

mata: & solide firmata est. Decretúque est, vt Stephanus decætero tanquam Princeps legitimus integrè in Anglia, cum gloria & honore regnaret. Henricus vero ei tanquam hæres ligitimus in regno succederet. Hanc pacis formam tanquam vtilem & honestam Princeps vterque amplexus; abolitis omnibus quæ inter eos hactenus hostiliter acta fuerant, atque omni simultate perpetuę tradita sepulturæ, in mutuos multis prę gaudio lacrymantibus se dedérũt ampleus. Et Rex quidem ducem adoptãs in filium, cum solemniter successorem proprium declarauit. Dux verò Regem tanquam patrem & Dominum in conspectu omnium honorauit. Guillelmus autem Regis filius iunior iubente patre duci [a] homagium fecit. Dux quoque illi pactis interpositis satisfecit. Quibus Deo propicio salubriter actis, Rex Angliam & Anglia pacem recipit. Annis enim iam plurimis, fere nudo Regis nomine insignis, tunc recipere visus est huius rem nominis, & quasi tunc primò regnare cœpit: quia tunc primò purgata inuasionis tyrannicæ macula legitimi Principis iustitiam induit. Dux

[a] *v. c. hominium vt ex Cuiacio fuit obseruatũ ad Epist 39. S. Bernard. edit 1608.*

autem in Anglia post firmatæ pacis solemnia modico tempore commoratus: transfretare parabat, & Rex cum Guillelmo filio multisque aliis nobilibus celebri lætitia prosequebatur abeuntem. Cumque idem regius puer in oculis patris: equo (vt assolet) concitatus veheretur; contigit equo cadente sessorem ad terram grauiter allidi. vnde cum fracto osse tybiæ resurgere impotens, patri & omnibus qui adêrant dolorem incussit. Reportatus ergo est Cantuariã, vt ibi curaretur. Rex verò sinistro casu saucius: datis cum benedictione mandatis, Ducem demisit; qui feliciter trãsfretans circa æstatis initium ad propria cum gaudio remeauit.

De diuortio inter regem Francorum & vxorem eius celebrato, & quomodo ipsa nupserit futuro Regi Anglorum.

Cap. XXXI.

EISDEM fere diebus inter Lodouicum Frãcorum Regem, & Alienoram reginam diuortium celebratum est: quibusdam Episcopis atque proceribus consanguinitatem illorum sub testificatione iurisiurandi solemniter allegantibus. Eadem sane regia ducis Aquitanici soboles vnica, ante expeditionem Ierosolymitanam (de qua superius dictũ est) memorato Regi nupserat, suoque coniugio amplissimum illum ducatum Aquitaniæ, regno Franciæ iunxerat. Quæ nimirum ita sibi in principio iuuenis animum suæ formæ venustate præstrictum deuinxerat: vt illius famatissimæ expeditionis iter arrepturus, dum vxorem iuuenculam vehemẽtiùs

æmulatur: eam nequaquam domi esse relinquendam, sed secum ad prælia proficiscì decerneret. Quod exemplum secuti multi alij nobiles, vxores suas secũ duxerunt: quibus, cum cubiculariæ deesse non possent, in castris illis Christianis, quæ casta esse oportebat, fœminarum multitudo versabatur, quod vtique factum est exercitui nostro in scandalum: vt superius[a] ostensum est. Cumque idem Rex ab Oriente vna cum cõiuge non sine infecti negotij dedecore ad propria fuisset reuersus, amore pristino inter eos paulatim refrigescente, causæ quoque dissidij succrescere cœpêrunt, illa maximè moribus[a] regiis offensa, & c uſante, se monacho, non Regi nupsisse. Dicitur etiam, quod in ipso Regis Francorum coniugio ad ducis Normannici nuptias suis magis moribus congruas aspirauerit: atque ideo prꝛoptauerit, procurauerit que dissidiũ. Itaque causis ingraueſcentibus, & illa quidem (vt dicitur) multùm instante, illo verò vel non, vel remissius obluctãte, per Ecclesiasticæ legis vigorem solutum est inter eos vinculum copulæ coniugalis. Porro illa soluta a lege viri,

a c. xx.

Vide notas.

& habens potestatem cui vellet nubendi: duabus apud patrem filiabus relictis, quæ postea duobus illustrissimi Comitis Theobaldi filiis, Henrico scilicet & Theobaldo paterna prouisione nupsêrunt, desideratis tandem [a] post potita est nuptiis. Denique conuenientes Dux Normanniæ, & illa loco condicto: pactum coniugale iniêrunt, minus quidẽ solemniter ratione personarum, sed cautiori prouidentia, ne quid scilicet impedimenti pareret solemnis præparatio nuptiarum. Mox Ducatus Aquitaniæ quia finibus Andegauensium & Britonum ad Pyrenęos vsque mõteis, Galliam Hispaniamque dirimentes extenditur: Francorum se ditioni paulatim subducentes ratione coniugis in Ducis Normannici potestatem transiuit, Francis quidem inuidia tabescentibus, sed impedire non valentibus eiusdem Ducis prouectum.

[a] *Sic. v. c. desideratis tandem potita est Ducis Normãnie nuptiis.*

De concilio Lundonienſi, & morte Regis Stephani.

CAP. XXXII.

INTEREA Rex Stephanus faſtu regio, fineis Angliæ luſtrans, & ſe tanquam Regem nouum oſtentans ſuſcipiebatur ab omnibus & decenti magnificentia colebatur: & incēdebantur ante faciem eius, & quodammodo liquefiebant ſicut cera a facie ignis, munitiones adulteræ, quæ erant improborum receptacula, & ſpeluncæ latronum. Veniens autem in Eboracenſem prouinciam: quendam Philippum de [a] Toleuilla, qui munitionē ſuam apud Drax incendere vel incendēdā tradere videbatur, inuenit rebellem, fretum ſcilicet eiuſdem munitionis firmitate, cōmilitionum ſuorum ingentibus animis, & copioſo ciborum armorumque apparatu. Rex verò ex proximis prouinciis, exercitu conuocato: munitionem obiectu amnium, ſiluarum, atque paludum ferè inacceſſibilem obſidione concluſit, & fortiter expugnatam in

[a] v. c. Coleuilla.

breui obtinuit. Erat autem tempus messis, & Rex in Eboracensi ciuitate, & adiacẽte prouincia, quæ volebat expletis, ad Australes prouincias remeabat, circa festum beati Archangeli Michaëlis, cũ Episcopis & nobilibus Anglię Cõcilium Lũdonij celebraturus, tum pro regni negotiis, cum etiam pro negotio vacantis ecclesiæ Eboracensis. Euocati ergo maiores eiusdẽ ecclesiæ cum Abbatibus atque Prioribus subiectæ prouinciæ, affuêre; factoque in Rogerium Archidiaconum Cantuariẽsem decreto, eum a suo Archiepiscopo, cuius efficaci astutia omne negotium electionis eius processerat, Rege conniuente solenniter petiêre. Quem cum facilè a volente impetrassent; licèt eum idem Archiepiscopus tãquam precibus obstrictus cedere videretur, vel potiùs vellet videri, alias quoque preces adiecére; scilicet vt eum, non tanquam Cantuariensis Archiepiscopus, sed tanquam Apostolicæ sedis legatus consecraret. Hoc quoque à volente non difficulter impetrato: consecratus est idẽ electus in Ecclesia beati Petri apud Vvesmonasterium. Qui soluto cõcilio ad eccle-

siam propriam properauit, & post susceptionis suæ solennia, rebus pro tempore dispositis, eundi ad sedem Apostolicam petẽdi pallij gratia, in propria persona iter arripuit. Rex verò post concilium in Cantia cõstitutus morbo decubuit; quo ingraueſcẽte post dies paucos decessit, mense Octobri, & sepultus est apud [a] Fauereſcam in monasterio, a se ante aliquot annos constructo, anno regni sui nonodecimo. Nuntium autẽ mortis eius Dux Normanniæ maturè accepit, qui forte tũc castrum quoddã, quod ab eo desciuerat, cũ exercitu obsidebat. Cúmque ab amicis moneretur relicta obsidione, sub omni celeritate in Angliam transfretare, ne quid fortè cõtra eum occasione moræ inimici veteres molirentur, mira iustitiæ suæ confidentia respõdit, illos nihil ausuros. Et quamuis amici multùm instarent, obsidionẽ soluere noluit, donec factũ est de castro obsesso quod voluit, expectante illum cum desideriis Anglia, & nulla interim in cunctis finibus eius surgente procella. Et huius quidem libri iste sit modus, vt a regno Henrici secundi, liber secundus incipiat.

a *Anonymus Cogesphalensis monachus Faureſphanis cui adiicit coenobia Cogeshal, & Furnesium.*

LIBER

GVILLELMI NEVBRIGENSIS DE REBVS ANGLICIS,

LIBER SECVNDVS.

DE PRIMORDIIS Regni Henrici secundi.

CAP. I.

ANNO a partu virginis M. C. LIIII. Henricus, Hērici maioris ex filia olim Imperatrice nepos, post mortem Regis Stephani a Normannia in Angliam veniens, hæreditarium regnum susce-pit, conclamatus ab omnibus, & consecratus mystica vnctione in Regem, cōcrepantibus per Angliam turbis, viuat 1154.

Rex. Prioris quippe regni, sub quo tot mala pullulauerant, infelicitatem experti, de nouo Principe meliora sperabant, præsertim cum præclara illi prudentia atque constantia, cum Zelo [a] inesse viderentur, magni iam Principis in ipsis suis primordiis præferret imaginẽ. Denique edicto præcepit, vt illi qui ex gentibus exteris in Angliam sub Rege Stephano prædarum gratia, tanquam ad militandum confluxerant, & maximè Flandrenses, quorum magna tunc Angliæ incubabat multitudo: propriis regiohibus redderentur, fatalẽ eis diem constituens, quem in Anglia sustinere cetri foret discriminis. Quo edicto pauefacti: ita in breui delapsi sunt, vt quasi fantasmata in momento disparuisse viderentur: stupentibus plurimis, quomodo repẽtè euanuissent. Mox Castella noua, quæ in dieb. aui sui nequaquã exstiterãt: complanari præcepit, præter pauca in locis opportunis sita, quæ vel ipse retinere, vel [b] pacificis ad regni munimen retinere voluit. Publicæ quoque disciplinæ in primis sollicitudinem habuit; & vt legũ vigor in Anglia reuiuisceret, qui sub Rege Stephano extin-

[a] v.c. addit, Iustitiæ.

[b] v.c. interscribit, verbumque retinere, passiuè positum habet.

ctus sepultusque videbatur, cura propẽ-
siore sategit, Ordinatisque in cunctis
regni finibus iuris, & legum ministris,
qui vel improborum audaciam coër-
cerent, vel interpellantibus secundum
causarum merita iustitiam exhiberent:
ipse vel in deliciis erat vel maiorib. ne-
gotiis regiam operam impẽdebat. Quo
tiens autem iudicibus molliùs, indigni-
usue agẽtibus, prouincialium querimo-
niis pulsabatur, prouisionis regiæ reme-
dium adhibebat: illorum competenter
corrigens, vel negligentiam, vel excess-
sum. Talia noui Principis initia fuêre,
gratulantibus quidem & laudantibus
pacificis: mussitantibus verò & contre-
micentibus improbis. Fugiebant lupi
rapaces; vel mutabantur in oueis; aut si
non verè mutabantur, metu tamen le-
gum [a] cũ ouibus morabantur. [b] Con-
flabantur gladij in vomeres, & lanceæ
in falces, nullusque iam exercebatur ad
prælium, sed omnes olim optatæ & nũc
Deo propicio indultæ pacis, vel foue-
bantur ociis, vel intendebant negotiis.

a *v. c. addit, innoxij.*
b *quod Esay. c. 11. de pacifico Regis nostri Iesu Christi imperio prædixit, ad Hẽrui annum 1. transfert Auctor.*

Quomodo Henricus secundus dominia Regia ad pristinum reuocauit statum.

CAP. II.

CONSIDERANS autē Rex, quod Regij redditus breues essent, qui auito tempore vberes fuerāt, eo quod Regia [a] dominia per mollicié Regis Stephani ad alios, multósque dominos maiori ex parte migrassent, præcepit ea cum omni integritate a quibuscunque detentoribus resignari, & in ius [b] pristinum reuocari. Et hi quidem, qui regiis oppidis seu vicis hactenus incliti erant: chartas, quas a Rege Stephano vel extorserant, vel obsequiis emerant: quibus tuti forent, protulêrunt. Sed quoniam chartæ inuasoris, iuri legitimi Principis præiudicium facere minimè debuêrunt: eisdem instrumentis esse tuti minime potuêrunt. Itaque primo indignati, deinde cōterriti, & contristati: ægrè quidem, sed tamen inte-

a *Vide notas.*

b *v. c. addit. statúmque.*

grè vsurpata, & diu tanquam solido iure detenta resignârunt. Cumque in cūctis regni prouinciis, omnes vsque ad vnum, de quo post pauca dicetur, voluntati regiæ paruissent: Rex Transhūbranas prouincias adiit, Comitemque Albemarlensem Guillelmum, qui ibidem sub Stephano Rex verior fuerat, de re consimili, eodem quo cæteros pōdere auctoritatis conuenit. Ille diu hæsitans multúmque æstuans: tādem corde[a] saucius potestati succubuit: & quæcūque ex Regio dominio pluribus iam annis possederat, cum ingenti anxietate resignauit, [b] maximè famosum illud & nobile castrū; quod dicitur [c] Scharcheburch, cuius situm talem esse nouimus.

a *mendosè antehac, sacius.*
b *v.c. addit, sed.*
c *v.c. Scarburthe.*

De situ Castelli de Scharcheburch.

Cap. III.

RVPES stupendæ altitudinis [a] & amplitudinis, prærúptis ferè ex omni parte scopulis inaccessa, mare irrumpit, quo tota ambitur: exce-

a *v.c. addit, simul.*

ptis tanquam faucium quarundam anguſtiis, quas aperit ad Occidentem, habens in ſummo planitiem ſpecioſam & herbidam, & ſpatioſam tanquam ſexaginta iugerum vel eò ampliùs; ſonticulum quoque aquæ viuæ ex ſaxo profluentem. In ipſis autem faucibus, ad quas ſine labore non aſcenditur, turris regia ſita eſt; & ſub eiſdem faucibus vrbis initium eſt in Auſtrum & Aquilonẽ vtrumque latus ſpargentis, frontem verò ad Occidentem habentis; & a fronte quidem proprio muro, ab Oriente verò rupe caſtelli munitur. porro vtrumque eius latus mari alluitur. Sanè hunc locũ memoratus Comes Guillelmus, cum in Eboracenſi prouincia plurimùm poſſet, caſtro conſtruendo idoneum contemplatus, ſumptuoſo opere naturam iuuans, totam rupis planitiem murò amplexus eſt, & turrim in faucium anguſtiis fabricauit, qua proceſſu temporis collapſa arcem magnam & præclaram Rex ibidem ædificari præcepit.

[a] *De obsidione & deditione Brigiæ, & quomodo Rex Scottorũ reddidit Regi Anglorum Aquilonares Angliæ parteis.*

[a] *in ms. hæc continuè sunt scripta*

CAP. IIII.

REx igitur in eadem prouincia rebus ad votum gestis ad superiora Angliæ remeans: solum Hugonem de Mortuo mari virum fortem & nobilem annis iam plurimis regio castro de Brigia incubantem, offendit rebellem. Qui cum iuberetur propriis esse contentus, & reddere quę de iure regio possidebat: peruicacissimè renuit, seque, quibus potuit modis, ad resistendum præparauit. Sed quod superbia & indignatio eius esset plusquam fortitudo eius: consequenter apparuit. Rex enim celeriter exercitu congregato, Brigiam obsedit: quam post dies non multos fortiter oppugnatam in deditionem recipiens: ei, cuius cor paulo ante quasi cor leonis fuerat, humiliato & supplici veniam dedit. Regi quoque Scottorũ, qui Aquilonares Angliæ regiones, scilicet Nor-

humbriam, [a] Cubriam, [b] Vveſtmerilandam, nomine Matildis dictæ imperatricis & hæredis eius olim a Dauid Scottorum Rege adquiſitas, tanquam ius proprium poſſidebat, mandare curauit: Regem Angliæ tanta regni ſui parte non debere fraudari, nec poſſe patienter mutilari, iuſtum eſſe, reddi quod ſuo fuiſſet nomine adquiſitum. Ille verò prudenter conſiderans Regem Angliæ in hac parte cum potentia virium merito cauſæ præſtare quamuis poſſet obtendere iuramentum, quod auo ſuo Dauid præſtitiſſe dicebatur, cum ab eo cingulum acciperet militare: prænominatos fineis repetenti cum integritate reſtituit, & ab eo viciſſim comitatum [c] Huntedunenſem priſco ſibi iure competentem recepit. His ita compoſitis, Anglia in cunctis finibus, ſuo ocio & ſecuritate pro tempore fruebatur. Regis enim ſupra omneis, qui hactenus in Anglia regnaſſe noſcebātur, latius dominantis (hoc eſt ab vltimis Scotiæ finibus ad montes vſque Pyrenæos) in cunctis regionibus nomen celebre habebatur.

a ms. Cumbriam
b ms. Vveſtemeriam.
Relege c. 24. l. 1. ſup.
c v. c. Hūtyduneſem.

De bello Vvalenſium, & quomodo in gratiam Regis rẽdierint.

Cap. V.

VERVM non multis diebus elapſis inter Regem & Vvalenſes gentem inquietam & barbaram diſcordia oritur, dum vel ille aliquid inſolitum per potentiam ab eis exigere, vel illi ſiluoſis montibus vallibuſq; ſuis plus iuſto confiſi, tanto Principi per inſolentiam ſolita denegarent, ſiue etiam propter inquietudinem & clandeſtinos in vicinos Anglorum fineis excurſus. Rex verò immenſis ex tota Anglia copiis congregatis: regionem Vvaliarum, qua facilior aditus videbatur ingredi ſtatuit. Porro illi conuenientes: excubabant in terminis: & in planum progredi vel aperto bello cũ loricatis congredi leuis armaturæ homines cautè declinantes, deliteſcebant in ſiluis, & [a] viarum [b] anguſtias obſeruabant. Sanè Vvallenſes reliquiæ Bri-

[a] *ms maris*
[b] *malè ante angu-ſtias.*

tonum esse noscuntur, qui huius insulæ (quæ nunc Anglia dicitur, olim Britãnia dicebatur) incolæ primi fuêre, eiusdemq; nationis & linguæ esse probantur, cuius & Britones transmarini. Cũ autem gens Britonum a superuenientibus Anglorum populis exterminium pateretur, qui euadere potuêrunt, refugérunt in Vvalias cõtra irruptionẽ hostium naturæ beneficio tutas, ibiq; hæc natio perseuerat vsque in præsentẽ diẽ. Regio quippe illa tractu [a] propensiori ad prospectum Hyberniæ super mare Occidentale iacens: alio latere regionibus Anglicis iungitur, & fere tota vel Oceano vel [b] inuiis saltibus aliisq; difficultatibus cingitur. Ideoq; difficillimos habet accessus siue ingressus. Introrsus autẽ inextricabiles quosdã noscitur habere recessus, ita vt quàm periculosum est potenti cuilibet eã cũ exercitu ingredi, tã impossibile sit eam interius cũ exercitu peruagari. Gignit autẽ pro sui natura homines moribus [c] barbaros, audaces, & infidos, alieni sanguinis auidos, & proprij prodigos, rapinis semper inhiantes, & tanquã transfuso a natura odio, genti Anglorum infestos.

a ms. protẽsiori.

b ex ms. reposui nã legebatur viis.

c huc refer cap. 8. descript. Cumbricæ.

Habet quidē pro eo quod ſaltuoſa eſt, vberrimas alendis pecoribus [a] paſcuas, ſed plani parum habens, & frugū inſœcunda: alendis propriis nō ſufficit filiis, ſine inuecto ex intimis Angliæ prouinciis cōmeatu. Quem nimirum, quoniā ſine beneficio, vel permiſſu Regis Anglorum habere non poteſt, eiuſdē cogitur ditioni ſubiacere. Et ſi fortè per latrocinales excurſus, a quibus propter effrænatam barbariem vix temperat, eū irritauerit: iram eius diu non ſubſtinens, cogitur eum placare. Igitur Rex fineis hoſtium cum natura & malitia locorum multùm luctando ingrediens: infauſta negotij initia habuit. Pars enim exercitus per loca ſiluoſa & humida incautiùs gradiens, delitescentium iuxta viam hoſtium excepta inſidiis: periclitata eſt: ibique Euſtachius, Ioannis filius, vir magnus & grandæuus, atque inter primos Angliæ proceres diuitiarum & ſapientiæ titulis refulgens, cum Roberto de Curci æquè nobili viro aliiſq; pluribus interiit. Qui verò euaſere periculum: Regem quidam Domino propicio eruperat, & in tuto cōſiſtebat, cum cæteris occubuiſſe putantes, eiuſq;

[a] *S. Hieron. in traductione. Pſalm. 93. vſus eſt.*

interitum aduentantibus adhuc & properantibus ad anguſtias ordinibus nũtiantes, non paruam exercitus partem, rumoris atrocitate attonitam enecruiter fugere compulerunt, ita vt Henricus Eſſexenſis, vir inter primos inclitus, & iure hæreditario ſignifer regius: vexillo regio, cuius conſpectu exercitus animandus erat, abiecto, fugæ ſe crederet, atque extinctum Regem occurrentibus proclamaret. Ob quod delictũ poſtea a quodam viro nobili proditionis ei decus publicè opponente, Regij vigore iudicij, duello addictus eſt, & ab eodem deuictus. Quem tamen Rex de miſericordia iudicio mortis ſubducens apud Redingum mònachum fieri iuſſit, ampliſſimo autem patrimonio eius fiſcum auxit, ſed hoc poſtea. Cum ergo Rex ocius aduolans turbatum exercitum proprio exhilaraſſet aſpectu: reſumptis illico animis, viribus confiſi ordines in ordinem coiére, ſeque aduerſus hoſtiles inſidias de cætero cautiùs inſtruxere. Cúmque Rex hoſteis etiam à mari inuadendos duceret, & claſſem non modicam præparari iuſſiſſet; legati hoſtium cum verbis pacifi cis affué-

runt, moxque illorum reguli ſupplices ad eum venérunt. Qui cum ob promerendam tãti Principis gratiam quibuſdam finium ſuorum munitionibus traditis, hominium illi cum ſacramentis præſtitiſſent, pacis ſereno poſt belli nubilum gratiùs arridente, exercitus ad propria cum gaudio reuerſus, & Rex ad alia negotia, ſiue delicias eſt conuerſus.

Quomodo Nicolaus Anglicus factus eſt Papa Romanus.

Cap. VI.

Sane anno primo Regis Henrici ſecũdi, obiit Anaſtaſius Papa, ſucceſſor Eugenij, cum fuiſſet Pontifex anni vnius. Cui ſucceſſit Nicolaus Albanenſis Epiſcopus, [a] imi tans nomen cum omine, dictuſque eſt Adrianus. De quo dicendum eſt, quomodo tanquam de puluere eleuatus ſit, vt ſederet in medio Principum, & Apoſtolicum teneret ſolium gloriæ. Is enim natione Anglicus, patrem habuit cleri-

[a] *v. c. mutans.*

cum quendam non multæ facultatis; qui relicto cum ſeculo filio impubere, apud Sanctum Albanum factus eſt mo-
vide notas. nachus. Ille verò adoleſcentiam ingreſſus cum propter inopiam ſcholis vacare non poſſet, idem monaſterium quotidianæ ſtipis gratia frequẽtabat. Vnde pater erubuit, verbiſq; mordacibus ſocordiam eius increpitans, omni ſolatio deſtitutum cũ graui indignatione abegit. Ille verò ſibi relictus, & forti neceſſitate aliquid audere coactus: Gallicanas adiit regiones, ingenuè erubeſcens in Anglia vel fodere vel mẽdicare. Cũque in Francia minùs proſperaretur: ad remotiora progrediens, trãs Rhodanũ peregrinatus eſt, in regione quæ Prouincia dicitur. Eſt autem in illa regione monaſteriũ nobile clericorum regularium, quod dicitur S. Rufi: ad quem locum ille veniens, & ſubſiſtendi occaſionẽ ibidem inueniens: quibus potuit obſequiis eiſdem ſe fratribus cõmendare curauit. Et quoniam erat corpore elegans, vultu iucundus, prudẽs in verbis, ad iniuncta impiger, placuit omnibus: rogatúſque canonici ordinis ſuſcipere habitum; annis plurimis ibidem reſedit,

regularis [a] in primis disciplinæ æmulator. Cumq; esset acris ingenij & linguæ expeditæ: frequenti & studiosa lectione ad scientiam atq; eloquentiam multum profecit. Vnde factũ est, vt Abbate defuncto fratres eum concorditer atq; solemniter in patrem eligerent. Quibus cum aliquandiu præfuisset, pœnitentia ducti atque indignati, quòd hominem peregrinum leuassent super capita sua, facti sunt ei de cætero infidi atque infesti. Odiis itaque paulatin crudescentibus, vt iam grauiter aspicerent, in quo sibi paulo antè bene complacuerat: tandem [b] confictis & propositis contra eum capitulis ad sedem eum Apostolicam prouocârunt. Pię autem memoriæ Eugenius, qui tunc arcem Pontificij tenebat, cum rebellium filiorum contra patrem querelas audisset, & eius pro se allegantis prudentiam, modestiamque animaduerteret, paci inter eos reformandæ efficacem operam dedit, multumque imperans, & sæpius inculcans vtrique parti, vt partes esse desinerent, & vnitatem spiritus in vinculo pacis seruarẽt, reconciliatos ad propria remisit. At non diu quieuit nescia quietis malitia, grandiúsque intonuit rediuiua

[a] *v. c. inter primos.*

[b] *v. c. confectis.*

tempestas. Interpellatus est iterum idē venerabilis Pontifex : cuius iam aures fratrum illorum querelis & susurris tinniebant. Vtrique ergo parti piè & prudenter prospiciens : *Scio*, inquit, *fratres vbi sedes sit Sathanæ : scio quid in vobis suscitet procellam istam. Ite,* [a] *colligite vobis patrem, cum quo pacem habere possitis, vel potius velitis : iste enim non erit vobis vlterius oneri.* Itaque dimissis fratribus Abbatē in beati Petri obsequio retinens, Albanensem ordinauit Episcopum, acnon multo post sumptis industrię eius experimentis, ad genteis ferocissimas Dacorum & Norrensium cum plenitudine potestatis direxit legatum. Quo ille officio in barbaris nationibus per annos aliquot sapienter & strenuè administrato, Romam cum salute & gaudio remeauit ; susceptusque a summo Pontifice & Cardinalibus cū honore & gloria. Euolutis diebus non multis Anastasio, qui Eugenio successerat decedēte, omnium in eum votis concurrentibus Romanæ vrbis Pontificatum suscepit : factus ex Nicolao Adrianus. Qui nimirum suorum non immemor rudimentorum ob paternam maximè memoriam,

[a] v. c. colligite, & certè rectius.

vide notas

moriam, beati martyris Albani Ecclesiam & donariis honorauit, & perpetuis insigniuit priuilegiis.

De qua causa Gauffridus, frater Regis desciuit ab ipso, & quomodo reconciliatus est.

Cap. VII.

CVm igitur Anglia sedatis & subactis Vvalensibus in pace & securitate ageret; nuntiatum est Regi fratrẽ suum Gaufridum tumultuari in partibus transmatinis. Causa [a] motus fraterni hæc erat. Illustris ille Comes Andegauensis ex Matilde olim Imperatrice tres susceperat liberos, Hẽricum, Gaufridum, Guillelmum. Cum ergo ad Henricum primogenitum paterni materniq; iuris spectaret integritas: idem Comes prouisionem reliquorũ noluit in totum ex gratia fratris pendere, nescius qualem ille foret ad fratres habiturus affectum. Itaq; in extremis agens; medio filiorum, comitatum

[a] *v.c. addit* verò.

Andegauensem testamẽto reliquit. Sed quia tunc Anglia sub euentu pendebat ambiguo: cum Henricus, inquit, plenitudinẽ obtinuerit iuris materni. i. Normanniã cũ Anglia: fratri Gaufrido ius paternũ integrè dimittat. Interim vero idẽ Gaufridus tribus castellis nõ ignobilibus, scilicet Chinonc, [a] Lecduno, Mirabello sit contentus. Et quoniam Henricus fortè tunc aberat, maturè affuturus: Episcopos & nobiles, qui aderant adiurauit, ne corpus suum sepulturę traderetur, nisi priùs præstito sacramẽto a filio, quod paternũ minimè violaret testamentũ. Deniq; illo mortuo; ad cẽlebrandas exequias mox filius affuit, [b] adiurationẽ illã paternã audiuit, diu hęsitauit, tandẽ conclamãtibus omnibus, ne ad sempiternũ & inexpiabile dedecus, corpus patris sineret insepultũ tabe corrũpi, victus succubuit, & Sacramentũ, quod exigebatur, non sine fletu præstitit. Sepulto patre testamentũ dissignatũ est. Ille verò pro tempore dissimulauit dolorẽ. Cum autẽ regnũ esset adeptus, Romano Pontifici (vt dicitur) qua necessitate, quod nesciebat iurasset, intimare curauit. Et quoniã extorta sa-

a v. a Leodano, vulgo Loudun in Turonica ditione ad fluuios Tuerẽ & Creusam.

b male antehac admirationẽ,

cramenta, vel vota non obligant, nisi fortè ex subsequēti consensu conualescant, [a] facilem (vt dicitur) ab illo sacramento, absolutionem impetrauit. Ingesta enim necessitas iurandi, siue vouendi, necessitatem non ingerit, quod iuratum, votumúe est adimplendi, sed sola voluntas, hāc necessitatem parit libertas. Ea ratione tutus, nec paterni testamenti, nec proprij iuramenti contēplatione, fratri satisfacere voluit. Vnde ille indignatus: tribus prænominatis castellis, quæ pater ei reliquerat, contra omnes (vt putabat) casus munitis, vicinas turbabat prouincias. Rex autem exercitu properè congregato, Chinonem, castellum scilicet sic dictum, quod tanta erat firmitate, vt in eo muniendo tuendóque natura & operatio humana concertare viderentur, obsedit: & in breui per deditionem obtinuit, fratri humiliato & supplici veniam dedit: castellóque nudato, vt occasionem superbiæ tolleret: terram planam concessit, ex qua fructuum vtilitas proueniret. Cumque idem mœrore contabesceret, & nunc fratris duritiem, nunc fortunæ cum gemitu accu-

[a] *v.c facilè*

ſaret inuidiam: felicior eum ſubitò exhilarauit euentus. Ciues enim præclarę
a v.c. Nammetenſis. vrbis [a] Nammetenſis, certũ vel in quo ſibi complaceret, Dominum non habentes: eius induſtria & ſtrenuitate inuitati eum ſibi inverum, certumque dominum elegêrunt, atque accerſito ciuitatem cum adiacente prouincia tra-
b v. c. diu. didérunt. At non [b] dum hac felicitate functum mors immatura ſuſtulit, moxque eandem ciuitatem Comes Richemundenſis, qui tunc tranſmarinæ Britaniæ magna ex parte præſidebat, tanquã verus poſſeſſor intrauit. Quibus auditis, Rex dato mandato Richemundenſem comitatum fiſco applicari, illico ex Anglia in Normanniam transfretauit:
v. c. præponit, ciuitatem. & [b] Nammetenſem tanquam iure fraterno ſucceſſionis repoſcens, eundem Comitem magni apparatus terroribus ita præſtrinxit atque infregit, vt vix tepidè obluctari conatus, ciuitate reſignata inſiſtentem placaret.

De subuersione Mediolani, & Magorum reliquiis.

Cap. VIII.

IISDEM ferè tẽporibus Fredericus Teutonicus, atque Italicus Imperator Mediolanum vrbem, opum viriũque suarum fiducia diu rebellem expugnauit, cepit, euertit. Et quidem Longobardi gens inquieta & bellicosa immoderatæ libertatis æmula, & tam numero vrbium, quàm magnitudine virium superba ante annos plurimos ab Imperatore Romano magna ex parte desciuerat: Sed dum inter se amplissimæ ciuitates de prioratu [a] disceptarẽt, atque aliæ aliis imperare cuperẽt: imperatorias contra se vireis auxerunt. Denique Mediolanenses opibus viribusque præcellentes, totius Longobardiæ affectabant imperium: iamque aliquot vrbeis subegerant, quasdam etiam rebelles euerterant; cum Papienses viribus [b] impares, sed tamen eorum impe-

[a] *malè antea, desceptarent.*

[b] *vrbe adhuc quidem.*

rium aſpernãtes, ad partes ſe imperatorias tranſtulerunt. Quorum exemplum ſecutæ vrbes cæteræ, in fœdus imperatoris venerunt. Aggreſſurus ergo Mediolanenſes, defectu omnium ſociorum remiſſiùs iam agentes, Imperator vires imperij contrahebat. Illi quoque dominandi libidinem in tuendæ libertatis conſtantiam conuertentes: totis ſe opibus aduerſus Imperatorios impetus muniebant. Cumque ſuburbana demolirentur, atque diruerent, ne tam obſeſſis nociua quàm obſidẽtibus vſui forent, ea de re monaſterium quoque antiquum & nobile, & ſanctorum inſigne reliquijs extra mœnia deſtruentes, quidquid in eo ſacrum, reuerendumq; inuentum eſt, in vrbem tranſtulerunt. Trium præcipuè Magorum corpora, [a] qui Saluatoris infantiam myſticis honorando muneribus, [b] facti ſunt ex gẽtibus primitiæ Deo & agno. Et quidem theſaurus iſte olim in eiuſdem Eccleſiæ ſecreto repoſitus: ipſos quoque monachos clericoſq; ibidem miniſtrantes latebat. Sed cum vſque ad fundamentũ deſtrueretur ipſa Eccleſia: repertus & reuelatus eſt cũ manifeſtis indiciis, quibus

a *Matt. 12.*

b *Apocal. 14.*

vide Ceſarẽ Baro. & Petr. Galchinum in notis in Martyrol. Roman. ad 6. Ianu.

declarabatur, quod viri illi (quorũ memoria in benedictione eſt) honorato & adorato Saluatore puero, in regionem ſuam reuerſi, etiam poſt paſſionis eius triumphũ ſuperſtites fuerint: & percepta a prędicantibus Apoſtolis baptiſmi gratia, ad ipſum, quẽ in cunabulis olim honorauerant, ab eodem in dextera patris ſedente honorandi, migrauerint. Nec notũ eſt a quibus perſonis ſacræ illorum reliquiæ illuc delatæ, ibiq; repoſitę fuerint. Eędẽ vero reliquiæ oſſibus & neruis compactæ cutẽ quoque aridã atq; imputribilem ſuperductã habebãt, vi, vt putatur, balſami, quo poſt mortem (gentili more) corpora eorum delibuta creduntur. Sed aureus circulus eadẽ (vt dicitur) corpora cũ reperta ſunt, ambiebat: vt ſibi mutuo cohærerent. Igitur [a] obſeſſa eſt vrbs Mediolanẽſis ab Imperatore Frederico, cuius quãtus exercit° fuerit eo ipſo cognoſcitur: quo Mediolanũ potuit obſidere vrbem ſcilicet potentiſſimã, & de ſuorũ numeroſitate atq; ferocia filiorũ immẽſiùs gloriantẽ. Quę nimirũ poſt caſus varios multiplicesq; conflictus deditioni addicta: incidit in manus hoſtiles. Victor Impera-

vide notas.

[a] *integram prolixãquẽ narrationẽ lege apud Radeuicũ l. 3. a c. 28. ad 44. & l. 4. a cap. 25. ad 39. & ſequẽtia.*

tor ciuitatem euertit, ciues, quoniam se dediderant, non disperdidit, sed dispersit, præclaras illas Magorum reliquias ibidem reconditas (Longobardis ægrè ferentibus) in regnum Teutonicum transtulit, & thesauri huius custodia ciuitatem Coloniam insigniuit.

De schismate Romanæ Ecclesiæ, & Papiensi concilio, & conuentu Gallicano.

Cap. IX.

ILLVSTRIS Anglorum Rex Henricus, anno regni sui V. apud Lincolniam solēniter coronatus est in natali Dominico, non quidem intra mœnia, credo propter vetustam illam superstitionem, quam Rex Stephanus (vt supra dictum est) laudabiliter contempsit atq; derisit: sed in vico suburbano. Sequenti verò anno Adrianus Papa naturæ debitum soluit; quo sublato Cardinales in sūmi Pōtificis electione discordes Ecclesiam sciderūt, & vt in se

mutuò partes sæuirent, in orbe quoque terrarum vinculum Ecclesiasticæ pacis ruperunt. Et quidem pars maior saniórque Rollandum eiusdem Ecclesiæ Cãcellarium, virum religiosum & litteratum concordans: eundem ritu canonico consecrauit. Pars verò nonnulla, & fere nulla in Octauianum nobilem virum conueniens: eundem, diuinum nõ verita iudicium, execrationis elogio maculauit. Vterque in alterum excommunicationis & damnationis sententiam promulgauit. Vterque partẽ suam Ecclesiarum & nobilium personarum fauoribus munire curauit. Ille Alexander dictus est, iuxta causæ meritum victor futurus. Iste nudo nomine, & fallaci omine Victor dictus est, victi dedecus habiturus. Poterat sanè scissura illa citò resarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque vniri, nisi Fredericus Imperator veteri odio Rollandi Alexandrum nõ ferens, partem [a] Octauianam tuendam, fouendámque modis omnibus suscepisset. Denique suę ditionis Episcopus, scilicet Italicos & Teutonicos præcepit Papiam conuenire, tanquam ad discussionem & examen,

[a] v.c. Octauiani.

Vide notas.

cuiuſnam partis merita præponderarẽt. re autem vera, vt Alexandri parte depreſſa, partem alteram approbãtes, dicti Victoris præmaturam victoriam celebrarent. Partibus quoque mandauit, vt adeſſent, concilij ſuſcepturæ decretum. Et dictus quidem Victor tanquam ſubiturus iudicium affuit. Alexander verò iudicium, quod ei ſub nomine iudicij parabatur, non ſolùm cautè, ſed etiam liberè recuſauit. Itaque ex Teutonico ſimul & Italico regno, [a] Epiſcopi, imperiali iuſſione cum ingenti multitudine Prælatorum inferioris ordinis Papiæ congregati in gratiam Imperatoris, qui cum ſuis ducibus terribilis aderat, quæcunque cauſam Alexandri iuuare poterant, cum pro eo nemo allegaret, vel ſilentio ſupprimentes: quod pro parte altera minùs deveritate ſuppetebat, arte ſuppleuerunt: & dictum Victorem, tanquam verum beati Petri ſucceſſorem ſolemniter recipientes, in Alexandrum, tanquam in Schiſmaticũ & Deo rebellem ſententiam generali decreto tulêrũt. Amplexus eſt Imperator cum omni frequentia Ducũ & Procerum, acta concilij, pœnam non reci-

[a] *quid contigerit in Danico, vide apud Saxon. Grãmat. l. 14. Hiſt. Dan.*

pientibus comminatus. Illustres quoque Francorum & Anglorum Reges omnibus modis sollicitare curauit, vt ad perpetuandam amititiam mutuam; sibi in hac parte concordes existerent. Illi verò inflexi, sententia cautè suspensa, donec rei tam scrupulosæ pleniùs veritatem agnoscerent: celebrem & ipsi ex vtroque regno Episcoporũ & nobilium loco & tempore congruo conuẽtum fecêrunt. Aderant a parte Octauiani duo principales eius complices, qui eius fuerant electores, schismatisque auctores. Guido scilicet Cremẽsis & Ioannes de Sancto Martino Cardinales. Nã Imarus Tusculanus Episcopus, manus illi exsecrationis ausus imponere iam [a] vitauerat hominem. Aderant & a parte domini Alexandri tres Cardinales, scilicet Henricus Pisanus, Ioãnes Neapolitanus, Guillelmus Papiensis. Surgens ergo ille Cremensis in conspectum Regum & præsulum, coram vniuersa, quæ conuenerat, multitudine Cleri & populi: pro parte sua, & contra aduersam totis ingenij atque facundiæ viribus allegauit. Qui cum peroraſſet: surgens Guillelmus Papiensis [b] vir eloquen-

[a] *a v.c exuerat.*

[b] *eo nomine commẽdatur à Petro Blesensi Epist. 48.*

tissimus, perspicuis orationib. obiecta elisit: & fere quidquid ille pro se dixerat in ipsum ita retorsit, vt propriis irretitus captusque sermonibus videretur. Denique in illo altercationis mutuæ quasi duello totius ita negotii veritas claruit: vt neuter vlterius Princeps cũctaretur, repudiata parte Octauiani, Dominum Alexandrum recipere, & cum regnis sibi subditis ei de cætero in iis quæ Dei sunt, tanquam Papæ patri parere. Prænominatis ergo schismaticis cum confusione & dedecore discedentib. Principes & Pontifices, nostri lata solemniter in schismaticos excõmunicationis sententia soluêrunt cõuentum. Interim Dominus Papa Alexander in terra Regis Siciliæ, cuius fideli [a] fauore fruebatur, tutus consistens: opportunitatem transeundi in Gallias præstolabatur. Parebatque ei in eis, quæ ad curã spectant Pastoralem, totus orbis Latinus, exceptis prouinciis, Alemanicæ ditionis. Imperator enim ex priuata simultate semel in reprobum sensum datus, & vel a ratione vinci indecorum imperatoriæ reputans: maiestati, multo tempore distulit palmam dare perspicuæ veritati.

[a] v. c. fere.

De expeditione Tolosana, & de illustri Comite Barcinonensi.

Cap. X.

MEmorabilis Rex Anglorum Henricus II. anno regni sui septimo in parteis Gasconiæ duxit exercitum, cuius [a] expeditionis causa hæc erat. Comes Pictauiensis, & qui dux Aquitanus, auus scilicet Alienoræ, priùs Frãcorum, postea verò Anglorum Reginæ, cum esset in expensis profusior, & propriorum redituum quantalibet affluentia tantæ voragini nequaquam sufficeret, accepta a Comite S. Egidij viro pecunioso, pecunia copiosa, nobilem illi cum pertinentiis ciuitatem Tolosam appossuerat, atque in fata concedẽs: absoluendi appositi operam ad filium transmiserat. Qui nimirum in expensarum profusione patrissans, ipse quoque liberãdi pignoris in hæredes transfudit negotiũ. Reliquit autem vnicam filiam

[a] *v.c. præponit, famose.*

hæredem, quæ cum Regi Francorum Lodouico nupsisset, idem Rex vxoris nomine Tolosam repetiit. Comes verò Sancti Egidij nihil quidem iuris obtendens, sed [a] dolo totus incumbens, tãdem opportunitatem nactus Regem nuptiis Germanæ placauit, Constantiæ scilicet Eustachio, Regis Stephani filio nuptæ, & post mortem eius ad fratrem reuersæ. Verùm cum postea [b] facto inter Regem Francorum, & vxorem eius diuortio, eadem ad nuptias Regis trãsisset Anglorũ, mota est rursus quęstio, super Tolosa iustis hæredibus resignãda. Memorato verò Comite negante, & suæ possessionis Regem Fancorum laudante auctorem, Rex Anglorum contracto ex vniuersis terris suæ ditionis exercitu, Gasconiæ fineis ingressus est. Inuitati quoque ab eo amici vt sequerentur vel occurrerent, ingentibus copiis auxêrunt exercitum, præcipuè Comes Barcinonensis vir magnus & potens, nec infra Reges cõsistens. Sanè huius in regali magnificentia animum plusquam regalem paucis perstringere, quoniam se præbet occasio, operæpretium videtur. Illustris quidem Rex Ar-

a *v.c. sed tamen Tolosæ totus.*

b *v. c. celebrato.*

ragonum paulò antè noſtram memoriam, cum haberet liberos, vnum eorũ piæ deuotionis inſtinctu Chriſto dicatum in monaſterio tonſorauit, reliquos pro tempore ſucceſſores deſignans. Verùm præmortuis, qui [a] ſucceſſuri ſperabantur: contingit patrem humanis nouiſſimum rebus excedere. Veriti autem Optimates & populus de ſucceſſione nepotibus contendentibus, ne regnum diſcerperetur, properè conuênientes, & venienti periculo occurrentes Regis filium clauſtro feſtinanter extractum ſublimauerunt in Regem; regnoque diſpoſito, ad procreandos, qui ſuccederẽt liberos, vxorem compulêrunt ducere, neceſſitatis obtẽtu excuſãtes exceſſum, & neceſſitatem legi non eſſe ſubiectam allegãtes: denique nata eſt eivnica filia. Cumque regnũ laudabili moderamine adminiſtraſſet vſque ad annos, filiæ nubiles: conuocatis nobilibus, & coram ſe ſolenniter apparẽtib. cum vniuerſa pæne militia ditionis ſuæ taliter eos eſt allocutus. *Parcat mihi & vobis Omnipotens Deus cariſsimi, factus ſum enim inſipiens, vos me coëgiſtis: ſed nunquid qui cecidit non adiiciet, vt reſurgat? Nunquid quod*

[a] *antea prauè legebatur, ſucceſſori.*

Vsurpauit infelix necessitas, quam esse dixistis ex lege, eadem cessante ratum esse debebit, quod vsurpatum est contra legem? En ex me natam habetis regni hæredem. Prouideantur huic puellæ honorabiles nuptiæ: & regno erit consultum. Redeat ergo monachus iterum ad regulam, & sauciam de cætero sanet conscientiam. Reclamatum est ab omnibus: sed cum pium felixque propositum dissuaderi nõ posset, de cõsilio Procerũ iuueni clarissimo, Barcinonensis Comitis filio, filiam despondit; regnoque illi cum filia tradito, vir memorabilis, præcipuusque mundi contemptor pũgenteis conscientiæ stimulos vltra non passus, posita purpura cucullam reinduit, & regnum claustro mutauit. Quibus actis suasum [a] iuueni, vt regni insignia, ideſt, coronam & purpuram solẽniter sumeret, cum regnum haberet. Negauit se ille hoc faturum, ita allegãs. *Cum nullus progenitorum meorum supra Comitem fuerit, natura sum Comes: qua contentus, sicut non sum melior, ita nec excellentior esse volo, quàm patres mei. Vt ergo in me fortuna naturam non superet: nomen & insignia Regis omitto. Porro vt in me etiam seruiat fortuna naturæ: retento Comitis nomine re-*

[a] *v. c. addit, est, reueráque necessarium: præterea mẽdosè hactenus lectum, inueni pro iueni.*

gni

gni amplitudinine & poteſtatem non reſpuo. Huc accedit, quod regia dignitate aſſumpta non multis Regibus in diuitiis & gloria cedevem. At cum mihi regni ſint opes, cum poteſtate regia: Barcinonenſi Comiti nullus in mundo Comes poteſt æquari. Proinde malo eſſe Comitum primus, quàm Regum nec ſeptimus. Sic itaque vir mirabilis, nobili quodam regij honoris cõtemptu vel allegabat vel iocabatur, cum ab amicis excellẽtiam induere moneretur. Nec vnquam vel Rex, vel Dux: ſed Comes tantum Barcinonenſis appellari voluit, licèt ducatum Prouinciæ, ideſt, illius regionis, quæ ſic dicitur, & a Rhodano vſque ad Italiæ fineis extenditur, cum regno Arragonum poſſideret. Porro eius filius poſt deceſſum patris, iuxta materni prærogatiuam generis a Romano Pontifice in Regem eſt ſolenniter conſecratus. Pater verò cum propter amicitiam regis Anglorum, tum quia Comiti S. Egidij infeſtus erat: cum immodicis gentis ſubditæ copiis Toloſanæ (vt dictum eſt) expeditioni interfuit. Guillelmus quoque cognomento Trentheueil, vir nobilis & potens, nonnullarum ciuitatum, & multorum Do-

minus caſtellorũ: odio memorati Comitis, in cuius manus (vt dicitur) ante inciderat, & de quibus ægrè, ac non niſi plurima terrarum ſuarum parte mutilatus euaſerat: cum quantis poterat virib. regni Anglorum aſſiſtebat. Idem verò Comes tanti exercitus impetum pertimeſcens: regis Francorum, qui vxoris ſuæ germanus, & filiorum erat auunculus, auxilium implorauit. Qui zelando pro nepotibus, feſtinus adueniens, cum aliquanta militia Toloſam intrauit. Quod cum innotuiſſet regi Anglorũ: perſonæ regis ibidem conſiſtentis deferens, ciuitatem oppugnare diſtulit, & ad peruadendam prouinciam expugnandaſque munitiones cõuertit exercitum. Caturcenſem ciuitatem quæ a ſe defecerat, & fineis eius cum numeroſis caſtellis deditione recepit, plurima quoque expugnauit & cepit. Quibus actis & memorato Guillelmo Trencheueil, [a] munitionibus, quas illi ſorte bellica Comes Egidienſis extorſerat, redditis, in Normanniam rediit.

[a] v. c. addit, coadiutori ſuo.

De horrenda interfectione Guillelmi Trencheueil & vltione eius.

CAP. XI.

SANE quoniam de eodem Guillelmo incidenter facta est mentio : silendum non est quid in illum postea, excrescente suprà modum malitia sit à suis commissum, quàm leuis occasio piaculare peperit scandalum, & quam terribile subsecutum sit inauditæ vltionis exemplum. Res enim recentis memoriæ est, crebro certoque mihi comperta relatu. Idem vir nobilis & magnus, iuxta nomen magnorum qui sunt in illa terra, cum post Tolosanam, cui interfuit, expeditionem, finibus suis per circuitum fortiter defensis in pace ageret : causa exstitit, vt nepoti in cursu hostium laboranti subuenire deberet. Denique ipse cum manu non parua præcedens, præcepit vt reliquus exercitus sequeretur. Erumpens ergo ex subiectis vrbibus

Bederensi scilicet & Carcasonienſi iuuentus non modica: armis animisque instructa properabat. Cõtigit autem vt quidã[a] Bederensis numero fretus conciuium, Equiti non ignobili simul procedenti petulanter iniuriã faceret, equo eius militari, quem Dextrariũ vocant, ablato, & ferendis in via sarcinis deputato. Eques verò sibi toto ordini equestri adiuncto in præsentia ducis acerrimam mouit querelam, illatam iniuriam tãquam [b] minus quidẽ damnosam, sed multùm dedecorosam exaggerãs. Dux verò placare volens equites constanter pronuntiantes, quod protinus ab exercitu discederent, si Bederenses conciuis sui impunitate gauderent: auctorem iniuriæ, cõquerentium tradidit voluntati. Quem illi leui quidẽ sed aliquantulùm indecora multatum pœna tanquã dehonestatum & [c] deinceps sine honore victurum dimisẽrunt. Vnde vehementer indignata est ciuitas Bederensis, quasi vnius ciuis vel exiguũ dedecus vniuersitatem suam maculasset. Itaque vniuersi ciues Domino suo ab expeditione reuerso lacchrymabiliter supplicárunt, vt aliquo honesto &

Vide notas.

a *Sic quidẽ, v. c. sed melius, Beterensis, aut Biterrẽsis.*

b *in ms. nimis, & certè germanius.*

c *v. c. de cætero.*

competenti modo ſubiectæ & deuotæ ſibi vrbis dedecus aboleret. Ille, vt erat animi ſatis ciuilis, clementer humiliterque reſpõdit; ſeque id, quod neceſsitate placandi Equites actum fuiſſet, libenter emendaturum, & ciuibus optimis, die certo [a] ex eorũ arbitrio ſolemniter ſatisfacturum ſpopondit. Quam illi ſponſionem amplexi [b] quieuêrunt. Statuto die ſponſor cum amicis & ſubiectis nobilibus affuit; & baſilicam cathedralem ingreſſus, ciuium, quibus præſente Epiſcopo ſatisfaceret, pręſtolabatur aduẽtum. Illi quoque furore callidè diſsimulato mox affuêre, loricas & ſicas veſte ſuperducta tegentes. Procedenſque in medium qui iniuriam fecerat, & ignominiã reportârat, *ecce ego*, inquit, *homo infelix & vitæ pertæſus, eo quod mihi contigerit cũ dedecore viuere. Dicat nunc (ſi placet) dignatio tua, Domine mi, vtrum velit quod circa me actum eſt emendare: vt velim poſsimque viuere.* Tunc vir memorabilis ſatis ciuiliter & infra [c] perſonam dominantis, *paratus ſum*, inquit, *ſuper hoc præſentium Procerum concilio ciuiumque arbitrio ſtare, ſicut ſpopondi.* Rurſus ille; *Bene*, inquit, *diceres, ſi alicuius exhibitione ho-*

[a] *v.c. prout ipſi dictarent.*

[b] *v.c. addit, interim*

[c] *v.c citra.*

noris a te noſtra poſſet confuſio compenſari. Nunc autem cum in ea menſura, qua menſus es nobis dedecus, non poſsis remetiri honorem: noſtram non aliter quàm tuo neceſſe eſt ſanguine maculam expiari. Quo dicto, arma ciues nequiſsimi, quæ occuluerant retexêrunt, & impetu facto coram ſacro altari fruſtra ſe, pęne vſque ad periculum proprium obiectãte Epiſcopo, Dominum proprium cum amicis & Proceribus ſuis laniſtæ crudeliſſimi peremêrunt. Quod cum eſſet omnibus per circuitum gentibus in ſtuporem & ſibilum: cunctis factum deteſtantibus, & peſtiferæ conſpirationis collegia meritò imprecãtibus, finitimi Principes arbitrantes obſequium ſe præſtare Deo, ſi gentem malignam abraderent; ad faciendam vindictam in nequiſſimos iunctis ſe viribus præparabant. Illi quoque vrbis ſuæ firmitate confiſi, quantis ſe poterant apparatib. muniebant. Ac primò quidem Romanus Pontifex tanti ſceleris atrocitate audita ſceleſtiſſimos illos eccleſiaſticæ maledictionis iaculo perculit, Rex verò Arragonum cum aliis Principibus conſequenter maledictam vrbem ob-

sedit. Cumque obsidio aliquamdiu traheretur, & obsidentibus tum propter loci munimina, tũ quia obsessis pro anima res erat, ferè inextricabilis capiendæ vrbis difficultas obsistere videretur: obsessores moræ prolixioris pertesi: ne non aliquid ageretur, cum illis, quos expugnare non poterant, pacem fecêrunt: eosque domino proprio, illius scilicet filio, quem [a] mactauêrunt, pactis, pro satisfactione paternæ necis interuenientibus reconciliauêrunt. Fœderib. ergo celebratis, soluta est obsidio, & bene actum videbatur. Quod vtique diuina, sicut postea claruit, ordinatione prouenit, vt scilicet viribus inexpugnabiles congruam ad interitum acciperent talionem, qui Dominum modestũ & bonum artificiosa perfidia crudeliter trucidârant, & eodem illis [b] modio remetiretur a filio, quo ipsi priùs patri mensi fuerant. Nam cum fortè eidem filio postmodum ioco, vel seriò improperatum esset a quodam nobili, quod perfidis ciuibus extincti patris sanguinem vendidisset, ita est sauciatus hoc verbo, vt fidem seruare perfidis indecorum reputans, doloris simul & pudoris

a *v.c. mactauerant.*

b *v. c. medio: sed impress. melius: respexit enim Auctor ad Christum dicentem Matth. 7. qua mensura mẽsi fueritis, remetietur vobis.*

vrgentibus ſtimulis, feſtinam paternæ necis quocunque modo meditaretur vltionem. Mox illuſtri Arragonum Regi, myſteriũ conceptæ intentionis aperiens, accepit ab eo tanquam in adiutorium contra Comitem Egidienſem, nõ paruas gentis ferociſsimæ copias. Et præcurrens ad ciuitatem Bederênſem fama priùs arte diſperſa, quod idẽ Comes irruptionem moliretur, ciuib. ſupplicauit, vt quoniam Regis Arragonũ amicitia & ope gaudebat, mox affuturis Arragonibus, hoſpitium in tranſitu exhibẽtes: iuſtæ [a] commutationis modũ, victualia miniſtrando, ſeruaret. Venientes ergo Arragones non quidẽ ſimul, ne eſſent terribiles, & eorũ ingreſſus nequaquam pacificus videretur, ſed pauci & pauci per dies aliquot, tandem omnes ingreſſi vrbem repleuêrũt. Cũque per totam eſſent in hoſpitiis ciuitatem, repente ad ſignum [b] datum, raptis armis impetum in proximos quoſque ciueis fecerumt, totumque vrbis populum furore inſatiabili fere in momento peremerunt. Sic maledictus ille populus iuſta ordinatione mercedem, quam oportuit, perfidiæ ſuæ &

[a] *v. c. communicationis.*

[b] *v. c. additi, ab arce.*

crudelitatis accepit. Porrò miniſtri vltionis pro mercede ſui operis, habitationem (vt dicitur) accepêrunt perfidorum cędibus ciuium expiatæ ciuitatis. Iis explicitis, quoniã pro tempore memorabilia videbantur: ad ſuſceptæ hiſtoriæ ſeriem redeamus.

Quomodo Reges, Francorum ſcilicet & Anglorum diſſidentes pacificati ſunt.

Cap. XII.

REGITVR Rex Anglorum Henricus ſecundus ab expeditione Toloſana reuerſus breui quieuit. Sequẽti enim anno, qui fuit regni eius octauus: ira inter ipſum & Regem Francorum, tempore eiuſdem expeditionis [a] conceptis cauſis ingraueſcentibus, tandem quaſi parta erupit, & ſubditarum quietẽ prouinciarum motibus turbulentis corrupit. Denique immenſis hinc inde exercitibus congregatis, in terrarum confi-

[a] *v. c. concepta.*

niis caſtris e regione diſpoſitis vterque Princeps cum ſuis copiis conſiſtebat, quia & progredi periculoſum, & retrogredi indecorum videbatur: paratiorq; vterque erat vel Princeps vel exercitus propter bellici diſcriminis ambiguos exitus, prælium excipere, quàm inferre. Viri ergo pacifici hanc hæſitationem habentes: ne duorum Zelus & ſuperbia hominum ſtrages innoxiorũ parerent populorum, piè cautéque ſategérunt. Et quoniam ſub clypeo, vt dici ſolet, melius plerumque procedit pacis negotium: Principibus quod prius ne audire quidem ſuſtinebant, ſine magna difficultate perſuaſum eſt. Itaque pacificati ſunt Principes, & populi rediére in ſua. Sane eodem anno Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus deceſſit, cui Thomas, Cancellarius regius, anno ſequenti ſucceſſit.

De hæreticis Angliam ingressis, & quomodo exterminati sint iusto Dei iudicio.

Cap. XIII.

Isdem diebus Erronei quidam venérunt in Angliam, ex eorum (vt creditur) genere quos vulgò Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gasconia incerto auctore habentes originem: regionibus plurimis virus suæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latissimis Gallię, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque prouinciis tam multi hac peste infecti esse dicuntur: vt secundùm [a] prophetam, multiplicati esse super numerum arenæ videantur. Denique cum a Præsulibus ecclesiarum, & Principibus prouinciarum in eos [b] remissius agitur, egrediuntur de caueis suis vulpes nequissimæ, & prætenta specie pietatis, seducendo simplices, vineam Domini Sabaoth tanto grauiùs, quanto liberiùs demoliuntur. Cum autem ad-

vide notas.

a *Dauid Psal. 138.*

b *anteà male, remissus.*

uersus eos igne Dei fidelium Zelus succenditur: in suis foueis delitescunt, minúsque sunt noxij: sed tamen occultum spargendo virus nocere non desinunt.

a *rustici hæretici vix ad veritatẽ possunt deduci.*

[a] Homines rusticani & idiotæ, atque ideo ad rationem hebetes, peste verò illa semel hausta ita imbuti, vt ad omnem rigeant disciplinam, vnde rarissimè cõtingit eorum aliquem, cum e suis latebris proditi extrahuntur: ad pietatem conuerti. Sanè ab hac & ab aliis pestibus Hæreticis immunis semper exstitit Anglia, cum in aliis mundi partibus tot pullulauerint hæreses. Et quidem hæc insula, cum propter incolentes Britones Britannia diceretur: [b] Pelagium in Oriẽte hæresiarcham futurum ex se misit, eiusq; in se processu temporis errorem admisit: ad cuius peremptionem Gallicanę ecclesię pia prouisio semel & iterum beatissimum direxit Germanum. At vbi hanc insulam expulsis Britonibus natio possedit Anglorum, vt non iam Britãnia sed Anglia diceretur: nullius vnquam ex ea pestis hæreticæ virus ebulliuit: sed nec in eam aliunde vsque ad tempora Regis Henrici secundi tanquam propagandum & dilatandum in-

b *lege Prosper. Aquit. Chron. Anno. 401 Constant. presbyt. in vita sancti Germ. Alisiodor. & vitam S. Genoue.*

troiuit. Tũc quoq; Deo propicio, peſti, quæ iam irrepſerat, ita eſt [a] obuiatum, vt de cætero hanc inſulam ingredi vererentur. Erant autem tam viri, quâm fœminæ paulò amplius quàm triginta, qui diſſimulato errore, quaſi pacificè huc ingreſſi ſunt propagãdæ peſtis gratia duce quodam Gerardo, in quem omnes tanquam pręceptorem ac Principem reſpiciebant. Nam ſolus erat aliquantulùm litteratus: cæteri verò ſine litteris & idiotæ, homines planè impoliti & ruſtici, nationis, & linguæ Teutonicæ. Aliquamdiu in Anglia morantes, vnam tantùm mulierculam venenatis cirumuentam ſuſurris, & quibuſdam (vt dicitur) faſcinatam præſtigiis, ſuo cætui aggregauêrunt. Non enim diu latere potuêrunt, ſed quibuſdam curiosè indagantibus, quòd peregrinæ eſſent ſectæ, deprehenſi [b] tentique ſunt in cuſtodia publica. Rex verò nolens eos indiſcuſſos vel dimittere vel punire, Epiſcopale præcepit: Oxoniæ concilium congregari. Vbi dum ſolemniter de regione conuenirentur: eo, qui litteratus videbatur, ſuſcipiente cauſam omniũ, & loquente pro omnibus Chri-

[a] *perperam impreſ. viatum.*

[b] *ms. addit comprehẽſi*

ſtianos ſe eſſe, & doctrinam Apoſtolicam venerari reſpondêrunt. Interrogati per ordinẽ de ſacræ fidei articulis: de ſubſtantia quidem ſuperni medici recta, de eius verò remediis, quibus humanæ infirmitati mederi dignatur, id eſt, diuinis ſacramentis, peruerſa dixêrũt; ſacrum Baptiſma, Euchariſtiam, Coniugium deteſtãtes, atq; vnitati catholicæ, quam hęc diuina imbuunt ſubſidia, auſu nephario derogãtes. Cumq; ſumptis de ſcriptura diuinis vrgerẽtur teſtimoniis, ſe quidem vt inſtituti erãt credere, de fide verò ſua diſputare nolle reſpondêrunt. Moniti, vt pœnitentiam agerent, & corpori eccleſiæ vnirentur, omnem conſilij ſalubritatem ſpreuêrunt. Minas quoq; [a] vt vel metu reſipiſcerẽt, deriſerunt, verbo illo dominico abutentes; [b] *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnũ cœlorum.* Tunc Epiſcopi, ne virus hæreticum latiùs ſerperet præcauentes: coſdem publicè pronuntiatos hæreticos corporali diſciplinæ ſubdendos catholico Principi tradidêrunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frõtibus eorum inuri: & ſpectante populo,

a v.c. addit piè pretentas.

b Matt. 5.

virgis coërcitos vrbe expelli, districtè prohibens ne quis eos vel hospitio recipere, vel aliquo solatio confouere præsumeret. Dicta sententia: ad pœnã iustissimam ducebantur gaudentes non lentis passibus præeunte magistro eorũ & cantante, [a] *Beati eritis cum vos oderint homines.* In tantum deceptis a se mentibus seductorius abutebatur spiritus. Illa quidem muliercula quam in Anglia seduxerant, metu supplicij discedens ab eis, errorem confessa reconciliationem meruit. Porrò detestandum illud collegium, cauteriatis frontibus, iustę seueritati subiacuit: eo, qui primatum gerebat in eis, ob insigne magisterij, inustionis geminæ: id est, in fronte, & circa mentum dedecus sustinente: Scissisq; cingulo tenus vestibus publicè cæsi, & flagris resonantibus, vrbe eiecti, algoris intolerantia (hiems quippe erat) nemine vel exiguum misericordię impendente, miserè interiêrunt. Huius seueritatis pius rigor non [b] peste illa, quæ iam irrepserat, Angliæ regnum purgauit, verùm etiam, ne vlteriùs irreperet, incusso hæreticis terrore præcauit.

a *Matt. 5.*

b *v.c. addit solum.*

De Concilio Turone celebrato ab Alexandro Papa.

Cap. XIIII.

EODEM tẽpore Romanus Pontifex Alexander de Apulia liquido itinere venit in Gallias. Cum enim illi (vt ſuperius dictum eſt) præter terras Alemannicę ſubditas poteſtati totus, in his quæ Dei ſunt, orbis pareret Latinus, vias tamen obſidentibus Octauiani ſatellitibus, & vel eum adeũtes, vel ab eo redeuntes, ſi qui fortè inciderent, rebus omnibus ſpoliatos carcerali quoq; cuſtodię mancipantibus, rariſſimus ad illum poterat eſſe acceſſus, vnde nec ipſe poteratvt volebat, & [a] decebat fungi ſummo ſacerdotio: & longius Apoſtolicæ brachium extendere poteſtatis. Huius rei gratia mari ſe credens & cum ingenti periculo prouincias adiens Occidentis, occurrentibus ei Præſulibus & nobilibus regionum Gallicanæ Eccleſiæ, multorũ deſide-

[a] v.c. dicebat.

desideriis expectatus aduenit. Magni quoque Francorum & Anglorum Reges aduentum eius solenni honorantes occursu: qualia regiam decebant magnificētiam, insigni exsuli hilariter obsequia præstiterunt. Principum itaque fauore adiutus: conuocatis ecclesiarum pastoribus in octauis Pentecostes generale concilium cum multa gloria Turone celebrauit, anno ab incarnatione Domini M. C. LXIII.[a] Huius autem concilij decreta nostræ duximus historiæ inserenda.

a Et hæc quidē clausula erat in ms. sed deerant statuta concilij.

Decreta Turonensis concilij.

CAP. XV.

QVONIAM enormis quædam consuetudo in quibusdam locis, contra sanctorum patrū institutiones inualuit, vt sub annuo precio sacerdotes ad ecclesiarum regimen statuantur, ne id fiat modis omnibus prohibemus; quia dum sacerdotium sub huiusmodi venali mercede disponitur: ad æternæ retri- *Canon 1.*

butionis præmium consideratio non habetur.

Can. 9. NON satis vtiliter auaritia redarguitur in populo, si ab iis, qui in Clero constitui videntur, & præcipuè qui contempto seculo, religiosorum nomen profitentur & regulam, omnibus modis non cauetur. Prohibemus ergo ne ab ijs qui ad religionem transire voluerint, aliqua pecunia requiratur; neue prioratus, aut capellaniæ quælibet monachorum aut clericorum annua districtione vendantur: neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione vllum precium exigatur. Hoc autem Simoniacum esse, sanctorum autoritas patrum manifestè declarat. Vnde quisquis hoc de cætero præsumpserit attentare, partem se cum *vide notas.* Simone non dubitet habiturum. Pro sepultura quoque, vel chrismatis, seu olei sacri perceptione: nulla cuiusquam precij venalitas intercedat, neque sub obtentu alicuius consuetudinis reatum suum aliquis tueatur: [a] quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget.

a *Diuturnitas tẽporis auget peccata, nõ minuit.*

Can. 10. b *male an-*

QVIA in quibusdã [b] episcopatibus,

Decani vel Archibresbyteri, ad agendas vices Episcoporũ vel Archidiaconorum, & terminandas causas ecclesiasticas sub annuo precio statuũtur: quod ad sacerdotum grauamen, & subuersionem iudiciorum non est dubium redũdare: id vlteriùs fieri districtius prohibemus. Quod qui fecerit: remoueatur a Clero. Episcopus quoque, qui hoc in sua diœcesi sustinuerit, & ecclesiastica iudicia sua patitur dissimulatione peruerti, canonica districtione plectatur. *tea, episcopalibus.*

MAIORIBVS ecclesiæ beneficiis in sua integritate manẽtibus, indecorũ nimis esse videtur, vt [a] iuniores clericorum præbendæ [b] recipiant sectionẽ. Idcirco, vt sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis firmã habeat ecclesia vnitatem, diuisionem præbendarum aut dignitatum permutationem fieri prohibemus. *Can. iij. habes relatum cap. de præbendis. l. 3.*

a *edit. plãt. minorum*

b *edit plan. patiantur.*

PLVRES clericorũ & (quod mærẽtes dicimus) eorũ quoq;, qui præsens seculum professione [c] votisq; & habitu reliquêrunt, dum communeis vsuras manifestiùs damnatas exhorrent. commodata pecunia indigẽtibus possessiones eorũ in pignus accipiunt: & proue- *Can. v.*

c *in Decretal. edit. Plantin. vocis cap de vsuris, plures lib v c. de vsuris*

nientes fructus percipiunt vltra sortem; Idcirco generalis concilij decreuit auctoritas, vt nullus amodo constitutus in clero, vel hoc vel aliud vsuræ genus exercere præsumat; & si quis hactenus alicuius possessionem data pecunia sub hac specie in pignus accepit, si sortē suã diductis expensis de fructibus iã percepit, absolutè possessionē restituat debitori. Si autē aliquid minus habet, eo recepto, possessio liberè ad Dominũ reuertatur. Quod si post huiusmodi constituta in clero quisquam exstiterit, qui detestãdis vsuratũ lucris insistat, ecclesiastici officij periculũ patiatur; nisi beneficiũ ecclesię fuerit, quod redimendũ ei hoc modo de manu laica videbatur.

Can. vj. A partibus Tolosæ damnanda hæresis dudũ emersit: quæ more cancri paulatim se ad vicina loca diffundens: per Gasconiam & alias prouincias, quamplurimos iam infecit: & dum in modũ serpentis intra suas reuolutiones absc̃ditur, quantò serpit occultiùs, tanto grauiùs dominicam vineam in simplicibus demolitur. Vnde Episcopos, & omneis domini sacerdotes in illis partibus commorantes inuigilare præci-

pimus, & ſub interdictione anathematis prohibere: ne, vbi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores, receptaculum quiſquã eis in terra ſua præbere, aut preſidiũ impertiri præſumat: ſed nec in vẽditione & emptione, aliqua cũ eis communio habeatur, vt ſolatio humanitatis amiſſo, ab errore viæ ſuæ reſipiſcere cõpellantur. Quiſquis autem contra hæc venire [a] tentauerit: tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur. Illiverò ſi deprehenſi fuerint per catholicos Principes; cuſtodiæ mancipati, omnium bonorũ amiſſione multentur. Et quoniã de diuerſis partibus [b] in vnũ latibulum crebrò conueniũt, & præter conſenſum erroris nullam cohabitandi cauſam habentes, in vno domicilio cõmorantur: talia conuenticula & inueſtigentur attentiùs, & ſi inuenta fuerint, canonica ſeueritate vetentur.

[a] *ante hac tetauerit.*

[b] *relege notas ad c. 13. huius libri.*

QVAMVIS graue nimis, & diuini animaduerſione iudicij dignum habeatur, quod Laici quidam, quod ſacerdotũ eſt, in eccleſiaſticis rebus vſurpant: maiorẽ tamẽ incitat formidinẽ ac dolorem, quod fomitẽ ſui erroris in ipſo clero dicũtur aliquoties inuenire, dum *C. vij.*

quidam fratrum & coëpiſcoporum noſtrorũ aliorumq; prælatorũ [a] eccleſiæ decimas eis, & eccleſiarũ diſpoſitiones indulgẽt: & in deuia eos mortis impellunt, qui prædicatione eorũ ad vitę viã fuerant reuocandi, de quibus Dominus dicit per [b] prophetã, *peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem prouocant animas eorum.* Vnde ſtatuimus vt quiſquis alicui laico in ſeculo remanenti eccleſiã decimamuè cõceſſerit: a ſtatu ſuo tanquã arbor, quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur: & donec emendetur, ruinæ ſuæ iaceat dolore proſtratus.

[a] *huc pertinet c. peruenit ad nos c.1.q.3.*

[b] *Oſee.4.*

NON magnopere antiqui hoſtis inuidia infirma eccleſiæ membra præcipitare laborat: ſed manũ mittit ad deſiderabilia eius, & electos quoſque nititur ſupplantare, dicẽte ſcriptura; [c] *Eſcæ eius electæ.* Multorum ſiquidẽ [d] caſu operari ſe reputat: vbi precioſius aliquod mẽbrum eccleſiæ ſua fuerit calliditate detractum. Inde nimirum eſt quod ſe in Angelum lucis more ſolito transfigurans: ſub obtentu languentium fratrum conſulendi corporibus, & eccleſiaſtica negotia fideliùs pertractandi regulares quoſdam ad legendas leges, & confe-

Can. viij. quem rurſus leges 11. append. conci. later. ab eodem Alex. habiti, parte 26 c.11.

[c] *Iob. 39. iuxta 70. dædit Colon. caſum.*

ctiones phyſicas ponderandas de clauſtris ſuis educit. Vnde ne ſub hac occaſione [a] ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus inuoluantur, & in interioribus ex eo ipſi deficiant, ex quo ſe aliis putant in exterioribus prouidere: de præſentis concilij aſſenſu ſtatuimus, vt nullus omnino poſt votum religionis, poſt factam in aliquo religioſo loco profeſſionem, ad phyſicam, legeſue mundanas legendas permittatur exire. Si verò exierit, & ad clauſtrum ſuum infra duorum menſium ſpatium non redierit: ſicut excõmunicatus ab omnibus euitetur: & in nulla cauſa, ſi patrocinium prẹſtare voluerit, audiatur. Reuerſus verò in choro, in capitulo, in menſa, & cæteris, vltimus fratrum ſemper exiſtat: & (niſi ex miſericordia fortè Apoſtolicæ ſedis) totius ſpem promotionis amittat. Epiſcopi verò, Abbates, Priores tantæ enormitati conſentientes & non corrigentes, ſpolientur propriis honoribus, & ab eccleſiæ liminibus arceantur, calumniam, & audaciã temerè litigantium condemnando in expenſis, & alio multiplici remedio sãctio imperialis compeſcit. Quoniã igi-

[a] *adi. Colõ. interiicit ſcientiæ.*

ca 9. reduct. ex l. 5. decreta. tit. de pœnis.

tur sacris institutis consonare dignoscitur: præcipimus vt de cætero in causis pecuniariis victus, victori in expensis legitimis condemnetur: nisi sententia pro absente feratur.

De ira Regis in venerabilem Thomã Cantuariensem Archiepiscopum.

Cap. XVI.

ANNO concilij eiusdem nondum emenso aduersus venerabilem Thomam Cantuariensem Archiepiscopum ira Regis Anglorum excanduit, multorũ & enormium malorum, quæ secutá noscũtur, infame principium. Sanè idẽ Thomas Lundoniis oriundus, vir acris ingenij & competentis eloquij, vultu & moribus elegans, in efficacia quoq; rerum agendarum nulli secundus: in obsequio Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi præcipuus fuerat, & ab eo Archidiaconatũ Cantuariẽsẽ, Rogerio ad Eboracensis ecclesię Pontificatũ assumpto acceperat. Cum autẽ Henricus

ſecundus, defuncto Stephano (vt ſuperiùs dictum eſt) regnum hæreditarium ſuſcepit, virum corã Regibus ſtare idoneum ſibi deeſſe nõ paſſus, ſublimitatis regiæ fecit Cancellarium. Quo officio inſignis tam egregiè ſeculo militauit, tanti apud Principem amoris ſimul & honoris prærogatiuam obtinuit, vt cõregnare videretur. Fluxerãt ei anni aliquot in militia ſeculari, cum ecce Eccleſiaſticæ militiæ aſcribitur, & voluntate regia Cantuarienſis eccleſiæ pontificatũ ſortitur. Mox tanti honoris quãtum eſſet onus, pia & ſagaci conſideratione permetiens: habitu & moribus ita repentè mutatur, vt quidam dicerent, *digitus* [a] *eſt hic*: alij autem, *hæc mutatio dexteræ excelſi.* Secundo promotionis ſuæ anno, concilio Turonenſi interfuit: vbi (vt dicitur) pontificatum minus ſyncerè & canonicè, ideſt, per operam manumque regiam ſuſceptum, pũgentis conſcientię ſtimulos non ferens, ſecretò in manus Domini Papæ reſignauit. Qui factum approbans, paſtoralem illi ſarcinã Eccleſiaſtica manu rurſus impoſuit, & in homine ſcrupuloſo, turbatæ conſcientiæ læſionem ſanauit.

Id fuſiùs narrat Math. Parquerus in Antiquit. Eccleſiæ Britann.

[a] *aut.c addit, Dei.*

Regressis a concilio ad proprias sedes Episcopis, [a] & sacerdotium in Anglia disceptare cœpêrunt, & facta est turbatio non modica super prærogatiua ordinis clericalis. Rege quippe circa curã regni satagenti: & malefactores, sine delectu exterminari iubenti, a iudicib. intimatum est, quod multa cõtra disciplinam publicã, scilicet furta, rapinæ, homicidia, a clericis sæpius committerẽtur, ad quos scilicet laicæ non posset iurisdictionis vigor extendi. Denique ipso audiente declaratum dicitur, plusquam cẽtum homicidia intra fines Angliæ a clericis sub regno eius commissa. Quãobrem acri motu turbatus, in spiritu vehementi contra malefactores clericos posuit leges in quib. vtique zelum iustitiæ publicæ habuit, sed feruor immoderatior modũ excessit. Sanè huius immoderationis regiæ, nostri temporis Episcopos tantùm respicit culpa, quantùm ab eis processit & causa. Cum enim sacri præcipiunt canones, Clericos, non solùm facinorosos, id est, grauioribus [b] irretitos criminibus, verumetiam leuiorum criminum reos degradari: & tot milia talium, tanquam innumeras inter

a *v. c. præponitregnũ: & quidem necessariò præponendum.*

Huc refert c. 22. 23. l. 1 vide S. Thom. dicta histor. quadripartitio.

b *prauè antea, hæreticos.*

pauca grana paleas Ecclesia Anglica cõtineat: quantos a multis retro annis clericos in Anglia contigit officio priuari? Nempe Episcopi, dum defendẽdis magis clericorum libertatibus vel dignitatibus, quàm eorum vitiis corrigendis resecandisque inuigilant: arbitrantur obsequium se præstare Deo & Ecclesiæ, si facinorosos clericos, quos pro officij debito, canonicæ vigore censuræ coërcere vel nolunt, vel negligunt: [a] contra publicam tueantur disciplinam. Vnde clerici, qui in sortem Domini vocati tanquam stellæ in firmamento cæli positæ, vita & verbo lucere debent super terram: habentes per impunitatẽ agẽdi quodcunque libuerit, licẽtiam & libertatem: neque Deum, cuius iudiciũ tardare videtur, neque homines potestatẽ habentes reuerentur: cum & Episcopalis circa eos sollicitudo sit languida, & seculari eos iurisdictioni sacri eximat ordinis prærogatiua. Cũ ergo memoratus Princeps in paleas sacri ordinis, [b] ideſt, facinorosos clericos vel discutiendos vel puniendos noua quædã statuta feciſſet, in quib. (vt dictũ est) modũ non tenuit: ita [c] vt demum credidit

[a] *non hîc tantum sed & suprà in ms. est publicani.*

[b] *v.c. &.*

[c] *v.c. ea.*

fore rata, si episcoporum essent consensu roborata. Conuocatis ergo ad eliciendum quocunque modo cõsensum Episcopis, ita omneis vsque ad vnum, vel pellexit blanditiis vel infregit terroribus, vt regiæ voluntati cedendum parendumque putarent, & nouarum legum illarum conscriptioni propria sigilla apponerent. Vsque ad vnum dico, nam solus Cantuariensis Archiepiscopus flexus nõ est, sed ad omnem impulsum stetit immobilis. Tunc verò tantò vehementius [a] Regis in eum furor efferbuit: quantò ipse regali magnificentiæ, ratione dati & accepti magis obnoxius videbatur. Vnde Rex cœpit ei grauis existere, occasionibus eum vndecũque exquisitis pulsare, eorum, quę olim in regno Cãcellarius fecerat, rationem exposcere. Ille intrepida libertate respondit, se expleta seculari militia, Ecclesiæ, a Principe cui militauerat, absolutè fuisse dimissum, nec debere in se per occasionem magis quàm veritatem vetera replicari. Cumque indies Regij furoris causæ ingraescerẽt, eo die, quo plenius responsurus erat obiectis, solemne illud officium de beato Stepha-

[a] *v.c. Regius.*

no, scilicet: *Sederunt Principes, & aduersum me loquebantur, & iniqui persecuti sunt me,* iussit coram se in celebratione sacrificij solenniter decantari. Mox Curiam ingressus est, crucem argenteam ante se portari solitam manu propria baiulans. Volentibusque quibusdam Episcoporum, qui aderant, ministerium portādæ, ante Metropolitanum proprium, crucis suscipere, abnuit, nec alium in illo conuentu publico crucis baiulum, quantumcunque rogatus, admisit. Iis tanquam excandescētis iam furoris fomitibus rege supra modum inflammato, sequenti nocte clā profugiens transfretauit; & susceptus honorificè a Rege, nobilibus, Episcopisque Francorum, pro tempore ibidem cōsedit. Rex verò Anglorum in absētem irrationabiliter [a] sæuus, & plusquā deceret Principem, effrenato furori indulgens: indecora satis & mirabili vltione omnem eius propinquitatem Angliæ finibus exturbauit. Sanè cum plerique soleant in iis, quos amant & laudant, effectu quidem propēsiori, sed prudentia parciori, quidquid ab eis geritur approbare: planè ego in viro illo venerabili, ea, quæ ita

[a] *v.c sauiēs & certè puriùs, pro seuirus, quod hactenus fuit lectum.*

ab ipso acta sunt, vt nulla exinde proueniret vtilitas: sed feruor tantùm accenderetur regius, ex quo tot mala postmodum pullulasse noscuntur, laudanda nequaquam censuerim, licèt ex laudabili zelo processerit: sicut nec in beatissimo Apostolorum Principe, arcem iam Apostolicæ perfectionis tenente, quod genteis suo exemplo Iudaizare coëgit: in quo eum Doctor gentium reprehensibilem [a] declarat fuisse, licèt eum constet laudabili hoc pietate fecisse.

a Galat. 2.

De morte Octauiani, & de reditu venerabilis Papæ Alexandri in Italiam.

Cap. XVI.

b v. c. addit, Papa.

ALEXANDRO [b] post Turonense concilium in Galliis commemorāte, Octauianus (qui Victor est dictus) extrema sorte deuictus, initi certaminis victoria caruit: & nominis, quod tanquam pro omine a suis acceperat, fallax

præsagium non impleuit. Tunc Ioannes de Sancto Martino, imperiali fauore adiutus, Guidonem Cremensem collegam suum loco deuicti Victoris instituit, ne victi viderentur. Alexander verò annis aliquot in Galliis demoratus, repatriandi iter arripuit, apud mõtem Pessulanum tarnsitum in Apuliã [a] opperiens opportunũ. Imperator verò non quiescens, secretis (vt dicitur) litteris, & promissis amplissimis apud Guillelmum eiusdem vrbis Dominũ agere studuit, vt proderet hospitem. At vir memorabilis integræ fidei inuentus est, & insignem hospitem, decentissimè honorauit. Cúmque Cardinales cum multitudine virorũ fortiũ, qui Ierosolymã properabant, Dromonẽ hospitalis Hierosolymitani ingressi, Dominum Papã mox secuturum iactis in alto mari anchoris exspectarent: contigit Dromonem a prætereũte classe piratica infestari. Aduehebatur Pontifex ex Triremi ingressurus Dromonem: sed conspectis circa Dromonẽ piratis, mox remis retortis in Magalonensẽ se portũ recepit. At [b] ij, qui erant in Dromone, tam viriliter restitere Piratis: vt confusos nec

[a] *v. c. reperiens. Illũ ipsum esse ad quẽ Innoc. 3. rescriptum extat c. Peruenit l. 4 nihil repugnat. Vide notas.*

[b] *v. c. viri.*

illæsos abigerent. Itaque Dominum Papam non vlterius cum periculo expectandum censentes: cursu prospero fines regni Siculi attigerunt. Idem verò Pontifex post dies aliquot in alia naui mari se credidit, & secundis in Apuliam flatibus nullo prorsus obsistente transiuit. Susceptusque reuerenter a Rege Siculo, & quotquot eius erant ditioni subiecti: ciueis quoque Romanos cum optimatibus post modicum deuotos & subditos habuit. Verum arcta erat via, quę ex Transalpinis regionibus ad eum ducebat; eo quod Satellites vel [a] Imperatoris vel Pseudopapæ itinera sollicitè obseruarent. Porro Imperator Ecclesiasticæ pacis diruptor, pace & integritate diu nõ est gauisus imperij. Cũ enim in Longobardos insolentiùs ageret, illi iugum Alemannicum non ferentes, in libertatem se pristinam receperunt, & restaurato a propriis ciuibus ex dispersione confluentibus, cum sociarum auxilio ciuitatum Mediolano: vrbem quoque Alexandriam ex nomine Domini Papæ, cui se deuotos esse gaudebant, sic [b] vocatam, apto loco ad excipiendos primos Alemãnorum Italiam ingre-

[a] *antea, vitiosè Imperatores.*

[b] *v.c. notatam.*

ingredientium impetus condiderunt. Quam dum Imperator in ipsis eius primordiis obsidione cinxisset, expugnare non potuit: sed exercitu frustra fatigato discedens, hostium contra se fiduciam auxit.

De secunda expeditione Vvalensi, & de adquisitione Britanniæ.

CAP. XVIII.

ANNO quo Papa Alexander (vt dictũ est) relectis Galliis in Apuliam remeauit: orta inter Regem Anglorum & Vvalenses rediuiua simultas, vtrique parti res magni negotij fuit. Cùm enim eadem gens effrænis & effera, rupto petulanter fœdere, obsidibúsque, quos in fidem pactorum dederant, periculo expositis, vicinos Anglorum fineis turbarent: Rex immenso tam ex regno quàm ex Transmarinis prouinciis exercitu adunato, vi magna, hostium fineis ingressus est. Et quidem propter inextricabiles locorũ difficultates non poterat longiùs progredi: sed tamen eorum frenatis excursibus ita

coarctauit incluſos, vt pacem meditari cogerentur. Rex vero ex Vvalijs reducto exercitu ad alia vocatus negotia: transfretauit, filiorum propenſiori opera futuræ promotioni, & ditationi proſpiciens. Quippe ex Alienora quondam Francorum regina ſuſceptis quatuor filijs, Henricum natu maiorem regni Anglici, & Ducatus Normannici, cum Andegauenſi Comitatu ſucceſſorem relinquere, Richardum verò Aquitaniæ, & Gaufridum Britanniæ præficere cogitabat: quartum, natu minimum Ioannē ſine terra cognominans. Treis quidem ex eadem habens filias: vnam Regi Hiſpaniæ, alteram verò Saxonię Duci deſpondit: tertiam nondum nubilem, Regi Siciliæ ſuo tempore comparem daturus. Verū quòd [a] præficiendo Britanniæ filio cogitabat, artibus viribuſque paulatim pręparabat, cū necdum ſuæ Britanniā ditioni ſubiugaſſet. Iam tamen duos in eandem prouinciam præparatos habebat ingreſſus: ciuitatē ſcilicet [b] Naminatenſem, & Caſtrum Dolenſe, Contigit autem Conanum Comitem ſcilicet Richemōtenſem, qui maiori Britannię,

[a] *ante hunc malè perfi-ficiendo.*
[b] *Ita fer-me v.c. ſed neceſſario legendum, Nannetenſem.*
[b] *v.c. Richemundenſem.*

parti dominabatur, in fata concedere: relicta ex sorore Regis Scottorum hærede vnica filia. Quam Rex innubilem impuberi filio copulans: omne ius puellæ in proprium potestatẽ redegit. Erant autem in Britannia quidam nobiles tãtarum opum & virium, vt nullius vnquam dignarentur subiacere dominio. His multis annis retrò dominandi libidine, atque impatientia seruiendi hostiliter contendentibus: præclara olim [a] prouincia ita dilacerata atque attenuata erat, vt in ea ex agris opulentissimis vastæ solicitudines viderentur. Cúmque a potentioribus inferiores premerentur, Regis Anglorum auxilium expetentes, eius se ditioni spontanee subdidêrunt. Quibus ille prompto animo & profusis opibus auxilium subministrans: ipsos quoque potentes, & magnitudine virium, & vix accessibilium natura locorum eatenus inexpugnabiles credebantur, subegit; sicque in breui Britãnia tota potitus, turbatoribûsque expulsis vel domitis, eam in cunctis finibus suis ita disposuit atque cõposuit, vt populis in pace agentibus, deserta paulatim in vbertatem verterentur.

[a] v. c. Regis regio.

De transitu piissimi Regis Scottorum Malcolini.

Cap. XVIII.

Circa hæc tempora Christianissimus Rex Scottorũ Malcolinus, cuius in præcedenti libro [a] (prout decuit) fecimus mentionem; Christo vocante, hominem exuens, Angelis sociãdus regnum non perdidit, sed mutauit. Hominem Angelicæ synceritatis inter homines, & tanquam terrenum quendam angelum (quo dignus nõ erat mundus) celestes angeli rapuêrunt e mũdo. Homo in ætate tenera mirandæ grauitatis: in regni fastigio atque deliciis, [b] & sine exemplo puritatis, ex corpore virgineo raptus est, & agnum virginis filium sequuturus eum quocunque ierit. Raptus est planè morte immatura, ne mirandã eius innocentiam atque mundiciã cum regnantem iuuenem tot in contrarium occasiones, & incentiua impellerent,

[a] cap. 25.

[b] v. c. addit, stupendæ.

mutaret malicia temporũ. Verùm quia mirabili animæ inter virtutum insignia non deerant [a] sordeculæ, ex Regiis deliciis, quas tamẽ tolerabat magis, quàm amabat, contractæ: cælitus emissa, non immissa visitatio [b] paterno eum verbere castigauit, & excoxit ad purũ. Quippe annis ante exitum aliquot ita elanguit, & præter alia incommoda grauissimis extremitatũ, id est capitis & pedũ laborauit doloribus: vt quilibet peccator pœnitens tantis videretur flagellationibus ad liquidum posse purgari. Vnde manifestum est puerum Dei, non tantum ad purgationem, verum etiam ad probationem, & incrementa virtutum, vel augmenta meritorum, seueritatem paterni verberis fuisse expertum. Dormiuit ergo cum patribus suis, & sepultus est apud Dunfremelin, locum scilicet in Scotia sic dictum, Regum sepulturis insignẽ. Succesit ei frater eius Guillelmus, [c] fratre quidem, vt videbatur, ad vsum mundi aptior, sed in regni administratione fratre felicior non futurus. Mundo, quo frater simpliciter, ideóque piè & laudabiliter vti voluit: non simpliciter ipse sed frui intendens,

a *v. c. sordiuscule, sed prior lectio germanior.*
b *v. c. paternè.*
c *legebatur fratri.*

& fratris modum in temporali excellentia multùm conatus transcendere: eius tamen gloriam nunquam potuit, vel in temporali felicitate æquare. Nuptiarum bono, cui frater piæ sanctæque præposuit virginitatis optimum: multo quidem tempore vti, vel [a] ad sobolem, vel pro remedio incontinentiæ distulit. Tandem verò salubrioris instinctu cõsilij de Transmarinis cuiusdam Primarij filiam duxit vxorem: & de cætero non solũ vixit correctiùs, verùm etiam regnauit feliciùs.

a *v. c. non habet præpositionem.*

---

[b] *De vita & morte venerabilis Godrici.*

Cap. XX.

b *v. c. inscribit de Hæreticis Anglicorũ, & eorũ exterminatione: sed perperam.*

Isdem temporibus fere venerabilis Eremita Godricus de [c] Finchala (loco scilicet [d] solitario sic dicto) non longè a ciuitate Dunelmensi super amnem Vvirum, annis maturus & meritis, in domino requieuit. in quo planè

c *v. c. Fonchala.*

d *v. c. Solitario.*

cernere erat pium, altumque diuinitatis beneplacitum ad confusionem nobilium, & magnorum, ignobilia mundi, & contemptibilia eligentis. Cum enim esset rusticanus, & idiota, nihilque sciẽs, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixũ, quod vtique quantumlibet obtusis, & rudibus, [a] totisque hausit ossibus ignẽ, quem Dominus misit in terram. Denique cælibatum, quem Deo gratum & sublimis esse meriti fortè didicerat, deuotè amplexus; in cibo & potu, in verbo & gestu, homo simplicissimus, [b] decente cum grauitate seruare modũ studuit. Velox ad audiendum, tardus autem ad loquẽdum, & in ipsa locutione parcissimus. Flere cum flentibus doctus, ridere autem cum ridẽtibus, & iocari cũ iocantib. nescius. Iuuenis sepulchrum dominicum in multa paupertate nudis incedendo pedibus, visitauit, reuersúsque ad propria: locum [c] apertũ, vbi Deo seruiret, sollicitè quæsiuit. Accepitque in somniis (sicut aiunt) vt locũ Finchala dictum quæreret, ibidẽ Deo volente victurus. Quem tandem post multam lustrationem inueniens, ibidem cũ sorore paupercula primùm, &

[a] *v. c. addit, in fidei cunabulis traditur: ingressu adolescẽtiæ feruere, cœpit spiritũ.*

[b] *v. c. decentem.*

[c] *v. c. aptũ.*

ea defuncta solus multo tempore habitauit. Vitæ autem eius districtio fere supra humanum modũ fuisse perhibetur. Memoratus quidem locus syluosus est, sed modicã habet planiciem: quam ille fodiendo exercens, fructum ab ea annuum, quo, vtcũque sustentaretur, exigebat: & quantulamcunque poterat, aduenientib. exinde charitatẽ exhibebat. Sanè Dunelmẽsi ecclesiæ mundissimæ vitę merito commendatus: talem sancti collegij ibidem consistentis circa se prouidentiam meruit: vt senior monacus ad hoc ipsum deputatus, crebrò eum visitaret, tum [a] instructione simplicitatis rusticæ, tũ etiã vt [b] participatione sacri ministerij certis dieb. munieretur. Diu quidẽ hostis antiquus hominem simpliciſsimum insidiando circũuenire tentauit. ubi autem insidias vidit minus procedere: [c] simplicitatẽ saltem præstigiis curauit illudere. Sed vir Dei hostiles & cautè vitauit insidias, & constãter spreuit derisitque præstigias: beatissimo maximè Ioanne Baptista, quem specialiter diligebat, crebrius eum visitante, informante & roborante. Hoc modo vsque ad decrepitam viuens æta-

a v. c. addit pro.
b melius v.
c sacri participatione mysterium.
c v. c. simplicitati.

tem paucis ante mortem annis senilium defectu membrorum decubuit, & diebus plurimis quantulascunque in moribundo corpore vitæ reliquias modico lactis hausto seruauit. [a] Illis diebus videre eum, & alloqui merui in oratorio proprio iuxta sacrum altare iugiter decumbentem. Cumque toto fere corpore quodammodo præmortuus videretur: expeditè tamen loquebatur illa ori eius familiaria verba, scilicet Patrem & Filium & Spiritum sanctum sæpius replicans. In vultu autem eius mira quædam dignitas & decus insolitum visebatur. Transiit ergo senex & plenus dierum, idemque loci spacium eius nunc corpus occupat, quo vel orans procumbere, vel ægrotus decumbere consueuerat.

[a] *v. c. præponit denique.*

De quodam Ketello, & gratia diuinitus illi collata.

a v. c. inscribit: de vno digno memorari, scilicet Ketello rustico in prouincia Eboracensi.

b v. c. memorabilia.

Cap. XXI.

FVIT & alius quidá vir [b] venerabilis in noſtra, i. Eboracenſi prouincia apud vicum, Farneham dictum, nomine Ketellus. Homo quidem ruſticanus, ſed innocentiæ & ſimplicitatis merito ſingularem quandam a Domino gratiam conſequutus. De quo ſanè plura memorabilia veracium mihi virorum innotuére relatu, e quibus pauca retexam. Idem cum eſſet adoleſcens, quodam die iumento ſedens domum reuertebatur ex agro. Et ecce in via plana iumentum tanquam in aliquod offendiculum impingens: in terram decidit, & ſeſſorem deiecit. Qui exurgens vidit duos quaſi Ethiopes paruulos ſedentes in via, & conridentes. Intellexit eſſe dæmones non ampliùs permiſſos nocere, & gaudentes ſe vel modicum nocuiſſe. Accepitque tale donum ex

[a] Deo, vt ab illa die deinceps dæmones habere conſpicabiles, & quantumcũq; [b] lædere cuperent, eũ laterenõ poſſent. Intuebatur eos, vt homines vel in modico lęderent oberrantes, & ſi fortè, vel modicũ læſionis intuliſſent, exultantes. Deniq; huius ſibi gratiæ conſcius, cœpit Deo deuotus exiſtere, orandi ſtudio crebrius ſecretum captare, eſu carnium & lineis abſtinere: eccleſiam, quantum poterat, ita frequentare, vt ingrederetur primus & vltimus egrederetur. Cęlibatum amplexus de nuptiis nõ curauit, vſq; ad finem vitæ in obſequio poſitus cuiuſdam Adæ clerici de Farnehã. Accepti muneris ſecretum tenuit, nec ſuas paſſim voluit reuelare viſiones: niſi fortè Sacerdoti, tanquam confeſſionis myſterium, aut domino ſuo, ſiue alicui ſapienti arctiùs inquirenti. Stabat aliquando pro foribus domini ſui circa ſolis occubitum; viditque decem dæmones, quorum vnus maior erat, & præeſſe cæteris videbatur: vicum ingreſſos. Cumque vno in loco ſubſiſterẽt, & ſecum confabularentur, tanquã ſecreto deliberantes de agendis: maior ille cœpit binos mittere per domos.

[a] v. c. a

[b] v. c. latere.

Ipſe autem cum vno foreis, vbi ſtabat Ketellus, ingredi voluit. Tum ille, *in nomine*, inquit, *Chriſti interdico vobis ianuæ huius ingreſſu, & moram in vico iſto: reuocate ſocios veſtros, & abite velociter.* Paruére inuiti, ſacri nominis adiurationē non ferentes, & ſuas molitiones ab homine animaduerſas dolentes. Idem vidit aliquando dæmones tranſeuntes cū carro diligenter clauſo, & audiebatur foris gemitus incluſorum; porro illi ridebant. Tum ille ad eos (nam ſolebat impauidus cum huiuſmodi ſpiritibus miſcere ſermonē) quid eſt, inquit, hoc? Et illi: *animas*, inquiunt, *peccatrices deceptas, captaſque a nobis ad loca pœnalia ducimus: illæ gemunt, & nos ridemus. Te quoque nobis tradi optamus, vt etiam ſuper te, cum hoſtis noſter ſis, gratulantius rideamus.* Tum ille, *abite*, inquit, *maligniſsimi; riſus veſter in luctum vertatur.* Contigit [a] cum aliquando eorundem pæne hoſtium ſęuitiam experiri. feſſus, ex agrario opere, domum reuerſus, dum ſomno grauaretur: ſacri ſe ſignaculi nequaquam impreſſione muniuit. Dormienti loco ſolito ſoli aſtitêre duo dæmones, ſæuiſ nimis atq; terribiles, & excitatum appre-

[a] v.e. addit autem.

hendentes; *euge*, inquiunt, *Ketelle incidisti in manus nostras: infestos sentire habes, quos prouocare minimè timuisti, quorum mysteria totiès prodidisti.* Ille subito casu attonitus, nomẽ Christi inuocare, & signare se voluit, nec valuit. Manus enim eius & lingua tenebantur, ne sacri sev el signi vel nominis munimine tueretur. *Noli* (inquiunt) *Ketelle frustra conari: manum linguamque tuam ligauimus, vt nihil tibi aduersum nos valeat suffragari.* Cumque ita de illo triumphare viderentur; & malũ quod ei facere cogitabant, verbis minacibus atque insultatoriis præuenirẽt, repentè iuuenis splendidus bipennem manu ferens introiit, stansq; in medio, bipenni molliter digito tacta sonitum dedit. Quo sonitu exterriti dæmones: relicto, de quo triumphare cœperant, homine, diffugêrunt. Tum accedens iunenis (quem eiusdem hominis credo fuisse Angelum) *Ketelle*, inquit, *negligentia tua pæne te periclitari nunc fecit. Caue ne vlterius te inueniant insidiantes tibi hostes inermem.* Dicebat autem idem Ketellus esse quosdam dæmones magnos, robustos & callidos, multumque nocuos si relaxentur a superiori potestate, quos-

dam verò paruos ac despicabiles, impotentes viribus & sensu hebetes, omneis tamen pro modulo suo infestos hominibus, multumque lætari, si vel parũ illis [a] molestiæ inferant. Vidisse se quosdam tales sedentes secùs vias, & facientes offendicula transeuntibus, petulanterque ridentes: cum vel hominem, vel [b] iumenti eius, pedes atterere facerent, & maximè si homo hoc ipsum iumẽto imputans, maledicto in iumentum calcaribusve sæuiret. Porro si homo vel modicè turbatus nomẽ ederet Saluatoris (vt est quorundã consuetudo valdè laudabilis) tristes & cõfusi fugiebãt. Aiebat se quoq; aliquãdo domum potationis ingressum vidisse huiusmodi dæmones in specie simiarum, singulos potatoribus singulis in scapula sedẽtes, illisq; potantibus spuẽtes in phialas: hominumq; vecordiam petulanti gestu, & ludicris motibus irridentes. Cumque interpotandum preces ex more indicerentur, & nomen Saluatoris insonaret, exterriti exsiliebant, virtutem sacri nominis non ferentes, sed mox residentibus ad phialas rusticis, rursus introibant, sessionem priorem cum motibus

[a] v. c. molesti.

[b] antea iumentũ, sed malè.

Laudabilis consuetudo pronuntiandi nomen Saluatoris ad quamlibet turbationem.

ſolitis repetentes. Sanè cui tanta diuinitus collata eſt gratia in animaduertendis nequam ſpirituum actibus atque inſidiis: annis vitæ ſuæ in multa innocentia & ſyncritate expletis, dormiuit in domino, ſepultuſque eſt apud Farneham.

De diutina vacatione Eccleſiæ Lincolnienſis.

Cap. XXII.

ANno regni Henrici ſecundi quarto decimo, qui fuit a partu virginis M. C. LXVII. mortuus eſt Robertus, Eccleſiæ Lincolnienſis Antiſtes, Alexandri ſucceſſor; redactoque in Fiſcum Epiſcopatu, vacauit Paſtorali prouidentia eadem Eccleſia per annos fere decem & ſeptem, i. ab anno eiuſdem Regis quartodecimo vſque ad triceſimum, ita [a] vt aliquis in ea Pontificatus futurus vlteriùs tepidè crederetur, maximè propter verbũ cuiuſdã cõuerſi de Tama a deceſſu prænominati E- 1167.

[a] *v.c. ita vt aliquis in ea vlterius Põtificaturus.*

piſcopi conſtanter pronuntiantis, nullũ vlteriùs fore Eccleſiæ Lincolnienſis Epiſcopum. Is enim (vt dicitur) cũ propter religioſæ conuerſationis meritum, & multorum, quæ ſimiliter prædixerat, euentum, ſpiritu prophetico pollere videretur, a pluribus in fidem receptum eſt, quod nec in ea re falleretur. At hæc poſt modicum fides [a] mutare viſa eſt Gaufrido, Regis filio naturali, in gratiam eiuſdem Regis, ad memoratę Eccleſiæ Pontificatum electo. Cum autẽ ille ampliſſimis contentus reditibus, vt liberiùs vacaret deliciis, canonicæ cõſecrationis tempus protraheret, oueiſque dominicas neſciens paſcere, & doctus tondere, multo tempore Lincolnienſi Eccleſiæ ſub electi nomine incubaret: memorati viri verbum in multorum animis ad fidem cœpit reſerpere. Quod [b] itaque poſt modicum fortiùs mouit plurimos: cum Rex pœnitentia ductus, quod delicatũm iuuenem & tanti honoris apici minùs congruentẽ, carnali affectu ita promouere voluiſſet; eo tandem ad refutandum [c] ius & nomen electi prudenter inducto, Epiſcopatum rurſus in Fiſcum reduxiſſet. At illius

a *ſic quidẽ v.c. licet videatur legendũ nutare.*

b *v.c. vtique.*

c *Hac opinor de cauſa ms. Tabulæ Lincolniẽſium Pontificum tarent eius nomine.*

illius vel pronuntiationis, vel opinionis mẽdacium ſequenti eſt tempore declaratum, vt ſuo loco narrabitur.

De duabus expeditiónibus Regis Ieroſolymitani in Ægiptum.

Cap. XXIII.

CIRCA idem tẽpus Amalricus Rex Ieroſolymorum inuitatus a Rege Babylonis, Chriſtianam militiam duxit in Ægyptum (quæ nunc terra Babylonis vulgò dicitur) non illius ſanè vetuſtiſſimæ Babylonis, de qua ſcriptura ſacra [a] loquitur, quæ prima poſt diluuium in terra Chaldęorum a Nino & Semiramide condita, pluſquam mille annis Orientis obtinuit Principatum, & olim diruta, deſertaq; nunc dicitur. Sed cuiuſdam Ægyptiæ ciuitatis, cui (vt legitur) Cambiſes Rex Perſarum ſubacta Ægypto a ſe conditæ nomen indidit [b] Babylonis. Huius autẽ expeditionis cauſa hęc fuit, Turci, gens callida & bellicoſa, ſub Rege Noradino regnum affectantes Ægypti, eo

a *Geneſ.* 11

b *Guillel. Tyr. l.* 19. *c.* 5. *appellat Babeis:*

quem hic referes, Iacobumque Vitriac. ca. 95. Histor. Orienta. Babylonis autem Ægyptiæ meminit Diodor. Sicul. l. 1.

quod Ægyptij opulentia quidem clari, sed armis minus acres viderẽtur: duce Saracone, Principe militię ciusdem Regis, viro in rebus bellicis experientissimo clandestinũ per extremos Christianorũ fineis transitũ arte moliti, Ægyptiis se prouinciis immersére, captisque vel deditis in breui ciuitatibus aliquot: Regi Babylonis terribiles intolerabilesque fuére. Qui cum videret eos virtute Ægyptia arceri, abigiq; non posse: Regis Christiani Sarracenus postulauit auxilium, multã de cætero deuotionẽ cũ certo & annuo pollicens vectigali. Mox ille, vt erat magnanimus, regno dispositio, & parte militiæ ad excipiendos Noradini impetus, si forte interim irrũpere niteretur, deputata: cũ parte reliqua Christiani exercitus, Ægytũ ingressus, iũctis sibi Regis Babylonici copiis, Saraconem cum Turcis in quadam ciuitate obsedit, & tandem coartatos atq; [b] infractos Ægypti finibus expulit, cõcesso in terram suam transitu libero per fineis Christianos. Dum hæc in Ægypto agerentur, Noradinus non quieuit, & quietem simulans, arte ac dolis plùs nocuit. Denique quendam ex nostris

b v. c. addit, reuertentibus.

laudatæ fidei & fortitudinis virum, cui vrbis noſtræ hoſtium finibus oppoſitæ, quæ nunc Belinas dicitur, olim Cæſarea Philippi dicebatur, cuta & cuſtodia commiſſa erat, auro corruptum ad ſuas parteis traduxit. [a] A quo immiſſi Turci latenter ciuitatem ingreſſi neminem quidem peremérunt, ſed expulſis cum Epiſcopo Chriſtianis, nouo vrbem præſidio muniérunt. Huius caſus aduerſitas Regis ex Ægypto reuertentis animum ſaucians, triumphantis gloriam denigrauit. Poſt annos [b] aliquot Turcorum fortiores ſæuioreſque copiæ non tam dominandi libidine, quàm vindicandæ repulſionis ſuæ ſtimulis incitatæ: duce rurſus Saracone regni Ægyptij intima penetrarunt. Ad quorum ingreſſum Babylonici Regis fiducia omnis elanguit, vnde mox per legatos vrbis ad deprecandum compoſitos Chriſtiani Regis opem ſolitam flagitauit. Qui mox regno cautiùs diſpoſito, cum peditum equitumque ingentibus copiis Ægyptum ingreſſus, iuncto ſibi Ægyptio exercitu Turcos aggredi ſtatuit. Qui aſtuti belli diſcri-

[a] *v.c. quò innitente.*

[b] *v.c interponit verò.*

Quod vbi hoſtilis exercitus dux calidiſſimus comperit, occurrendum ei, prælioque decertandum putauit, certam ſibi de abſentia pedeſtrium turmarum victoriam pollicens: eo quod ipſe equitatu longe numeroſiore præſtaret. Itaque commiſſum eſt prælium atrox nimis & cruentum, quod ab hora diei ſeptima protractum eſt in veſperum. Vterque exercitus alacritate ſimul & numero minoratus: in caſtra ſe recepit, amne medio interlabente diſcreta, cuius vadum Chriſtiani cautè præoccupauerant ad tranſmeandum. Nocte verò Rex Principibus conuocatis damna deplorat, maiorem exercitus partem abeſſe cauſatus, docet bellum a fatigatis & ſauciis non debere manè repeti, ſed abſque ſtrepitu reuertendum ad ſocios. Quod cum omnibus placuiſſet, nocte intempeſta cum ſilentio per viam, qua venerant, abiére. Hoc ipſum & ab hoſtibus factum eſt: metu & cautela non diſpari. Et Turci quidem in Alexandriam ſe recepêrũt. Chriſtianus vero equitatus pedeſtribus eſt copiis redditus. Rex autem refecto exercitu auctiſque viribus obſedit Alexan-

driam, qua tandem post multarum experimenta difficultatum, per deditionem potitus; Turcos iterum regno Babylonico expulit, & cum ingenti gloria ad propria remeauit.

De discordia & reconciliatione Regnum Francorum & Anglorum.

Cap. XXIIII.

Anno Henrici secundi sextodecimo, ipse & Rex Francorum cum iam diuscule fuissent discordes: meditantibus viris pacificis, pacis iterum inter se iura firmárunt. Illius autem discordiæ causa hæc fuit. Rege olim Stephano tumultibus Anglicis occupato: Comes Andegauensis inuasit obtinuitque Normanniam, præter Gisorcium, & duo alia, quasi appendentia Castella, quæ in potestatem Regis Francorũ cessêrunt. Hanc iuris Normannici diminutionẽ processu temporis eiusdem Comitis filius, Rex scilicet Anglorum, Henricus secundus non patiens: arte magis quàm

viribus in hac parte vidit vtendum. Denique per virum industrium Thomam, scilicet Cancellarium suum, egit apud Regem Francorum, vt [a] filia eius ex filia Regis Hispanici, quæ nupserat ei post Alienoram, primogenito suo Henrico daretur in coniugem, munitionibus illis in dotem cedentibus, quæ tamen a Templariis tãquam in sequestro custodirentur: donec pueri, qui nondum per ætatem nuptias contrahere poterant, suo tempore nuptialiter conuenirent, Rege Anglorũ interim vtriusque pueri habente custodiam. Verum idem Rex aliquot annis elapsis productioris moræ impatiens: inter eosdem pueros nuptias celebrauit præmaturas, & a Templariis castella recepit. Quamobrem sæuientibus Francis, & ipsum quidem præuaricationis, Templarios verò proditionis accusantibus, ad lites & bella ventum est. Sed crebris experimentis edocti, se eiusdem Regis potentiæ vim inferre non posse, ira paulatim deferuescente tandem pactis quibusdam mediantibus adquieuêrũt, vt fieret pax, & facta est pax: non quidem solida, sed tẽporalis vt postea cla-

[a] *a nomine Margareta triennis desponsata Hẽrico septẽni anno 1164. Non. Nouemb. Henrico Pisano & Villelmo Papiensi Cardinalibus & Legatis sacra ministrantibus, inquit Matt. Parque. in antiquit. eccle sia Britan.*

Respexit ad illud Hora. epist 2. c. 1. quicquid deliraut Reges, plectuntur Achiui.

ruit. Nempè memorati duo Reges nũquam diu inter se quieuisse noscuntur, populis hinc inde plecti assuetis, quicquid illi per superbiam deliraſſent.

De coronatione Henrici tertij, & interfectione beati Thomæ.

Cap. XXV.

1170. ANno a partu virginis M.C.LXX qui fuit Regis Henrici secundi septimusdecimus, idem Rex Henricum filium suum in ætate tenera fecit solemniter consecrari, & coronari in Regem Lundoniis, per manum Rogerij Eboracensis Archiepiscopi. Nam venerabilis Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, Rege nondum placato (licèt Romanus Pontifex & Rex Francorum plurimum circa reconciliationem eius satagerent) adhuc in Galliis exsultabat. Qui cum factum audisset, pro ecclesia sua æmulans, Romano Pontifici, cuius fauore & suffragiis fouebatur, rem

celeriter intimauit, idque in suum & ecclesiæ suæ præiudicium actum esse allegans: ad coercendos, tam Eboracēsem, qui in aliena prouincia hoc attentauerat, quàm Episcopos, qui præsentes assensum præbuerant, magnæ distinctionis litteras impetrauit. Sanè Rex Anglorum, tempore modico post filij coronationem in Anglia commoratus transfretauit. Cúmque crebris Domini Papæ monitis, atque importunis illustris Francorum Regis precibus pulsaretur, vt saltem iam post septennium exsilij, insigni illi exuli placari dignaretur, tandem adquieuit: & [a] celebrata est inter eos solemnis, & quantò serior, tãtò optatior gratiorque concordia. Rege ergo in transmarinis partibus consistente: idem Archiepiscopus cum licentia & gratia regia ad Ecclesiam propriã remeabat. Habebat autem penes se, Rege inscio, litteras domini Papæ contra Eboracensem & alios Episcopos, qui illi infaustissimæ coronationi interfuêrunt, impetratas; factæ iam concordiæ irritatrices, & maioris iræ prouocatrices futuras. Has in Angliam ad suspensionem Episcoporum præmissas, ipse

[a] *inter Gisoritū Normanniæ oppidulum, & Treiam præsentibus Vuillelmo Papiēsi presbytero, & Odone Diacono Cardinalibus.*

sequebatur Zelo iustitiæ feruidus, vtrũ
a *v.c pleno.* autem [a] plenè secundum scientiam, nouit Deus. Nostræ enim paruitati nequaquam conceditur, de tanti viri actibus temerè iudicare. Puto tamen quòd beatissimus Papa Gregorius in molli adhuc teneráque Regis concordia mitiùs egisset; & ea, quę sine fidei Christianæ periculo tolerari potuissent: ratione temporis & compositione pacis dissimulanda duxisset, iuxta illud Propheb *Amos. 5.* ticum, [b] *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* Itaque quod a venerabili Pontifice tunc. est: nec laudandum esse iudico, nec vituperare præsumo: sed dico, si vel modicè in huiusmodi a sancto viro per Zeli laudabilis paulò immoderatiorem impetum est excessum: hoc ipsum est sacræ, quæ consecuta noscitur, igne passionis excoctum. Ita quippe sancti viri vel amãdi vel laudandi sunt a nobis, qui nos illis longè
c *v.c tamen.* impares esse cognoscimus: vt [c] tantùm, in quibus homines vel fortè fuerunt, vel fuisse noscuntur, nequaquam vel amemus, vel laudemus: sed ea tantũ, in quibus eos sine scrupulo imitari debemus. Quis enim dicat eos in omnib.

quæ ab ipsis fiunt, esse imitabiles: Non ergo in omnib. quæ faciunt, sed sapienter & cautè debent laudari, vt sua Deo prærogatiua seruetur: in cuius vtique laudibus nemo potest esse nimius, quãtumcũque laudare conetur. Igitur Episcopis pro memorato excessu, (qui vtinam pro tempore dissimulatus fuisset) ad instãtiam venerabilis Thomæ, Apostolicæ sedis auctoritate ab omni Episcopalis officij dignitate suspensis, Rex quorundam querelis exasperatus infremuit, & turbatus supra modum, atque in ipso feruore erumpentis furoris parum sui compos: ex abundantia cordis turbidi eructauit verba non sana. Tunc quatuor assistentium Procerum viri genere nobiles, & militiæ artibus clari, æmulando pro Domino temporali inflammati ad facinus: mox egressi sunt à facie eius, & tanta velocitate transfretantes (vt quasi ad solemnes epulas festinare viderentur) concepti furoris stimulis agitati, quinto natalis Dominici die Cantuariam venerunt, & venerabilẽ Archiepiscopum religiosa letitia præclaræ solemnitati intentum ibidem inuenerent. Ingressique ad

a *v.c. addit, cum dicat Apostolus Iacobus: in multis offendimus omnes?*

Vide notas.

eum iam pranſum & ſedentem cum viris honoratis: ſalutatione non præmiſſa, ſed regij nominis terroré prætento, iuſsêrunt magis quàm petiêrunt aut monuêrunt, vt quoniam Epiſcoporum ſuſpenſio, qui regis paruerant voluntati, in ipſius Regis contemptum & contumeliam redundaret, eandem maturiùs relaxaret. Illo reſpondente, ſuperioris ſententiam a minori poteſtate cõuelli nõ poſſe: proinde ſua nõ intereſſe relaxare, non a ſe, ſed a Pontifice Romano ſuſpẽſos, voces ſermonum grandium emittebant. Quibus ille non territus, furentibus granditerque fremẽtibus, mira libertate & fiducia loquebatur. Vnde magis accenſi concitè egreſsi ſunt, & ſumptis armis (nam ſine armis ingreſsi fuerant) ad atrociſsimum ſe facinus, cum ingenti ſtrepitu fremituque [a] præparabant. Suaſum eſt venerabili Pontifici, [b] vt in ſacram ſe Baſilicam recipiens, inhumanè ſæuientium rabiem declinaret. Cumque non facilè acquieſceret, paratus ad ſubeundum diſcrîmen: tandem irrumpentibus atque vrgentibus aduerſariis, amica ſuorum violentia ad ſacri loci munimina

[a] *v.c. properabant.*
[b] *v.c. addit a ſuis.*
Hæc & ſuperiora prolixiùs enarrantur l. 4. c. 13. & 14. vitæ proceſſuſque eiuſdem S. Tho.

trahebatur. Canebantur a monachis Omnipotenti Deo ſolemniter laudes veſpertinæ & ipſe venerabile Chriſti tẽplum ingreſſus eſt, ſacrificium veſpertinum mox [a] facturus. Inſecuti enim ſatellites diaboli neque ſacri ordinis, neque ſacri vel loci vel temporis reuerentiam, vt Chriſtiani, habuêrunt: ſed ſacerdotem magnum, ſtantem ad orationem ante venerandum altare aggreſſi, in ipſis Chriſti natalitiis Chriſtiani nequiſſimi gladiis crudeliſſimè peremêrunt. Quo facto, tanquam triumphantes [b] ingreſſi: cum infelici lætitia abiêrunt. Reputantes autem, ne fortè quod actum erat, ei, pro quo æmulati fuerant, diſpliceret: in Aquilonares Angliæ parteis ſeceſsêrunt, animum erga ſe Principis pleniùs pro tempore cognituri. Porro beati Pontificis in conſpectu Domini quàm precioſa mors fuerit, quantáque facinoris in eum commiſſi atrocitas ratione & loci & temporis & perſonæ: ſignorum ſequẽtium frequentia declarauit. Sanè tanti piaculi fama in breui per omneis fere Latiniorbis fineis diſperſa, illuſtrẽ Anglorum Regem infamauit, & præclarã

a *v.c. futurus.*

b *ante peráque perámque egreſſi.*

Vide notas.

c *v.c. addit, piaculum.*

eius inter Reges Christianos gloriam ita denigrauit, vt, quoniam vix credi poterat; illud absque eius voluntate & mandato fuisse attentatum; fere omniũ imprecationibus impeteretur, & publicis insectandus odiis censeretur. Ipse quoque audito, quod a suis actum fuerat, intelligens datam esse maculam in gloriam suam, & vix expiabilem sibi næuum inustũ, ita doluit, vt diebus aliquot perhibeatur nihil gustasse. Siue autem parceret homicidis illis, siue nõ, considerabat proclíueis esse homines ad male sentiendum de eo. Nam si parceret sceleratissimis, tanti mali ausum vel auctoritatem præstitisse videretur. Si verò in eis plecteret, quod absque eius mandato non attentasse putabantur, vtrobique nequissimus diceretur. Idcirco parcendum eis duxit, & tam famæ suæ quàm illorum saluti prospiciẽs, sedi eos Apostolicæ ad suscipiendam solemnem pœnitentiam præsentari præcepit. Quod & factum est. Nam stimulante conscientia Romam profecti, ad agendam pœnitentiam a summo Pontifice Ierosolymam sunt directi, vbi annis aliquot indictum satisfactionis mo-

dum non [a] ſegniter (vt dicitur) exequentes, vitam omnes finiêre. Sed hoc poſtea. Tum verò idem Rex, dum fere omnes in eum beati viri necem refunderent, & Françorum maxime Principes, qui felicitatis eius æmuli ſemper exſtiterant, aduerſus eum, tanquam in verum certumque tantæ enormitatis auctorem, ſedem Apoſtolicam inſtigarent, reſponſales Romam direxit, vt precum verecũdia feruentem inuidiam temperaret. Qui cum Romã veniſſent: cunctis Regem Anglorum execrantibus ægrè admiſſi ſunt. Conſtanter verò allegantes, quod Domini ſui mandato, ſine conſenſu tantum facinus non fuiſſet commiſſum: tandem impetrauerunt, vt a latere Domini Papæ legati in Gallias, cum plenitudine poteſtatis mitterentur: qui re diligenter inquiſita & cognita, eundem Regem, vel ad purgationem famæ ſuæ admitterent, vel reum inuentum cenſura eccleſiaſtica coërcerent. Quod & factum eſt. Miſſi enim a ſede Apoſtolica Cardinales duo venerabiles, ſcilicet [b] Albertus, qui poſtea eidem ſedi præfuit,

[a] *v. c. inſegniter: ſepulti autem fuerunt ante fores tẽpli Hieroſolymitani, cũ hoc elogio: Heic iacent miſeri, qui martyrium ſuerunt B. Thomam Cantuariẽſem Archiepiſcopum vt Rog. Hou. in annal. auctor eſt.*

[b] *ad hunc inſequentẽque extant Epiſtolæ Arnulphi Lexouiẽſis.*

& Theodinus, in Gallias venêrunt: factoque in terra Regis Anglorum celebri conuentu Eccleſiaſticorum virorum atque nobilium : eiuſdem Principis humiliter ibidem apparentis, & cõſtanter aſſerentis, quod ſua neque voluntate neque iuſſione illud, quo fama eius grauabatur, contigerit, & quod de nulla [a] re vnquam magis doluerit, purgationem ſolemniter ſuſcepêrunt. Sanè non negauit, homicidas illos ex aliquibus fortè verbis eius incautiùs prolatis occaſionem auſumque tanti furoris ſuſcepiſſe, cum ſuſpenſione Epiſcoporum accepto nuntio ira immoderatiori abſorbt° minùs ſobriè loqueretur, & propter hoc, inquit, diſciplinam non refugio Chriſtianam, decernite quod placuerit, deuotè amplectar, exequarque decretum. Quo dicto, & veſte abiecta : iuxta morem publicè pœnitentium, nudum ſe eccleſiaſticæ ſubmiſit diſciplinæ. Hac tanti Principis humilitate delectati, & præ gaudio lachrymati Cardinales, collachrymantibus & Deum laudantibus plurimis: confortata eiuſdem Principis conſcientia, & fama minus laborante, ſoluêrunt conuentum.

[a] v.c. iniqua.

uentum. Succeſsit autem beato Thomæ in cathedra Cantuarienſi Richardus, Prior Douerenſis.

De expugnatione Hybernienſium ab Anglis.

CAP. XXVI.

IISDEM temporibus Angli ſub ſpecie militantium Hyberniæ inſulæ irreplerunt, eandem poſtea creſcentibus viribus inuaſuri, & partem eius non modicam armis ſubactam poſſeſſuri. Eſt autem Hybernia (vt accepimus) inter inſulas ſecundæ a maiori Britannia magnitudinis, ſed eadem (vt ait venerabilis Beda) ſerenitate, & ſalubritate aëris multò præſtantior, [a] egregiè pabuloſa atque piſcoſa, & glebæ ſatis vberis, ſi non deſit induſtria boni cultoris; ſed populos habet moribus incultos & barbaros, legum & diſciplinæ fere ignaros: in agriculturam deſides, & ideo lacte magis quàm pane viuentes. Hanc

Vide notas.

[a] *lege c. 4. Giraldi Candi. in Topograp. Hiberniæ.*

autem singularem præ cunctis regionibus habet a natura prærogatiuam & dotem: vt nullũ gignat venenatũ animal, nullum reptile noxium. Quinimo certa citaque mors eorum est, ad primum Hybernici aëris attractum: si forte aliunde [a] aduehantur. Porro quicquid inde aduehitur: contra venena valere probatum est. Sane hoc quoque de hac insula mirabile est, quod cum maior Britannia, æque Oceani insula, nec spacio [b] longiori seiuncta, tantos bellorum casus experta sit, totiens exteris gentibus præda fuerit: totiens externam dominationem incurrerit, expugnata & possessa primo a Romanis, deinde a Germanis, consequenter a Danis: Postremò a Normannis. Hibernia, Romanis etiam Orchadum insularum [c] dominium tenentibus, inaccessa, rarò & tepidè ab [d] vllo vnquam expugnata, & subacta est: nunquam extergnæ subiacuit ditioni: vsque ad annum a partu virginis M. C. septuagesimum primum, qui fuit Regis Anglorum Hẽrici secundi octauus decimus. Quod enim Britones dicunt eandem insulam suo paruisse Arturo: fabulosum est, sicut

a *v.c. aduehatur.*

b *v.c. longiora.*

c *v.c. dominantib.*

d *v.c. ab vlla vnquã gente bello.*

& cætera quæ de ipso mentiendi libidine petulantia quorundam confinxit. Quomodo autem Hybernici, incidendo in potestatem Regis Anglorum, lõgam & nunquam a sæculo interruptam, & quasi ingenitam finiêrunt libertatẽ, [a] expositu facile est, cum res sit recentis memoriæ. Denique mutandi status illi [b] regioni hæc fuisse occasio traditur. Hybernia iuxta priscum Angliæ morẽ in plura se regna cõscindens, & cõsueta Reges habere plurimos, iisdem plerunque [c] discrepantibus discerpebatur: & quantò externorum inexpertior erat bellorum: tantò interdum indigenis tanquam propriis visceribus in mutuam cædem reuentibus miserabiliùs euiscerabatur. Contigit autem [d] quendam Regum terræ illius a finitimis impetitum Regibus coartari nimis, & defectu virium, crudelitatem hostium pæne experiri. Inito ergo consilio & misso festinanter in Angliam filio accersiuit viros militares, & iuuentutem strenuam, spe lucri profusioris illectam. Quorum ope subleuatus, primò respirare: deinde roborari, postremò subactis hostibus triumphare cæpit.

a *v.c. exponere.*

b *v.c. vel nationi vel.*

c *v.c. discrepantibus.*

d *scilicet Dermitii principem: cuius aduẽtũ ad Henricum Anglorum Regem suppetiásque promissas, dicit Girald c. 1. 2. & 3. Hyberniæ expugnat.*

Nec ſuos adiutores abire paſſus eſt, ſed tanta eos largitate donauit, vt obliti populum ſuum & domos patrum ſuorum, ibidem eligerent habitare. Cum autem ferociſſimi totius Hyberniæ populi cõtra eũdem Regem indignari, & tumultuari inciperent, quòd gentem Anglicam Hyberniæ immiſiſſet: illi metuentes paucitati ſuæ, accitis ex Anglia viris inopia laborantibus & lucri cupidis, vireis paulatim auxêrunt. & quia nõdum habebant Principem, erántque adhuc, tanquam oues non habẽtes Paſtorem, accerſiuerunt ex Anglia præficiendum ſibi virum nobilem & potẽtem Comitem, ſcilicet Richardum. Qui nimirum cum eſſet magnanimus, & ſupra vireis rei familiaris [a] profuſus, ampliſsimis redditibus exinanitis, & exhauſto fere patrimonio creditoribus erat ſupra modum obnoxius; atque ideo procliuiùs ad maiora inuitantibus adquieuit. Armatorum ergo iuuenũ plurima validaque manu contracta in terra iuris ſui, claſſem transfretaturus in Hyberniam præparabat. Cúmque iam ſoluere pararet, affuerunt qui ex parte Regis transfretationem inhiberẽt. Ille verò nullius

a v c. interponebat, in expenſarum effuſione.

rei, quã in Anglia possidere videbatur, remoratus affectu, nihilominus transfretauit, atque expectantes socios optato lætificauit aduentu. Iunctis mox copiis aliquid audendum aggrediendumque ratus, quo in posterum barbaris foret terribilis: peruicaci impetu irruit super [a] Diuelinum, vrbem maritimam, totius Hyberniæ Metropolim, portuque celeberrimo in commerciis & commeatibus nostrarum æmulam Lũdoniarum. Qua fortiter celeriterque expugnata & capta: plurimos etiam lõgius positos metu perculsos in fœdus venire coëgit. Insistebat finitimis pertinacius, priscam tueri nitentibus libertatem: munitiones locis opportunis cõstruẽs: & dominationem paulatim protendens. Porro quantulamcumque nationis barbaræ gratiam per affinitatem affectans; fœderati Regis vxorem accepit, & partem regni plurimam, nomine dotis percepit. Cuius tam fausti successus cum regi innotuissent Anglorum: motus quòd eo non solùm inconsulto, sed etiam inhibente rem tantam fuisset aggressus, & prẽclarẽ adquisitionis gloriam illi potiùs, vt præcellenti, ascri-

a *Sic Hiberni vulgò appel'ãt: Latini Scriptores, Geraldus Cãbrensis in Topograp. Hibern. & alibi, Dublinam: Saxo Grãmat. Duflynum sub finem l. 4.*

bendam in se conuertisset, omne eius in Anglia patrimonium fisco addixit: &, ne quod ex Anglia subsidiũ Hybernię inferretur, commeatus nauium interdixit. Fortiora quoque comminans, in gratiam maturiùs redire compulit iam pæne regnantem. Itaque extorsit ei [a] nobilem ciuitatem Diuelinum, & cætera, quæ in adquisitione potiora videbãtur: parte verò reliqua cum patrimonio suo Anglico [b] integro illi restituto, iussit esse contentum. Quibus actis idem Comes, qui paulò ante exinanito prodigè patrimonio, fere nihil aliud quàm nudam nobilitatem habuerat, Hybernicis Angliciſque opibus inclitus, in multa felicitate agebat, quam tamen post annos aliquot mors immatura [c] corripuit. Planè hoc ipso declaratum est, quã vanũ sit quod in homine illo ita euanuit: & quàm fallax, quod eundem sibi incũbentem repentè elabendo delusit. Ex Hybernicis nanubiis, quibus multum inhiauerat, & pro quibus etiam tã multum cum periculo sudauerat salutis, nihil secum hinc abiens homo ille portauit; sed laboriosè periculoséque quæsita, ingratis relinquens hæredibus: sa-

a v. c famosissimã.

b v. c. integrè.

c v. c. corrupit.

lubrem quoque multis ex suo occasu doctrinam reliquit. Rex autem Anglorum post modicum in Hyberniam cum ingenti militia transfretauit; Reges insulæ, qui eatenus rebelles exstiterat, aduētu eius pauefactos sine sanguine subiugauit, rebusque pro voto dispositis, eodem anno in Angliam cum salute & gaudio remeauit.

Quomodo Henricus tertius recessit a patre, & commouit eum contra Regem Franciæ.

Cap. XXVII.

ANNO a partu virginis M.C.LXXIII. qui fuit Regis Henrici secundi vicesimus. cum idem Rex in Angliam reuersus ex Hybernia, in Normanniam post modicum transisset ex Anglia: facta est execrabilis & fœda dissensio inter ipsum & filium eius Henricum tertium: quem ante biennium vt superiùs 1173.

dictum est, in Regem fecerat solemniter consecrari. Cum enim idem creuisset, & pubes iam factus vellet cum sacramento & nomine rem sacramenti & nominis obtinere, & patri saltem conregnare: cum solus, vt ei a quibusdam insusurrabatur, de iure regnare deberet, quasi eo coronato regnum expirasset paternum, indignans maximè expensas Regie faciendas sibi a parte parciùs ministrari; contra patrem intumuit atque infremuit, clamque ad socerum suum Regem Francorum, patri tædium moliturus profuit. A quo nimirum gratè susceptus, nō tam quia gener erat quàm quia a genitore desciuerat, eius se in omnib. consilio credidit. Francorum ergo virulentissimis adhortationibus animatus atque instigatus in patrem, quo minùs ius violaret naturæ, exemplo non est territus scelestissimi Absalonis. Pater verò filij auersione comperta, & quo profugisset agnoscēs: misit ad Regem Francorum viros honoratos cum verbis pacificis, filium paterno iure reposcens; &, si quid circa illum emendandum videretur, eiusdē se Regis consilio maturè emendaturum pollicens.

Vide notas.

Ad hoc ille, quis mihi, inquit, talia mandat? Rex, aiunt, Anglorum. Et ille: Falsum est, inquit. Rex Anglorum ecce adest; per vos mihi nihil mandat. Si autem patrem huius olim Anglorum Regem appellatis, scitote, quia ille Rex mortuus est, porro quod adhuc pro Rege se gerit, cum Regnum filio, mundo teste, resignauerit: maturè emendabitur. Sic delusi responsales ad dominum suum rediere. Mox idem Henricus iunior, Francorum consilio, malum patri vndecunque molièns, partèis Aquitaniæ clam adiit, & duos fratres impuberes ibidem cum matre consistentes, Richardum scilicet & Gaufridum sollicitatos, conniuente, (vt dicitur) matre in Franciam secum traduxit. Alteri enim Aquitaniam, alteri Britanniam suo tẽpore possidendas pater concesserat, & propterea per illum Aquitanos, per hũc verò Britones procliuiùs suis partibus applicandos Francis docentibus intelligebat. Comitem quoque Flandrensem patris sui consobrinum, virum magnarum virium, & innumeræ bellicosæque, cui præerat, gentis, fiducia, in immensum gloriantem, grandibus pro-

missis [a] annitēte Rege Francorum sibi adiunxit. Tunc multi potentes & nobiles, tam in Anglia, quàm in partibus Transmarinis, vel mero odio eatenus dissimulato impulsi, vel vanissimis pollicitationibus sollicitati: a patre ad filiū paulatim cœperunt deficere, & ad motus se bellicos modis omnibus præparare. Comes scilicet Leicestrensis, Comes Cestrensis, Hugo Bigotus, Radulphus de [b] Fougeriis, aliique complures amplitudine opum & firmitate munitionum terribiles. Multi etiam suis rebus viribusque minus confidentes, ne nil agerent, concedendo in Franciam, hostilem animum declararunt. His accessit hostis truculentior Rex Scotorū, immites populos, & neque sexui, neque ætati parcituros finibus immissurus Anglorum. Cum ergo tot tantique Proceres a rege seniore desciuissēt: omnesq; contra eum, tanquam pro anima sua gererent: admodum pauci erant, qui ei fideliter & firmiter adhærerēt, cęteris circa eum pendulè fluitantibus, dum a regis iunioris absorberi victoria scrupulosius formidarent. Tunc demū vidit rex senior (sic enim vulgo diceba-

[a] v. c. annuente.

[b] Germanius Fulgeriis vt appendix Sigib. ipseque Radulph⁹ in confirmatione cœnobij S. Petri ad oppidū Fulgerius conditi in Armorica Britannia sub annum 1160.

tur) quàm inconsultè, immo quàm stultè egerit, præmaturè creando sibi successorem, minùs attendens, quod nouarum rerum aucupatores Regem procliuius sequerentur iuniorem. Turbatis ergo rebus anxius, dum hostes interni externique vrgerent: his quoque, qui sibi adhærere videbantur, in gratiã filij remissiùs agentibus minùs se credens, stipendiarias Bribantionum copias, quas [a] Rutas vocant, accersiuit, eo quod de thesauris regiis, quibus in tali articulo parcendum non esset, pecunia copiosa suppeteret.

[a] *v.c. Putas*

Qualia contigerunt apud Albemarliam, & Castellum nouum, & Vernulium.

Cap. XXVIII.

IGITVR mense Iunio, quãdo solẽt Reges ad bella procedere: finitimi principes contractis vndecunque viribus Regem hostiliter aggrediuntur

Anglorum, ſub obtentu quidem quaſi pro filio æmularentur contra patrem, qua nimirum æmulatione nil ſtultius, re autem vera proprij vel odij, vt Rex Francorum, vel emolumenti, vt Comes Flādrenſis, negotium porrecta occaſione agentes. Porro Rex Anglorū ad excipiendos tantorum hoſtium impetus minùs ſe poterat præparare propter ſuorum tumultus internos, quibus vehementiſſimè angebatur. Cum ergo propter manum imparem irrumpentibus non poſſet occurrere: munitiones tantùm, quæ erant in terminis, diſpertitis præſidiis cautiùs ſtuduit munire. Itaque Rex Francorum oppidum Vernullium, nullius rei neceſſariæ ad tolerandam obſidionem diutinam indigum, circumfuſo concludit exercitu: non niſi capto eo vel dedito progreſſurus. Comes verò Flandreſis cum ſuis copiis a parte Flandriæ irruens obſedit Albemarlam valido inaniter fultam preſidio: cum eius oppidi Dominus Comes ſcilicet Albemarlenſis contra ſeniorem Regē, ceu multi alij fluctuaret. Qui nimirum pro eo quod oppidū minus oppugnatum, citò expugnatum eſt, cum

Flãdrenſi creditus eſt colluſiſſe. A quo captus cũ omnibus quos illic Rex cauſa præſidij miſerat: alia quoque caſtella ſua reſignauit. Progredienſque Flandrenſis exercitus, ad maiora fauſtis animatus principiis munitionem regiam, quæ [a] Caſtellum nouum dicitur, per dies aliquot adhibitis machinis fortiter expugnauit, qua tandem dedita, Comes tamen Flandrenſis gauiſus non eſt. Frater namque eius Matheus, Comes Bononienſis, quo ille tanquam futuro ſucceſſore gaudebat, qui de coniuge propria ſobolem nequaquam ſuſceperat, aut ſperabat, in eiuſdem oppidi oppugnatione ictu ſagittæ circa genu ſaucius, caſu vulneris in peius vergente decubuit, & poſt dies pauciſsimos inter curandum in fata conceſsit, fratri tantũ ex ſuo interitu luctum relinquens, vt ſoluta mox expeditione lugubris ad propria remearet, ſiniſtrum ſibi euentũ obiectans atque imputans, qui Regem conſobrinum, a quo nunquam læſus, crebro autem beneficiis præuentus exſtiterat, cauſa nequiſſimi filij hoſtiliter impetendum duxiſſet. Quo comperto cõſiderans idem rex ſe iam bellicæ ſol-

[a] *vulgo Neuchaſtel in tractu Caletenſi, diœceſique Rothomagenſi.*

licitudinis parte dimidia pro tempore liberatum: aduersus partem reliquam propensiorem mox sumpsit fiduciam. Conuocatis ergo stipendiariis copiis, & quotquot eum in illo articulo non deserendum putabant: denuntiauit regi Francorum, qui iam partem [a] ætatis plurimam in prænominati oppidi obsidione consumpserat, eoque maturè se potiturum sperabat, vt vel obsidionem desereret, vel ad idem certum discrimen sibi bellicum impendere minimè dubitaret. Primùm quidem Franci natura feroces simul & arrogantes: præsertim cum numero & apparatu bellico præstare viderentur, denuntiationem deriserè, id eum nullatenus ausurum arbitrantes. Verum agnito, quòd impauidus cum instructo aduentaret exercitu, tunc primùm suspicari potuere aliquid eum ausurum. Illico rex eorum accitis festinè optimatibus: tractare cum eis cœpit de bello. Missisque obuiam regi Anglorum vno Episcopo & Abbate, qui ab ore eius acciperent, vtrùm congressurus accederet: ipse interim pro tempore copias instruebat. Ecce missi eidem regi occur-

[a] *v.c. ætatis, & quidem germanius.*

rêrunt, qui neſcio quid ordinans, ſeſeque cum multa confidentia oſtentans: armatus cum paucis aliquot ſtadiorum ſpatio exercitum anteiebat. Cui cum dicerent, Regem Francorum velle certificari de prælio, vultu feroci, & voce terribili: Ite (inquit) & dicite Regi veſtro, quia ecce adſum; cumque feſtinanter reuerſi, inſtantis iam de proximo Principis ferociam & obſtinationem indicaſſent: conſilium habuerunt Rex & optimates Francorum, vt pro tempore cederent, & pugnaturi pro hæreditate patrum ſuorum impetum declinarent. Itaque caſtris relictis cum tremendis illis copiis in Franciam refugerunt, armati tamen, & compoſitis ordinibus: ne fugere viderentur: Sicque, qui paulò ante ferocibus animis, & grandium rugitu verborum leones videbantur: tanquam lepores cedendo, fugiendoque repentè inuenti ſunt. Porro Rex Anglorum indecora ſuperborum hoſtium fuga cõtentus, vrgere, & perſequi noluit fugiẽtes: ſed exercitu ad hoſtilium direptionem [a] conuerſo, oppidum cum ſolemni lætitia, ſuis, qui ibidem fortiter egerant

[a] *v. c. inſeritcaſtrorũ, & certè iã antea neceſſario inſerendum ob adiectiuũ ſolitarium.*

congratulaturus intrauit. Repertum est autem in castris frumenti & vini, & escarum plurimum, cum supellectile varia, quam abeuntes instantibus aduersariis asportare non poterant.

De his qui capti sunt apud Dolum.

Cap. XXIX.

a v.c Dolnacum, sed prior lectio certior: est enim Dolum vrbs episcopalis in Britann. Gallica.

EXternis ergo hostibus, quorum maxima erat potentia, rege scilicet Francorum, & Flandrensi Comite diuina voluntate propulsatis, interni minimè quieuere. Quorum plurimi condicto conuenientes, & conglobati [b] Dolum oppidum obtinuerũt: quod iuris quidem est Britannici, sed Normannicis collimitatur finibus: Quo audito Bribantiones regij maturè affuerunt: & congressi cum eis, primo eorũ multitudinem in oppidum refugere, mox etiam capto oppido in vnius arcis angustias secedere compulerunt. Quibus ita conclusis: res cum summa celeritate defertur ad regem Rothomagi consi-

b v.c dolose sed dolo se vt indicat satis orationis textus.

consistentem. Ille cibi somnique oblitus: mutando vehicula, longa terrarũ spatia transmeans: tam festinus affuit, vt volasse videretur. Cumque oppugnandæ arci intenderet: concluſa multitudo anguſtias illas non ferens, miſericordiam implorauit. Pactus ergo eis rex vitam cum integritate membrorũ: arce dedita, insignem illam captiuitatem custodiæ mancipauit. Ibi quippe [a] Comes Ceſtrensis, & Radulphus de Fougeriis, aliiq; nobiles fere centum: in manus regis, quẽ atrociſsimis fuerant odiis insectati, Dei iudicio inciderũt. A quo nimirum, multò clementiùs quã eorum meritis debebatur tractati, pro tempore in vinculis quieuerunt. Duo vero prænominati, qui clariores videbantur inter captiuos, regi de fidelitate seruanda satisfacientes: relaxari meruêrunt. In qua re procul dubio tanti Principis in præuaricatores infideliſsimos, hoſteiſq; atrociſſimos clementia iure miranda laudandaq; censetur.

[a] *illi ipſi ſunt de quibus ſuprà cap. 27.*

De obsidione Leicestriæ, & Guerra Regis Scotorum, & captione Comitis Leicestrensis.

Cap. XXX.

DVM in Transmarinis partibus a rege, vel circa regẽ talia gererentur, in Anglia quoq; non dissimilia prouenerunt. Cùm enim Comes Leicestrensis, qui primus a rege defecerat, plurimos petulanti corrupisset exemplo, Richardus de Lusci, qui tunc Angliæ sub Rege præerat: accepto a Rege mandato, & exercitu properè conuocato, Leicestriam obsedit: qua dedita & incensa, oppugnationem castelli omittens, eo quod ad vrgentiora negotia vocaretur, recessit. Porro Rex Scottorum agnito, quantùm Rex Anglorum in Normannia laboraret, cum gentis barbaræ, & sitientis sanguinem immanissimis copiis, Anglorum fineis ingressus: ciuitatem Cardulensem obsidione circundedit, totamq; adiacen-

rem prouinciam cædibus & rapinis fœdauit. Comperto, quod ingens ex superiori Anglia exercitus aduentaret, obsidionem reliquit: & post vastã prouinciæ, quæ Northumbria dicitur, depopulationem, a facie Procerum nostrorum in propria se recepit. Qui nimirum aduenientes cum militaribus copiis amnẽ [a] Tuedam, quæ regnũ Anglicum Scoticumq; disterminat, transgressi, terræ hostili talionem nullo obsistente intulérunt. Sed mox feruentibus nuntiis ad superiora Angliæ reuocantur; Regis tamen hostis ferocia necessariis pro tempore induciis cautè suspensa; cum eum callida nostrorum dissimulatione latérent adhuc quæ nuntiabantur. Comes enim Leicestrensis cum classe hostili ex Flandria apud Orientales Anglos applicuit, susceptusque a complice proprio, Hugone scilicet Bigoto, viro potente & callido: ibidem aliquamdiu cum adducto consedit exercitu. Mox eodem Hugone duce & cooperatore idem exercitus irruẽs super ciuitatem Norvvicensem: eandem præsidio vacuam & repentino terrore perstrictam minimo negotio

[a] v. c. Tuedam.

effregit, eiuſque opibus abraſis, præda onuſtus ad caſtra rediit. Cumque eodem auctore atque incentore inſignem vicum maritimum variis opibus refectum, qui dicitur Donevvic, ſimiliter irrupturus accederet: habitatorum, qui ſe ad excipiendum hoſtilem impetum conſtanter prę parabant, fiducia territus, & nihil aduerſus huiuſmodi audendum ratus, vacuus receſſit. Hugo verò eiuſdem exercitus, quantum volebat, opera vſus, denuntiauit Comiti Leiceſtrenſi, vt copias peregrinas quas adduxerat, ad terram, & caſtella proprij iuris traduceret. Qui nimirum diu multumque hæſitans, eo quod per medios hoſtium fineis, qui eius dicebantur tranſitum obſeruare, abſque grandi non poſſet periculo Leiceſtriam tranſmeare; tandem confidens de numero & virtute ſociorum (habebat enim equites circiter octoginta electos, peditum fortium quatuor vel quinque milia) reputans etiam neminem ſibi obſtiturum in via, eo quòd in eis, qui Regi fauere videbantur, amicos haberet plurimos, conſtanter cum vxore & quodam nobili viro ex Francia, Hu-

gone ſcilicet de Caſtello, totiſque copiis iter arripuit. Regij autem Proceres apud Sanctum Edmundum cum copioſa militia obſeruabant. Cumque illi propè iam eſſent, inſtructum contra eos exercitum produxêrunt. Porro illi neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinare valentes, & neceſſitatem in alacritatem vertentes, turmis diſpoſitis audacter proceſſêre. Cõmiſſum eſt itaque prælium graue, his pro gloria, illis pro ſalute certantibus. Sed victoria conceſſit ad Regios. Captuſq; eſt Comes cum coniuge, virilis animi fœmina, & memorato Hugone de Caſtello, & toto fere equitatu, peditum verò multitudo fere omnis interiit. Inſignes captiui in Normanniam [a] a Rege ſunt miſſi, de cæteris quoque factum eſt, quod voluit.

[a] *v. c. ad Regem.*

De Dauid Scotto, & quibuſdam alijs qui a Rege defecerunt.

Cap. XXXI.

SANE cum illa filij cõtra patrem inſilialis veſania fere biennio de-

bachata dinoſcatur ; primi anni inſigniora geſta ſuperiori ſunt relatione digeſta. Hieme quidem pauliſper a bellicis tumultibus ceſſatum eſt in partibus tranſmarinis, in Anglia verò non ita. Viri enim, qui erant in munitionibus Comitis Leiceſtrenſis, cũ propter hoc, quod domino ſuo acciderat aliquãdiu quieuiſſent, rurſus effœrati, & tanquam ad Domini ſui vltionem inflammati, aggregata ſibi improborum multitudine, vicinas prouincias excurſionibus infeſtare cœperunt. Et vt Principem magni nominis habentes fiducialiùs agerent, Huntedunienſem Comitem Dauid, fratrem Regis Scottorũ ducem ſibi ac Principem delegêrunt. Quo tanquam feliciter debacchãte, & reproſperè procedẽte ad plurima, Comes quoq; [a] Farrariẽſis, & vir nobilis [b] Rogerius de Mubrai animum diu diſſimulatũ declarantes, poſt defectores cæteros abierunt: vixq; ſacris quadrageſimæ diebus, concepti furoris impetũ cohibentes: poſt ſolemnitatẽ Paſchalem ad auſus improbos proruperunt. Nec ceſſabat eo tempore Rex iunior optimates Anglorum, qui patri adhęrere videbantur, per clan-

a v.c. Ferrarienſis.
b conditor cœnobiorũ Belle lande & Neub. ſup. l 1. c 25. & inf. cap 32

destinas litteras vel promissionibus allicere, vel cõminationibus pulsare: vt eos ad suas quocunq; modo parteis traduceret. Quamobrẽ tunc in Anglia pauci admodũ nobiles fuisse traduntur, qui non circa Regem vacillarent, ab eo tẽpore defecturi, nisi maturius eorũ fuisset meditationibus obuiatum.

De aduentu Regis in Angliam, & qualia Scotti fecerunt.

Cap. XXXII.

Igitvr secundo initæ cõtentionis anno: rursum a magnis hostibus scilicet Rege Francorum, Comite Flandrensi, Rege Scottorum, bellũ aduersus seniorem Anglorum Regẽ totis viribus instauratur. Et Comes quidem Flandrensis fraterni iam oblitus exitij, pro ambitu Anglicanæ prouinciæ, quæ Cantia dicitur, de qua scilicet Regi iuniori iam hominium fecerat: cum eodem in Angliam transiturus copiis classem parabat. Rex verò Francorum

contractum vndecunq; exercitum, inuasurus Normanniam instruebat. Quibus cognitis Rex Anglorũ senior malens sibi fineis transmarinos periclitari, quàm regnum (quos tamen cautè credidit muniendos, præuidebat enim neminem in Anglia se absente, & tanquã non extãte, illi, qui [a] successurus exspectabatur obstiturum) præuentis hostibus cum aliquanto equitatu, & vna Bribantionum turma in Angliam maturè aduehitur. Interea Rex Scotorum cum propriæ gentis [b] infinita barbarie atq; accersitorum ex Flandria stipendiariorum equitum peditumque manu non modica fineis Anglorum ingressus, duas in [c] Vvestmeria munitiones regias, scilicet Burgũ, & Appelbi præoccupatas, & sine præsidiis inuentas obtinuit: indeque digrediens, vrbem iterum Cardulienſem oppugnare statuit. Sed cautione a tepidis ciuibus præstita, quod ad diem certum ciuitatem illi traderent, nisi interim a Rege Anglorum sufficiens sibi præsidiũ mitteretur, ad quandam munitionem super amnem Tinum, quæ dicitur Prudehou, oppugnandam conuertit exercitum.

a *maiè, succussurus legebatur antea.*

b *v.c. infignita.*

c *v t. Vveſtmaria.*

Tunc acceſſit ad eum prædictus Rogerius de Mubrai auxilium flagitans. Duabus quippe munitionibus ſuis a Gaufrido Regis Anglorum filio naturali, tunc Lincolnienſi electo fortiter expugnatis & captis, tertiam, Treſch vocatam cum periculo poſſidebat. Qui nimirum Rogerius Regi Scottorum, in Eboracenſem prouinciam irruptionem meditanti, iam pridem filium primogenitum obſidem dederat, quod illi aſſiſteret & pareret in omnibus; & ab eo viciſſim ſponſionem acceperat, quod in quacũque neceſſitate, eius nequaquam auxilio fraudaretur. Verùm idem Rex cum per dies aliquot apud Prudehou caſſo, & ſuis magis noxio fuiſſet laboreſudatum, audiens Eboracenſis prouinciæ contra ſe militiam excitari, Tino tranſmiſſo Northũbriæ fineis inuaſit. Corroſum eſt a Scottis quibus nulla eſca infamis eſt, quicquid vel a canibus mãdi potuit; & dum prædæ inſiſterent, iugulare ſenes, trucidare paruulos, euiſcerare fœminas, & huiuſmodi quæ horrendum eſt vel dicere, genti inhumanæ & feris plus efferæ facere voluptas fuit. Immiſſo ergo miſerabili prouinciæ im-

manissimorum prædonũ exercitu, barbarisque inhumanè debacchantibus, Rex ipse, excubante circa se honestiori, mitiorique stipatus militia vacare videbatur, obseruabatque circa castellũ firmissimum, Alnevvich nominatum, ne forte manus ex eo militaris irrumpens, circumquaque grassantes perturbaret prædones.

De captione Regis Scottorum.

CAP. XXXIII.

REBVS se ita circa Aquilonares Angliæ parteis habentibus, Eboracensis prouinciæ regij Proceres ingenuè indignati, quod Scotti fineis Anglicos infestarent, apud Castellum nouum super fluuium Tinum cum equitatu valido conuenerunt. Vrgẽte quippe negotio, pedestres non poterant copias congregare. Venêrunt autem illuc [a] die Sabbati, longo & laborioso itinere fatigati. Ibi sanè cum in commune tractarent, quid esset

a v.c. sexta.

agendum; prudẽtiores allegarunt, multùm iam esse actum, cum Rex Scottorũ aduentu eorum præcognito lõgiùs recesserit; suæ hoc mediocritati pro tempore debere sufficere, sibi non esse tutũ, nec Regi Anglorum vtile vlteriùs progredi, ne fortè paucitatem suam deuorandam, sicut escam panis infinitæ barbarorum multitudini exponere viderẽtur; sibi non esse plusquam quadringentos equites, in hostili verò exercitu, plusquã octo armatorũ milia æstimari. Ad hæc ferucẽtiores [a] respondentes, hosteis nequissimos modis omnibus esse impetendos, victoriam desperari nõ debere, quæ procul dubio iustitiã sequeretur. Denique horum sententia præualẽte, (quia Deus sic voluit, vt volũtati magis diuinæ, quàm potentiæ vel humanæ prudentiæ ascriberetur euentus) viri [b] virtutis, in quibus erant præcipui, Robertus de [c] Stuteuilla, Ranulphus de [d] Glanuilla, Bernard. de Baliolo, Guillelmus de [e] Vesci, nocturna requie pauliſper recreati summo manè progressi sũt tanta velocitate, tanquam propellente vi aliqua properantes, vt quod armorum pondere grauatis minus tolerabi-

a *v.c respondẽrũt.*

b *v. c potentes.*

c *v.c. Stotevilla.*

d *v. c. Clãvilla.*

e *v.c. Vesci.*

le videbatur, ante horam quintã viginti quatuor milia paſſuum tranſmearent. Verum dum irent, tã denſa, vt dicitur, eos operuit nebula, vt pæne neſcirent quo irent. Tum prudentiores periculoſum iter cauſantes, certum ſibi imminere diſcrimen allegârunt, niſi mox cõuerſi redirent. Ad hoc Bernardus de Baliolo, vir nobilis atque magnanimus, recedat, inquit, qui voluerit, ego autem etiamſi nullus ſequatur, procedã & perpetuam mihi maculam non inuram. Cum ergo procederent, ſubitò euaneſcente nebula, caſtellum de Alnevvich præ oculis habentes, id ſibi tutum fore receptaculum, ſi hoſtes vrgerent, ſęri cenſuêrunt. Et ecce Rex Scottorum cum turma equitum circiter ſexaginta aut paulò ampliùs haud procul in campis patentibus tanquam ſecurus & nihil minus quàm noſtrorum irruptionem intuens obſeruabat, barbarorum multitudine cum parte equitatus ad prædas latè diſperſa. Qui nimirum noſtris conſpectis: primò quidem eos de ſuis a præda redeuntibus eſſe ratus eſt. Sed mox vexillis noſtrorum cautè notatis, tunc demum intellexit noſtros

iam auſos, quod ipſos nec ſuſpicari potuit eſſe auſuros. Attamen non eſt territus. ſuo quippe tã vaſto quamuis minus conglobato circumuallatus exercitu, concluſam illam paucitatem facilè abſorbendam eſſe a circumfuſa multitudine, nec ambigere dignabatur. Illico ferociter arma concutiens, ſuoque verbo ſimul & exemplo accendens, modo, inquit, apparebit quis miles eſſe nouerit. Primuſque in hoſtem ſequentibus cęteris irruens, mox a noſtris excipitur, atque interfecto deiectus equo, cum tota fere turma ſua capitur. Nã & qui per fugam euadere potuêrunt, eo capto fugam detrectantes, vt cum eo caperentur, in manus ſe hoſtium ſponte dedêre. Quidam etiam nobiles, qui fortè tũc aberant, ſed non longè erant, agnito quod acciderat, curſu mox rapidiſſimo affuêre, atque in manus hoſtium ingerentes ſe potius quàm incidentes, dominico communicare periculo honeſtum duxêre. Porro Rogerius de Mubrai, qui ibidem tunc aderat, Rege capto elapſus euaſit, refugitque in Scotiam. Noſtri verò proceres nobilem cum gaudio prædam reuehentes, Ca-

ſtellum nouum, vnde mane digreſſi fuerant, veſperi redière, eámque ad dominum ſuum illuſtrem Anglorum Regem opportunè mittendam, apud Richemontem cautiſſimè cuſtodiri fecêre. Geſtum eſt hoc feliciter Deo propicio, anno a plenitudine temporis quo verbum caro factum eſt, M.C.LXXIIII. tertio Idus Iulij, die Sabbati, & mox latè vulgatum, atque in cũctis Anglorum prouinciis [a] gratè ſuſceptum eſt, campanis pro ſolemni lætitia [b] crepantibus.

1174.

a *v.c. gratis.*

b *v.c. concrepantib.*

Qualia in exercitu & Regis terra Scottorum, eo capto prouenerunt.

Cap. XXXIIII.

REGE igitur Scottorum in manus hoſtium tradito, funeſtiſsimũ quoque eius exercitum perſpicua Dei non permiſit vltio abire illęſum. Regis quippe captione comperta, Barbari primò attoniti a prædis deſtiterunt, mox tanquam furiis agitati ferrum cõtra hoſtes ſumptum, iámque innoxio [c] eorum

c *v.c. non habet: nec eſſe neceſſariam vocula liquet.*

sanguine ebriũ in se ipsos vertêrũt. Erat autem in eodem exercitu ingens Anglorum numerus. regni enim Scottici oppida & Burgi ab Anglis habitari noscuntur. Occasione ergo tẽporis, Scotti innatum, sed metu regio dissimulatum, in illos odiũ declarantes, quotquot incidebant peremêrunt, refugientibus in munitiones regias cæteris, qui euadere potuêrunt. Erant etiam in illo exercitu duo fratres, Gilbertus scilicet, & Vêtredus Galvvadensis prouinciæ domini cũ gentis propriæ turma numerosa. Hi nimirum Ferguſi olim Principis, eiusdẽ prouinciæ filij fuerant: & patri in fata concedenti, Rege Scottorum, qui illius terræ principalis est dominus, hæreditatem inter eos diuidente, successerant. Verũ Gilbertus natu maior, paterni iuris integritate fraudatum se dolẽs, fratrem semper in corde suo oderat, cũ tamen cõcepti furoris impetum metus regius cohiberet. Capto autem Rege, liberatus hoc metu, mox fratri nihil verẽti manus iniecit, & nõ nece simplici, sed pro exaturando execrabili odio excruciatum suppliciis interfecit. Illico fineis inuadens fraternos, barbaris

a *a v.c. Varedus.*

in barbaros sæuientibus, non modicam hominum stragem fecit. Erat autem fratri ne fariè interempto filius, nomine Rolãdus, acer atque industrius adolescens, qui paternis amicis cooperantibus, debacchanti patruo pro viribus resistebat. Erátque totum regnum Scotiæ turbatum, Deo æquissimè disponente, atque ea mẽsura remetiente improbis, qua ipsi mensi fuerant; scilicet, vt qui paulò antè gentis innoxiæ quietem turbauerant, & Anglorum sitietant sanguinem, ordine pulcherrimo a semetipsis reciperent talionem.

De humilitate Regis Anglorum, & de eo quod consequutum est.

Cap. XXXIIII.

Iam venerat in Angliam a Normannia Rex Henricus secundus, filio cum Flandrensibus copiis aduenturo, suæ murum præsentiæ obiecturus. Recordatus autem quantùm in Ecclesiam Cãtuarien sem deliquisset; eandem mox,

mox, vt applicuit, concitè adiit, & ad sepulchrum beati Pontificis Thomæ, fusis vbertim lachrymis, orauit. [a] Ingressúsque capitulum monachorum, prostratus humi humillimè veniam postulauit, & propriæ petitionis instantia, a cunctis per ordinem fratribus virgis est vir tantus corporaliter castigatus. Sequenti verò nocte cuidam venerabili eiusdem Ecclesiæ monacho seniori dictum est in somnis. *Nonne vidisti hodie humilitatis Regiæ tam grande miraculum? Scito quod in breui quantùm hæc regia humilitas Regi Regum placuerit, rerum quæ circa ipsum geruntur, exitus declarabit.* Sanè hoc ipsum viro reuerendissimo & syncerissimo [b] Rogerio scilicet Abbate Bellelandensi referente cognoui, quod vtique sibi fideli inuotuisse relatione dicebat, dum fortè ipso tempore in Cantica moraretur. Denique, ipse [c] qui tangit montes, & fumigant; illam montis fumigantis deuotionem, quanti appenderit, insigni mox indicio claruit. Quippe ipsa die, atque ipsa (vt dicitur) hora, qua mons ille Cantuariæ fumigauit, hostem eius immanissimum, scilicet Regem Scottorum, in extremis

[a] *idem scribunt magister Eduar. c. 26. vitæ S Thomæ apud Sur. & Scriptores vitæ processúsque eius. l. 4. c. 7.*

[b] *Auctor Huic Rogerio dicauit suos in Cantica Cant. comment.*

[c] *respexit Dauidem Psal. 143. canentẽ: tange montes, & fumigabunt.*

Angliæ finibus virtus diuina peſſundedit; vt merces pij operis non conſecuta ipſum opus, ſed comitata potiùs videretur; nullúſque ſuper hoc ambigere ſineretur. Idem autem Princeps Cantuaria digreſſus, Lundonias properauit, præmiſsis aduerſus Hugonem Bigotum militaribus copiis, ipſe vena inciſa modicam ibidem moram fecit. Et ecce circa noctem mediam miſſus a Ranulpho de Glanuilla curſor velociſſimus ad ianuam pulſauit regiam. Increpatus a ianitore, & vigilibus vt taceret, pulſauit inſtantiùs dicens in ore ſuo bonum eſſe nuntium, quem modis omnibus oporteret ipſa nocte a Rege audiri. Vicit tandem inſtantis improbitas, præſertim cum bona nuntiaturus ſperaretur. Admiſſus igitur intra ianuã, eodem modo cubicularios quoque vicit Regios. Introductuſque in cubiculum Regium, audacter acceſsit ad lectum Principis, excitauit quieſcentem. Qui expergefactus, quis es tu? inquit, & ille: puer, inquit, ſum Ranulphi de Glanuilla fidelis veſtri, a quo miſſus celſitudini veſtræ bonus venio nuntius. Sanus ne eſt, ait, Ranulphus noſter? Et

ille, valet, inquit, idem dominus meus, & ecce hostem vestrum Scottorum Regem captum tenet in vinculis apud Richemõtem. Rex verò ad hoc stupidus, dic, inquit, adhuc. At ille iterauit verbum; Habes ne, ait, litteras? Mox ille protulit litteras signatas Regi, rei gestæ seriem continentes. Quibus Rex statim inspectis, stratu exsiliens, quibus potuit motibus, [a] ei, qui facit mirabilia solus, piis madidas lachrymis gratias egit. Tunc familiares festinè accitos consortes gaudij fecit. Manè autem venerunt & alij cursores idipsum nuntiantes, sed vnus, idest, qui primus aduenerat, brauium accepit. Vulgatum est statim verbum bonum populis solemniter acclamantibus, & campanis per totas Lundonias concrepantibus.

[a] *post Regis (inquiunt Scriptores S. Tho. processus l. 4. c. 8) huminem peregrinationẽ sensim in dies nec lõga mora cismarini et trãsmarini rebelles cesserunt.*

De obsidione Rothomagi, & dolosa oppugnatione obsidentium.

Cap. XXXV.

INTEREA Rex Francorum cum tremendo exercitu Normāniā ab Oriente ingressus, qua scilicet captis a Comite Flandrensi castellis patere videbatur, Rothomagum eiusdem prouinciæ Metropolim adiit & obsedit. Est autem Rothomagum vna ex clarissimis Europæ ciuitatibus sita super Sequanā fluuiū maximum, per quem eidem ciuitati multarum regionum commercia inuehuntur, eodem flumine simul & & obiectu montium ita munita, vt ab vno exercitu eius vix tertia pars valeat obsideri. Porro Rex iunior & Flandrēsis Comes cum in portu Mormorum, vnde breuissimus est in Angliam transitus, classe parata, vastissimis vallati copiis transfretandi opportunitatem captarent, cognito, quod Rex senior iam in Anglia cōsisteret, eorum procul dubio ferociter impetum excepturus, trā-

sire in Angliam nequaquam sibi tutum duxerunt. Itaque mutato consilio, & toto illo paratæ iam classis apparatu irrito, quanti esset negotij Rothomagensis obsidio, & quanti emolumenti eiusdem ciuitatis irruptio perpendentes, vastas illas atque terribiles copias Rothomagum transtulerunt, & obsidentem exercitum in immensum auxerũt. Verum cum tantus esset exercitus, quãtus in Europa ab annis retro plurimis visus non est, eiusdem tamen vrbis, propter accessus difficiles, partem vix tertiã potuit obsidere. Eratque per põtem fluminis liber vel ex regione in vrbem ingressus, vel ex vrbe in regionem egressus, & inferebantur vrbi abũdanter quęcunque necessaria, vidente cominus & inuidente hostili exercitu. Et forte illa [a] *inuidia Siculi non inuenêre tyranni maius tormentum*, cũ viri animosi & fortes tota fere die cominus factitari conspicerent, quod impedire nõ valentes, tam anxiè sustinerent. Paratis ad oppugnandam ciuitatem machinis, totis viribus oppugnationi insistitur, trifariam ad negotium diuiso exercitu, & die naturali per octauas horas partito, vt alij aliis re-

[a] *Horat. 1. Epist. 2.*

creati, scilicet lassatis per vices succederent; atque ita iugiter oppugnantes, ne modico quidem diei vel noctis spatio muniorũ defensores respirare permitterent. At id frustra prouisum est. Ciues enim huic molitioni arte & cautela cõsimili occurrẽtes, ipsi quoque suum triphariam numerũ diuiserunt, hostibusque [a] oppugnationem continuantibus distributione sui cautissima respondentes, contra laboris & lassitudinis intolerantiam, qua suffocandi credebantur, competens remedium habuerunt. Cũque per dies plurimos summa vi certaretur, & neque hi neque illi in aliquo remissius agerent, beati Laurentij dies natalitius superuenit. [b] Rex autem Frãcorum, pro eiusdem præcipui martyris reuerentiã, quam specialiter & deuotiùs consueuerat venerari, requiem ipso die ciuitati indultam iussit solemniter præconari. Quam gratiam ciues gratè amplexi, ocio breuissimo iucundissimè fruebantur. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus tum pro diei lætitia, tũ etiam ad irritandum hostem canoris in ciuitate vocibus concrepabant: turma verò militaris extra ciuitatem super ri-

[a] v.c. Cõpugnationẽ

[b] Ludouicus vij. Rex Francorum singulariter colit S. Laurentij diem festum.

pam fluminis in conſpectu hoſtium haſtiludio exercebatur. Tum Comes Flãdrenſis, vt dicitur, Regem adiens, ecce, ait, ciuitas pro qua multùm ſudauimus, his intus choros ducentibus, & illis foris ſecurè ludentibus: ſponte nobis offertur. Sumat ergo arma in ſilẽtio exercitus, ſcaliſque repentè muro admotis ante ciuitatem obtinebimus: quàm in ciuitatem regredi valeant, qui extra ciuitatem pro irritatione noſtra ludis vacant.[a] *Abſit* (inquit Rex:) *abſit à me honeſtatem regiam hac macula denigrari: noſti enim me pro reuerentia beatiſsimi Laurentij Rediei huius requiem indulſiſſe ciuitati.* Tunc ge-

[a] *grauiter aulicus ſuſurro repellitur à Rege.*

uniuerſis qui aderant Proceribus, familiari auſu molliciem improperantibus, dolus an virtus, quis in hoſte requirat? tandem adquieuit: Itaque non per vocem tubæ, ſiue præconis, ſed ſolis ducum ſuſurris exercitus in tentoriis ad irrumpendam præparabatur ciuitatem. Contigit autem eadem hora per voluntatem Dei in cuiuſdam intra ciuitatem eccleſiæ turri præcelſa, ex qua nimirum pulſata campana vetutiſsima, ſed mirè ſonora, ſignum ciuibus dari mox erat, vt hoſtibus

irruentibus ad murum occurrerũt: clericos quosdam, nescio quid agendo relaxare animum. Quorum fortè vnus perfenestrã prospiciens, & circumferens oculos per exercitum in tentorijs excubantem; insolitum, in castris silentium, tanquam arcani alicuius conscium primò miratus, mox clandestinum illũ de loco altissimo cautè notatum animaduerterit apparatum. Cumque rem sociis ostendisset: Ruuello (sic enim campana dicebatur) pulsato notissimo illico signũ ciuitari dederunt. Quo audito totis viribus vtrimque festinatum est. Nam & paratus iã exercitus castris erũpens, cum [a] scutis tendebat ad murum, & ciues inopinato stimulati periculo, raptis armis spiritu motuque feruido occurrere studuerunt. Illi quoque qui extra vrbem exercebantur, mira celeritate affuêrunt. Iam hostes admotis muro scalis murum ascenderant, iam super murum voces quasi triumphantiũ personabant: cum ecce fortiter impetuntur & repelluntur a ciuibus. Conflictus super murum acerrimus geritur, iaculis vacantibus, arma & corpora colliduntur, multus vtrinque sanguis ef-

[a] *Scalis.*

funditur. Tandem illi qui ſuperbè aſcẽderant ſurſum : præcipites abiêre retrorſum. Nox prælium diremit, præuaricator exercitus lõgè maiori clade accepta quàm illata confuſus in caſtra rediit. Rex in Flãdrenſem Comitem culpam refudit. Sed perſonæ regiæ tam [a] perfidæ præuaricationis macula plus adhæſit. Denique ab illo die, & deinceps, certum eſt, [b] & obſeſſores deſperatiùs remiſſiuſque egiſſe.

[a] *v.c. fœdæ*

[b] *v. c. addit, & obſeſſos fiducialius.*

Quomodo Rex Anglorum pacificauit Angliam, & liberauit Rothomagum.

Cap. XXXVI.

INTEREA rex Henricus ſenior in Anglia cõſiſtens : accerſiuit præpoſitos caſtellorum Comitis Leiceſtrenſis, quem ſecum ex Normãnia vinctum adduxerat, & monuit pro ſalute domini ſui eadẽ reſignare caſtella, quibus prouincias infeſtabant. [a] Illis verò copiam loquendi cum domino ſuo poſtulanti-

[a] *v. c. ſic habet, & addit : Illi*

verò copiâ loquendi cũ Domino suo postulantes non impetrarunt: cũque diceret se nõ aliter quam pro certa Domini sui relaxatione, voluntati regiæ parituros, ille respondit: Nihil, &c.

tibus: ille respondit. Nihil super hac re vobis paciscar, sed si feceritis quod volo bene actum erit. Et sacris (vt dicitur) adhibitis iurauit dicens: Sic me Deus adiuuet, & hæc sacra, quia Comes Leicestrensis non gustabit quidquam: donec de castellis eius fiat quod volo: vos autem abite maturius. Tunc illi certum citumque domino suo, si vlteriùs obsisterent, exitium impendere videntes: munitiones illico resignarunt. Comes autem Dauid qui fuerat Princeps eorum: relicto Huntedunensi castello, quod mox regi cessit, trepidus in Scotiam concessit. His regiis successibus territi, Hugo Bigotus, & Comes Ferrarienſis, ipsi quoque cautionibus de pace & fidelitate præstitis in fœdus spõte venerunt. Rebus igitur in Anglia, Deo volente, ad votum dispositis: rex cum ingentibus copiis celeriter transfretauit: ducens secum paulo ante sibi exhibitum regem Scottorum, Comitemque Leicestrensem, aliosque captiuos insignes. Populis autem per Normanniam ob celerem & felicem eius reditum exultantibus: Rothomagum in conspectu hostium pompaticè ingres-

sus est. Hostes accepto ante dies paucos de captione Regis Scottorum nuntio saucij: eius quoque sunt repentino & triumphali ex Anglia reditu stupefacti. Attamen in robore multitudinis innumeræ confidentes, in obsidione persistebant. Porro ipse Vvalensium turmam ex Anglia accitam per noctem latenter emisit [a] syluarum opacitate tectam (nam hoc genus hominum agile, & syluarum gnarum est) locis opportunis obseruarent, [b] quâ tanto exercitui necessaria conuehebantur. Hi nimirum captato tempore syluis erumpentes commeatum inuaserũt, equitibus, a quibus deducebatur, in fugam actis. toto illo apparatu pessundato cum ingenti hominum & iumentorum exitio: in syluas se receperunt. Tunc vulgatum est, syluas Vvalensibus esse refertas, atque ita intercepto commeatu exercitus per bîduum inedia laborauit. Hac necessitate soluta est obsidio, & Principes nullam aliam tanti laboris mercedem, quàm ignominiã reportantes, cum vasto illo exercitu abierunt, compositis tamen ordinibus, ad repellendum periculum, si fortè hostes a tergo vrgerent. Ita quidquid

a *v. c. sic: vt syluarum opacitate tecti.*

b *ex v c re posai, quà.*

in Regem Anglorum ab hostibus malitioſè agentibus vel [a] con cinnatum eſt, vel attentatum, Deo illi propicio in eius eſt gloriam [b] commutatum.

a v. c. continuatum.

b v. c. commutatur.

De concordia Regum, & pace regnorum.

Cap. XXXVII.

CVM ergo eidem Principi in omnibus quæ ab ipſo, vel circa ipſum fiebãt, propicia arrideret diuinitas, hoſtes eius ſucceſſibus territi, & humiliati, de pace tractare cœpèrunt: ipſis reformandæ pacis mediatoribus iam effectis, qui diſcordiæ præcipui fuerant incentores. Itaque celebri inter parteis colloquio habito exitialis [c] illa ſimulatas Principum, & inquietudo prouinciarum pariter quieuerunt. Comes Flandrenſis Regi Anglorum reſtituit, quod de iure eius bellicus ei caſus contulerat: fidelis de cætero amicitiæ, ſiue homini ſupererogans cautionem. Ingratiſſimus quoque filius in

c v. c. ille rancor.

gratiam patris redit, non solum obedientiam & reuerentiam de cætero filialem sub fide iussoria multorum cautione pollicitus; verumetiam noua cõtra ingratos, & suspectos filios cautela prudenter exacta, & solemniter præstito hominio patri astrictus. Volebat enim pater, vt, qui fortissimum naturæ vinculum tanquam telam araneæ irreuerenter diruperat: saltem iure ciuili vel gentium ad honestum & vtile teneretur: & quoniam scriptum est. [a] *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, naturæ violator in lege naturali circa patrem seruãda, saltem contemplatione hominij & duplicis, id est, iuratoriæ simul & fideiussoriæ cautionis persisteret, & caueret de cætero, ne sibi a patre non iam tantum patre, sed etiam domino de iure diceretur: quod præuaricatrici olim plebi a domino dominorum, per Propheram dictum est: [b] *Si pater ego sum, vbi est honor meus? & si dominus sum, vbi est timor meus?* Fratres quoque impuberes, quos Francorum consilio patri sollicitatos subtraxerat ad patrem reduxit; de quibus vtique modica fuit quæstio, cum ætatis beneficio excusabiles

a *Eccles 4.*

b *Malac. 1*

viderentur. Præterea ad instantiam Regis Francorum, aliorumque qui aderant Principum, idem illustris Rex Anglorum Comitem Leicestrensem, reliquosque captiuos, præter Regem Scottorum absolutè relaxauit, & relaxatis bona honoresque restituit: in eundem quoque regem suo tempore prudenter simul & clementer acturus. Processu verò temporis cum eorum, quæ in se ab ingratis & infidis commissa fuerant, immemor videretur, muros Leicestrenses repete subrui, & munitiones omnium, qui a se defecerant, complanari præcepit: præcauens scilicet in futurum, confringendo cornua superborum, ne quid simile, occasione aliqua in posterum attentarent. Tandem verò regem Scottorum pactis interpositis sub cautela
a male antea obsidiū.
a obsidum relaxauit. Venientsque in Angliam apud Eboracensem Metropolim, eorundem celebrationem pactorum instituit. Quò cum venisset Optimatum suorum vallatus frequentia: prout condictum erat, occurrit ei rex Scottorum cum vniuersis regni sui nobilibus. Qui omnes in Ecclesia beatissimi Apostolorum Principis regis An-

glorum, tanquam principali domino hominiũ cum ligiantia. i. ſolemni cautione ſtandi cum eo, & pro eo contra omnes homines, rege proprio præcipiente fecerunt. Ipſe quoque rex Scottorum coram vniuerſa multitudine nobilium vtriuſque regni regem Anglorum modis ſolennibus dominum ſuum, ſeque hominem & fidelem eius declarauit; eique tria præcipua regni ſui munimina, ſcilicet Rokesburg, Berevvic, Caſtellum puellarum loco obſidum tradidit. Quibus actis, optata populi pace fruebantur; & rex Anglorum tantorum operum atque ſucceſſuum titulis clarus nominatus eſt vſq; ad fineis terræ. Bellum ergo pluſquam ciuile inter patrem & filium cum tanto multorum diſcrimine geſtum, hunc finem accepit. Noſtræ quoque hiſtoriæ liber ſecũdus hoc expoſito finem accipiat.

tres præcipuæ arces regni Scottici.

GVILLELMI NEVBRIGENSIS DE REBVS ANGLICIS,

LIBER TERTIVS.

DE LVNDONIENSI Concilio, & contentione Archiepiſcoporum, & inundatione Hollandiæ.

CAP. I.

ANNO a plenitudine temporis quo [a] veritas de terra orta eſt, M. C. LXXV. qui fuit regis Henrici II. viceſimus: prouinciale Concilium Lundoniis celebratum a Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato, conſedentibus ſuffraganeis, & aliarum eccle-

a *Pſal.* 84. 1175.

ecclesiasticarum personarum cætu copioso. Sequenti verò anno Hugo Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, nescio quid ordinaturus venit in Angliam. Qui cum totius Angliæ generale Concilium celebraturus; fauore adiutus regio vtriusque prouinciæ. i. Cantuariensis & Eboracensis, ecclesiasticas personas Lundonias conuocasset: statuto Concilij die, cum iam sumptis insignibus processurus esset; facta est contentio vehemens inter ipsos Archiepiscopos de Prioratu sessionis in Concilio. Quippe illa Apostolica regula [a] (*honore inuicem præuenientes*) a nostri temporis Episcopis, ita est abrogata, vt sollicitudine pastorali postposita, Episcopi quãtò peruicatiùs, tantò & vaniùs de excellentia litigent; & omnis ferè episcopalis controuersia circa honorum prærogatiua versetur. Deniq; Eboracensis maturiùs aduenies: primam sedẽ præoccupauit, eandem sibi allegans competere ex antiquo beati Gregorij decreto, quo statutũ noscitur, vt Metropolitanorũ Angliæ ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Cãtuariensis vero solemniter posita præoccupatæ se-

[a] *Rom 12.*

dis querela: secundam sedem, tanquam passus prę iudicium recusauit. Mox subditis eius ferocius pro ipso æmulantibus: simplex verborum contentio creuit in rixam. Eboracensis autem, quoniã pars aduersa fortior: loco præmature occupato: cum contumelia deturbatus, cappam consciissam illatæ sibi violentiæ indicem legato exhibuit, & Cãtuarien sem ad sedem Apostolicã [a] prouocauit. Metropolitanis ergo ita contendentibus, rebusque turbatis, Concilium nõ celebratum, sed dissipatum est, & qui tanquam ad Concilium euocati conuenerant, redière in sua. Eodem sanè anno, quo memoratus Cardinalis venit in Angliã, Occeanus, tanquã peccatis hominum irritatus, plus solito efferbuit, ruptisq; in Hoilanda repagulis, olim contra tempestiuos vndarunt impetus prę paratis: candẽ humilẽ, planãq; regionẽ septimo Idus Ianuarij violentius irrupit, iumenta fere omnia, hominum vero multitudinem necauit, reliquis ascensu vel arborum vel domorum ægre saluatis, & quasi post biduum furore satiato in semetipsum rediit, cuius nimirum idcirco supra modum fuit

[a] *v. c. addit, cum quibusdam subditis.*

hominibus & iumentis exitialis irruptio, quia tanquam fur [a] euersor nocturnus aduenies prouideri & præcaueri non potuit.

[a] *eraſor.*

De reconciliatione domini Papæ & Imperatoris.

CAP. II.

ANNO a partu virginis M. C. LXXVII. Pontificatus autem Domini Papæ Alexandri anno XVIII. [b] Frederici Imperatoris in eundem venerabilem Pontificem inueterata rabies conquieuit. Maledictus furor eius, quia pertinax; & indignatio eius, quia dura. Benedictus autem Dominus qui tangit montes & fumigant, ipsum enim & pertinacem domuit, & durum molliuit. Siquidem principalibus schismatis iudicio Dei absorptis, Octauiano scilicet, qui Papatum prior inuaserat, & Guidone Cremensi, qui eiusdem vesaniæ successor exstiterat: cũ quidam Ioannes Strumensis, tertius

1177.

[b] *idem scribunt Guill. Tyr. l. 21. ca 25 Appendix Sigib.*

continuaret errorem, compunctus tandem Imperator per viros sapientes & nobiles tractare cœpit de pace. Itaque duo magni Principes, sacerdotij scilicet & imperij solemniter conuenientes, Deo propicio in patrem & filium transierunt nono Calendas Augusti, sicque ecclesia vnita est: cunctis iam schismatis auctoribus atque fautoribus extinctis siue cõpunctis. Nam ille qui Octauiano & Guidoni de medio factis schismatici furoris continuator exstiterat: confusus & deiectus elanguit, cum fauor circa eum imperatorius exspirauit. Quibus feliciter gestis: Dominus Papa tanquam post tanti temporis scándala resarcitæ [a] veritatis gaudia solemniter celebraturus, generale Cõcilium pontificatus sui xx. a partu autem Virginis anno M.LXXIX. quinto idus Martij Lateranis celebrandum instituit; ad quod nimirum totius Latini orbis Episcopos cum maioris loci Abbatibus euocauit. Quod autem conuocandi concilij intentio satis syncera non fuit, Romanæ auaritiæ artificiosa prouisio patefecit. Multi enim euocati: quibus iter eundi ad Concilium difficile vel intolerabile

[a] v.c. vnitatis.

videbatur: interuentu pecuniæ impudentius turpiusque exactæ, quàm præstitæ, relaxari meruerunt. Sane huius concilij decreta nostræ duximus historiæ inserenda.

Decreta Lateranensis Concilij.

Cap. III.

Licet de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis a prædecessoribus nostris instituta manauerint; [a] quia sæpe post illa per improbæ ambitionis audaciam, grauem passa est scissuram Ecclesia; nos etiam ad hoc malum euitandum de concilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione concilij aliquid decernimus adiungendum. Statuimus ergo, vt si fortè [b] super seminante Zizania inter Cardinales de substituendo Pontifice non potuerit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus, tertia pars concordare noluerit: aut sibi alium præsumpserit nominare:

[a] *edit. Colon. præponit, tamen.*

[b] *Colon. edit. inserit in inimico homine, quod necessario reponendum fuit: adde quod alludatur ad parabolam Euangelicam. Matth. 13.*

ille ab vniuersa ecclesia accipiatur Episcopus, qui a duabus partibus electus fuerit & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, quia rem non potest, nomen Episcopi sibi vsurpauerit: tam ipse, quàm qui eum receperint excõmunicationi subiaceãt, & totius sacri ordinis priuatione multentur: ita vt viatici etiam eis, nisi tantum in vltimis communio denegetur: & nisi resipuerint, [a] cum Dathan & Abiron (quos terra viuos absorbuit) accipiãt portionem. Præterea, si a pauciorib̃us aliquis, quàm a duabus electus fuerit ad Apostolatus officiũ: nisi maior [b] assensus & concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & dictæ pœnæ subiaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis institutionibus, & aliis ecclesiis præiudicium generetur: in quibus maioris & sanioris partis debet sentẽtia præualere. Quia quod in eis dubium venerit: superioris iudicio poterit definiri. In Romana verò [c] Curia & ecclesia speciale aliquid constituitur: quia non potest ad superiorem recursus haberi.

[a] *Num. 16*

[b] *abest ab edit. Colo.*

[c] *deest edit. Colon.*

Canon II. de abolendis ordinationibus Antipaparum.

QVOD a prædeceſſore noſtro, felicis memoriæ Innocentio factum eſt, innouantes: [a] ordinationes ab Octauiano & Guidone Hæreſiarchis, nec non & a Ioanne Strumenſi, qui eos ſecutus eſt, factas, & ab ordinatis ab eis irritas eſſe cenſemus. Adiiciẽtes etiam, vt qui dignitates eccleſiaſticas, ſeu beneficia per prædictos Schiſmaticos acceperunt, careant impetratis. [b] Alienationes quoque, ſeu inuaſiones, quæ per eoſdem Schiſmaticos, ſiue per laicos factæ ſunt de rebus eccleſiaſticis, omni careant infirmitate; & ad eccleſiam ſine omni eius onere, vertantur. Si quis contra ire præſumpſerit: excõmunicationi ſe nouerit ſubiacere. Illos autem, qui ſpontè [c] iuramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterunt: a ſacris ordinibus & dignitatibus decernibus eſſe ſuſpenſos.

[a] *ab his nõ diſſentit Canon. 15. cap. 1. q. 7. conuenientibus.*

[b] *cap. 12. quæſt. 11. eſt Canon. eiuſdem argumenti.*

[c] *malè Golon. edit. in ramento.*

Canon III. de qualitate eligendorum Rectorum Ecclesiæ.

CVM in cunctis sacris ordinibus & ecclesiasticis ministeriis & ætatis maturitas, & grauitas morũ, & litterarũ sciẽtia sit [a] attendenda & quærenda: multò fortiùs in Episcopo hęc oportet inquiri: qui ad curã aliorum [b] in seipso debet ostendere qualiter alios oportet in domo Domini conuersari. Eapropter ne, quod de quibusdam necessitate temporis factum est, in exemplum trahatur [c] a posteris: præsenti decreto statuimus, vt nullus in Episcopũ eligatur, nisi qui iam tricesimum annum ætatis impleuerit, & de legitimo sit matrimonio natus, qui etiam vita & scientia commendabilis demonstretur. Cum autẽ [d] quis electus fuerit, & cõfirmationem [e] electionis acceperit, & ecclesiasticorum bonorum administrationẽ habuerit; decurso tẽpore de consecrandis Episcopis a Canonibus definito, is ad quem spectant beneficia quæ habuerat, disponendi de illis liberam habeat facultatem. Inferiora etiam ministeria, vt putà Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæ

a *deficit edit. Colon.*

b *edit. Colon. adiicit: positus.*

c *edit. Colon. apostasis.*

d *edit. Colon caret hoc pronomine cuõ est ibi.*

animarum curam habẽt annexam, nullus omnino suscipiat: sed nec parochialium ecclesiarum regimen, nisi qui iam vicesimum quintum annum ætatis attigerit, & qui scientia & moribus commendandus existat. Cum [a] verò quis assumptus fuerit, si Archidiaconus vel Decanus, & reliqui admoniti, non fuerint præfixo a Canonibus tempore in Presbyteros ordinati: & ab illo remoueantur officio, & alij [b] conferat qui & velit & possit illud conuenienter implere. Nec prosit [c] ei appellatione, si fortè in transgressione constitutionis istius per appellationem voluerit se tueri. Hoc sanè non solùm de promouẽdis, sed de his etiam qui iam promoti sunt (si canones non obsistant) præcipimus obseruandum. Clerici sanè si contra formam istam, quenquam elegerint; & eligendi tunc potestate priuatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio nouerint se esse suspensos. Dignum est enim, vt quos [d] domini timor a malo nõ reuocat, ecclesiasticę saltem coërceat seueritas disciplinæ. Episcopus etiam, si [e] aut fecerit contra hoc, aut [f] sensserit fieri, in conferendis prædictis

a *edit. Colon. autem.*

b *edit. Col. conferatur.*

c *rectius edit. Colon. appellationis diffugium.*

d *edit. Colon. Dei.*

e *edit. Colon cui.*

f *edit. Col. consenserit.*

officiis poteſtatem ſuam amittat; per Capitulum aut per Metropolitanum, etiamſi Capitulũ concordare voluerit.

Canon IIII. de Hæreticorum receptoribus & fautoribus.

SICVT ait beatus Leo [a] Papa: licèt Eccleſiaſtica diſciplina ſacerdotali contenta iudicio, cruentas effugiat vltiones: catholicorum tamen Principum conſtitutionib. adiuuatur, vt ſæpe quærant homines ſalutare remedium, dum corporale ſupra ſe metuunt iudicium, vel ſupplicium euenire. Ea propter quia in Vvaſconia, [b] Albegeſio, & partibus Toloſanis, & aliis locis ita hæreticorum (quos alij Catharos, alij Publicanos, alij Paterinos, alij aliis nominibus vocant) inualuit damnanda peruerſitas, vt iam non in occulto, ſicut alij, nequitiam ſuam exerceant, ſed errorem ſuum publicè manifeſtent, & ad conſenſum ſuum ſimplices attrahunt & infirmos: eos, & defenſores eorum, & receptores, anathemati decernimus ſubiacere, & ſub anathemate prohibemus, ne quis

[a] *adeeſt edit. Colon.*

[b] *emendatius quàm in edit. Colon. Allegeſio.*

eos in [a] domo vel in in terra ſua tenere vel fouere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint: nec ſub priuilegiorum noſtrorum, quibuſcunque indultorum obtentu, [b] niſi ſub alia quacunque occaſione aut oblatio pro eis fiat, aut inter Chriſtianos ſepulturã accipiãt.

[a] edit. Col. domibus.

[b] edit. Col. nec.

Canon V. de Siccariis facinoroſiſque turbis.

DE Brebationibus & Arragonenſib. & Nauariis, Baſculis & Coterellis; [c] qui tantam in Chriſtianos immanitatem exercent; vt nec monaſteriis deferant, nec viduis ac pupillis, non pueris aut ſenſibus, non cuilibet parcant ætati aut ſexui; ſed more Paganorum omnia perdant, & vaſtent, ſimiliter conſtituimus, vt ipſi, qui eos cõduxerint, vel tenuerint, vel fouerint, per regiones, in quib. taliter debacchãtur, in dominicis, & aliis ſolemnib. [d] in eccleſiis excommunicati publicè denuntientur. & eadem omnino ſententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur aſtricti: nec ad communionem recipiantur eccleſiæ, niſi ſocietate illa peſtifera

Vide notas.

[c] edit. Col. addit: Triauerdinis.

[d] Col. edit addit dieb.

& hæresi abiuratis. Relaxatos autem se nouerint a debito fidelitatis, seu hominij, aut totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint, quicunque illis aliquo pacto tenentur annexi. Cunctis autem fidelib. in remissionem peccatorum iniungimus, vt tantis cladibus se opponant, & contra eos armis tueãtur populum Christianum. Confiscentur quoque bona eorum, & liberum sit Principibus, huiusmodi pestilentes homines subiicere seruituti. Qui autem in pœnitentia vera decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ se non dubitent habituros. Nos etiam de misericordia Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate cõfisi, fidelib. Christianis, qui contra eos arma susceperint, & ad Episcoporum siue aliorum Prælatorũ consilium ad eos [a] decertauerint expugnãdos, biennium de iuncta pœnitentia relaxamus: aut si longiorem ibi moram habuerint, Episcoporum discretioni, quibus huius rei cura fuerit iuncta, committimus, vt ad eorum arbitrium, secundùm modum laboris maior eis indulgentia tribuatur. Illos autem qui

[a] *edit Colon. decertando.*

[a] admonitioni Episcoporum in huiusmodi parere cõtempserint; a perceptione & corporis & sanguinis Domini iubemus fieri alienos. Interim verò eos qui ardore fidei ad expugnandum eos laborem istum assumpserint; sicut eos, qui sepulchrum Domini visitant, sub ecclesiæ defensione recipimus; & ab vniuersis inquietationibus, tam in rebus, quàm in personis statuimus manere securos. Si verò [b] quisquam interim eos molestare præsũpserit; per Episcopum loci, excommunicationis sententia feriatur; & tam diu sententia ab omnibus obseruetur, donec & ablata reddantur, & de illatis iniuriis congrue [c] satisfiat. Episcopi verò siue Presbyteri, qui talibus fortiter non restiterint, officij sui suspensione multentur, donec misericordiam Apostolicæ sedis obtineant.

a *malè prius: ammonitioni.*

b *edit. Col. quispiam vestrum.*

c *rectius edit. Colo. satisfaciat.*

Canon VI. edit. Colon. XIX.

Ne laici grauent supra modum Ecclesiam.

NON minùs pro illorum peccato qui faciunt, quàm pro eorum detrimẽto qui sustinent, graue nimis esse dino-

ſcitur, quòd in diuerſis partibus mundi, Rectores & Conſules ciuitatum: nec nõ & alij, qui poteſtatem habere videntur, tot eccleſiis onera frequenter imponũt, ita grauibus eas & crebris exactionibus premunt, vt deterioris conditionis ſub eis factum ſacerdotiũ videantur, quàm [a] ſub Pharaone fuerit; qui diuinæ legis notitiam non habuit. Ille quidem omnibus aliis ſeruituti [b] ſubactis, ſacerdotes ſuos & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtrauit. Iſti verò vniuerſa ferè onera ſua imponunt eccleſiis, & tot angariis ipſas affligunt, vt illud eis, quod Ieremias [c] deplorat, videatur competere; *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.* Siue foſſata, ſeu expeditiones, ſeu alia quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis eccleſiarum & clericorum pauperum Chriſti vſibus deputatis cuncta volunt [d] compleri. Iuriſdictionem etiam & auctoritatem Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum ita euacuant, vt nil poteſtatis eis in ſuis videatur hominibus remanſiſſe. Super quo dolendum eſt eccleſiis, dolendum nihilominus pro ipſis qui timorẽ Dei, &

a *Gen. 47.*

b *edit. Col. ſubiectis.*

c *Thren. 1.*

d *edit. Col. ferè compilari.*

ecclesiastici ordinis reuerentiamvidentur penitus abiecisse. Quocirca sub anathematis districtione seueriùs prohibemus, ne talia de cætero attentare præsumant, nisi Episcopus vel Clerus tantam necessitatem & vtilitatem inspexerint, vt absque coactione ad reuelandas cõmunes necessitates (vbi laicorum non supperunt facultates) subsidia per Ecclesias existiment conferẽda. Si autem consules aut alij de cætero ista commiserint, & commoniti desistere forte noluerint; tam ipsi quàm fautores eorum, [a] excõmunicationi se nouerint subiacere: nec communioni fidelium reddantur, nisi satisfactionẽ fecerint competentem [b] pœnitentes.

a *malè Colon. edi.. communicationi.*

b *deest edi. Col.*

Canon VII.

PRÆTEREA quia in tantum quorundam laicorum processit audacia, vt Episcoporum auctoritate neglecta clericos instituant in ecclesiis, & remoueant etiã cum voluerint, possessiones quoque & alia Ecclesiastica bona pro sua plerumque voluntate distribuant, & tam ecclesias ipsas, quàm homines earum talliis & exactionibus grauare præsumant,

eos quia modo ista commiserint anathemate decernimus feriendos. Presbyter autem siue clericus, qui ecclesiam per laicos sine proprij Episcopi auctoritate receperit, communione priuetur, & si perstiterit, a ministerio ecclesiastico & ordine deponatur.

Canon VIII.

SANE quia laici quidem Ecclesiasticas personas & ipsos etiam Episcopos iudicio suo stare compellunt, eos qui de cætero id præsumpserint, a communione fidelium decernimus segregandos. Prohibemus insuper, ne Laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si vero receperint, & ecclesiæ non reddiderint, Christiana sepultura priuentur.

Canon IX. edit. Colon. XVII. de præsentatione clericorum.

QVIA in quibusdam locis fundatores Eccesiarum, aut hæredes eorum, potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit

sustinuit, abutuntur; [a] cum in Ecclesia Dei vnus debeat esse qui præsit, ipsi plures sine respectu subiectionis eligere moliuntur, & cum vna Ecclesia vnius debeat esse rectoris, pro sua dispensatione plures repræsentant. Quo circa præsẽti decreto statuimus, vt si fortè in plures partes fundatorum se vota [b] diuiserint; ille præficiatur Ecclesiæ, qui maioribus iuuatur meritis & plurimum eligitur & probatur assensu. Si autem hoc sine scandalo [c] esse non poterit, ordinet Antistes Ecclesiam, prout melius eã secundùm [d] Deũ viderit ordinandam. Id ipsum etiam faciat, si de iure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, &, cui competat intra treis mẽses non fuerit definitum.

a *edit. Col.* *præponit, &c.*

b *edit. Col.* *diffuderint*

c *edit. Col.* *fieri nequiuerit.*

d *ante hac falso Clericum deletũ ad edit. Colon.*

Canon X. edit. Colon. XXIIII.

ITA quorundam animos [e] occupat fæua cupiditas, vt cum glorientur nomine Christiano, Sarracenis arma, ferrum & lignamina deferant galearum; & pares aut etiã superiores in malitia fiant illis, dum ad impugnãdos Christianos, arma eis, & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in

e *occupauit edit Colon.*

Galeis, & piraticis Sarracenorum nauibus, regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur ab ecclesiæ communione præscisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, & rerum suarum, per Principes seculi Catholicos, & Consules ciuitatũ priuatione multari, & capientium seruos (si capti fuerint) fore censemus. Præcipimus [a] autem vt per ecclesias maritimarum vrbium crebra & solemnis in eos [b] fiat excommunicatio. Excommunicationis quoque pœnæ subdantur, qui Romanos aut alios Christianos pro negotiatione, vel aliis honestis causis nauigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumũt. Illi etiam, qui Christianos naufragium patientes, quibus secundum regulam fidei, auxilio esse tenentur, damnanda cupiditate reb. suis spoliare pręsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.

a *edit. Col.* etiam.
b *edit. Col.* proferatur.

Canon XI. Colon. edit. XXV.

MONACHI non pretio recipiantur in monasterio. non peculium permittantur habere. non singuli per villas &

oppida seu quascunque parochiales ponantur ecclesias: sed in maiori cõuentu, aut cum aliquibus fratribus maneãt: ne soli inter seculares homines, spiritualiũ hostium cõflictum expectent; Salomone dicente: [a] *Ve soli; quia cum ceciderit, non habet subleuantem.* Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat. Is autem qui eũ receperit, officij priuatione multetur. [b] Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iuncta administratione commissum, a communione remoueatur altaris. & qui in extremis cum [c] peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. Quod etiam de diuersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas autem, qui ista non curauerit, officij sui iacturam se nouerit incursurum. Prioratus quoque, seu obedientiæ, pretij datione nulli tradãtur. Alioquin dantes & accipientes a ministerio ecclesiastico fiant alieni. Priores autem in conuentualibus ecclesiis constituti, nisi pro manifesta & rationabili causa nonmutentur, videlicet si dilapidatores fuerint, si [d] incontinenter vixerint,

a Eccl. 4.

b edit. Col. Si.

c antea falsò periculo.

d edit. Col. nec continenter.

aut tale quid egerint, pro quo amouendi sint meritò, aut etiam pro necessitate maioris officij de consilio fratrũ fuerint transferendi.

Canon XII. edit. Colon. vt Leprosi priuatam habeam ecclesiam.

1. Cor. 12. CVM dicat Apostolus Paulus abundantiorẽ honorem membris infirmioribus deferendum; [a] contrà quidã quæ sua sunt non quæ Iesu Christi quærentes, leprosos qui cum sanis habitare nõ possunt, [b] proprij non permittunt iuuari ministerio sacerdotis. Quod quia procul a pietate Christiana esse dinoscitur; de benignitate Apostolica constituimus, vt vbicunque tot simul sub communi vita fuerint cõgregati, quod ecclesiam cum cæmiterio simul constituere, & proprio gaudere presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caueant tamen ne iniurioſi veteribus ecclesiis de iure parochiali existant. Quod enim pro pietate eis conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiã vt de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.

a edit. Col. Ecclesiastici.

b edit. Col. aduciti & ad ecclesiã cum aliis conuenire, & cœmeteria nõ permittunt habere.

Canon XIII. Christianos non debere habitare cum Sarracenis.

IVDÆI siue Sarraceni nec sub alendorum puerorum suorum obtentu, nec pro seruitio vel aliqua alia causa, Christiana mancipia, in domibus suis permittantur habere. Excommunicentur autem qui cum ipsis præsumpserint habitare. Testimonium autem Christianorum aduersus Iudæos in omnibus causis, cum illi aduersus Christianos testibus suis vtantur, [a] recipiendum esse censemus, & anathemate decernimus feriendos, quicunque Iudæos Christianis, in hac parte præferre præsumpserint, cum eos Christianis subiacere oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri. Si qui præterea Deo inspirante ad fidem se conuerterint Christianam, a possessionibus suis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis conuersos ad fidem esse oporteat, quàm antequam fidem [b] susciperent, habebantur. Si autem secùs factum fuerit, Principibus seu potestatibus eorundem locorum sub pœna excommunicationis

Antè indistinctè legebatur.

a malè legebatur recipiendos.

b edit. Col. acceperunt.

iniungimus, vt portionem hæreditatis & bonorum suorum ex integro faciant eis exhiberi.

Canon XIIII. edit. Colon. XII. Ne vnus multas simul habeat parœcias & dignitates.

QVIA nonnulli modum auaritiæ non ponentes, & diuersas dignitates ecclesiasticas, & plures ecclesias parochiales contra sanctorum canonum instituta nituntur adquirere: ita cum vnum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum, ne id de cætero fiat, districtùs inhibemus. Cum igitur, vel ecclesia vel [a] ecclesiarum ministerium cõmitti debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam eius per seipsum valeat exercere. quod si aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra sacros canones receperit, amittat: & qui dederit, largiẽdi potestate priuetur: [b] Et quia in tantum iam quorundam processit ambitio, vt non duas, vel treis, sed sex, aut plures perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam

a *edit. Col. ecclesiasticum.*

b *in edit. Colon sit distinctum caput: sed non fuisse faciendum suadent & argumenti silentiũ, & Rog. Houe. apud quem legitur continuè.*

His canonibus iungitur alter citatus ab Auctore, suprà l. 5. c. 4.

prouisionem impendere : per fratres & coëpiscopos nostros hoc emẽdari præcipimus, & de multitudine canonibus inimica (quæ dissolutionis materiam & vagationis induxit, & certum continet periculum animarum) eorum, qui in ecclesiis deseruire valeant, indigentiam subleuari.

De morte Regis Francorum, & iis quæ apud Constantinopolim contigerunt.

Cap. IIII.

ANno a partu virginis M. C. LXXX. 1180. quifuit Henrici Regis Anglorum vicesimus septimus, & Lodouici Regis Frãcorum quadragesimus quartus, idẽ Rex Frãcorum hominem exuit, homo intepidę deuotionis in Deum, & eximię lenitatis in subditos, sacrorum quoque ordinũ præcipuus venerator: Paulò autem simplicior, quàm deceret Principẽ, illius verbi Apostolici, [a] *Corrũpunt bonos mores colloquia mala,* perspicuam in quibusdã actibus suis veritatem expressit. a 1. Cor. 15.

Quorundam quippe Procerum de honesto vel æquo minus curantium plus iusto se credens consiliis, non leui plerumque macula mores egregios denigrauit. veluti quando causam nequam filij contra pium patrem suscepit, & totis regni opibus hostem naturę adiuuit. Successit ei filius Philippus, natus ei ex filia illustrissimi Comitis Theobaldi, quæ illi iam trigamo nupserat. Quippe post Alienoram (quæ, [a] vt pleniùs suo loco dictum est, relictis illi duabus ex se filiabus, & celebrato inter eos diuortio, ad Regis Anglorum transierat nuptias) Regij seminis ex Hispania cōparem duxerat: quæ itidem relictis illi duabus ex se filiabus, quarum maior in coniugio Regis Anglorum, Henrici iunioris sine fructu sobolis fuisse dinoscitur, generali sorti subiacuit. [b] Filiam quoque elegantis formæ tertia illi Regina ediderat. cui nimirum qualia prouenerūt, libet paucis exponere. Imperator Cōstantinopolitanus in fata concedens, filium impuberē sub tutela patrui successorē reliquit imperij. Et ille quidē purpuratus pro ætate nutriebatur in deliciis. Porro tutor eius, Andronicus

a *l.1.c.31.*

b *Agnetem nomine, inquit, Guill Tyr. l. 22. c. 4. vix annos octo natam. his præmitte scripta in append. Sigi. 1179 1180 1181.*

nomine, interim administrabat imperium. Visum est Græcorum Optimatibus, vt filia Regis Francorum ad insignis pueri coniugium peteretur, quod & factum est. Missi ergo in Franciam non ignobiles nuntij susceptam, tradẽte patre, virginem nondum plenè nubilem cum multo fastu Constantinopolim traduxêrunt. Vbi verò & illo iam pubere, & illa nubili, [a] Imperatori cœpêrunt nuptiæ præparari, Andronicus homo nequissimus & multæ potentiæ, vt pote procurator imperij, sollicitatis & corruptis ministris palatij, Imperatorem iuuenculum, nepotem scilicet proprium, furatus de palatio, in insulam quandam (vt dicitur) ciuitate inscia per quosdam complices suos occultè necandum direxit. Mox sumpta purpura imperium occupauit; & ne quid ausis sceleratissimis deesset, destinatum nepoti cõiugium ad se formæ captus illecẽbra transtulit. Cumque arrepto insolentissimè abuteretur imperio, ab his qui eius vel execrabantur nequitiam, vel aspernabantur potentiam, [b] contra se coniurari cõegit. Quæ nimirum coniuratio adeo tandem inualuit, vt coniu-

[a] *v.e. imperatoriæ.*

[b] *antea fal sò contra.*

ratorum ingens iam numerus in ſpiritu fortitudinis palatium repentè irrumperet, & tyrannum ferociſſimum ſolio deturbatum iuſtiſſimis vinculis innodaret. Et ne vacaret imperium, nouum illico Principem creauêrunt, ad cuius arbitrium ſceleratus ille ſuppliciis excruciatus interiit. Hoc modo filia Regis Francorum in regno Græcorum optatis ſperatiſque fraudata nuptiis, & ſceleſtiſſimi hominis contubernio maculata, honore etiam caruit.

De mutatione monetæ publicæ, & deceſſu Rogerij Eboracenſis Archiepiſcopi.

Cap. V.

ANNO Regis Henrici viceſimo ſeptimo, forma monetæ publicæ a falſariis corruptæ mutata eſt in Anglia; quod quidem ratione vtilitatis publicæ pro tempore erat neceſſarium, ſed regni pauperibus & colonis nimis oneroſum. Sequenti autem anno, qui fuit a partu

virginis M. C. octogesimus primus, & Pontificatus Alexãdri Papæ vicesimus tertius, generale debitũ soluit idem venerabilis Pontifex, cui successit Lucius. Eodem quoq; anno decessit Rogerius Eboracensis Archiepiscopus, homo litteratus, & eloquens, atq; in commodis temporalibus prudentiæ pæne singularis. In officio quidem Episcopali, hoc est, in cura animarum minus sollicitus; in his autẽ, quæ officio non Deus, sed propter Deũ mundus annexuit conseruãdis, & promouẽdis efficaciter studiosus. In bonis quippe tẽporalib⁹ Archiepiscopatũ Eboracensem ita prouexit, vt de augmentis reddituũ vel amplitudine ædificiorum, fere nullã successoribus suis curã reliquerit. Occasiones quoq; auaritiæ ita exercuit, atq; in his exercẽdis ita excelluit; vt rarò aliquã prætermittere, vel remissiùs agere videretur. Pro personis spectabilib. quibus tanquã quibusdã monilibus Eboracensis olim refulsit Ecclesia, titulauit imberbes, & quosdã etiã agẽtes sub ferula aptos magis pro ętate ędificare casas & plostello adiũgere mures, ludere par impar, equitare in arundine longa, quàm personas

Appendix Sigiber. ad annũ 1181 eadem habet.

gerere in ecclesia magnatum: vt scilicet vsque ad annos viriles curam agens titulatorum, vniuersa perciperet commoda titulorum. Christianos philosophantes i. viros religiosos in tantùm exhorruit, vt dixisse feratur, felicis memoriæ Turstinum olim Eboracensem Archiepiscopum nunquam grauiùs deliquisse, quam ædificando insigne illud Christianæ Philosophiæ speculũ, [a] monasterium scilicet de Fontibus. Cumq; hoc verbo [b] scandalizarentur circumstantes, laici, inquit, estis, nisi percipere potestis vim verbi. Dicebat etiam Ecclesiasticum beneficium luxuriosis potiùs quàm religiosis conferendum, quã plane regulam omni tempore suo sollicitè tenuit, & deteriorem fere in omnibus conditionem fecit religiosorum [c] clericorum. Porro in hac mira cæcitate, cum alias esset vir acutissimus, arbitrabatur obsequium se præstare Deo, quod sic probatur. Accessit ad eum extrema iam ægritudine decumbentem, & maturè finiendum, quidam mihi notissimus cuiusdam loci religiosi præpositus, vir bonus & simplex, humiliter postulans, vt pias bonorum virorum

a *de quo vide notas ad lib. 1.*

b *v. c. quosdam, qui aderant, scandalizari conspiceret laici, inquit, estis, nec.*

c *v. c addit quàm secularium.*

collationes, quas ſancti eius prædeceſſores eidem loco diuini amoris intuitu autentico ſcripto confirmauerant: ipſe quoque ſigilli proprij atteſtatione confirmare dignaretur. Ad quod ille, en (ait) morior, & quia Deum timeo, quod poſtulas, facere non præſumo. Tam ſolidè apud ſe tenebat nullis minus, quàm huiuſmodi philoſophantibus eſſe præſtandum. Quòd autem in vita ſua tondendis magis quàm paſcendis ouibus dominicis intenderit, in fine claruit. Quippe moriturus decumbens: non pauca milia marcarum argenti Pontifex æuo grauis in theſauris habebat, cũ tot pauperes Chriſti inedia laborarent. Quibus cum iam vlterius incubare non poſſet: partem aliquam diſperſit in pauperes: partem eccleſiis: partem familiaribus & propinquis, ſerus diſtributor legato dimiſit. Verùm, cũ iã obiiſſet: Rex per officiales ſuos & inuenta dirupit, & nõ inuenta ab iis, quibus iam data erãt, extorſit: dicẽs theſauros a quocũq; vſq; ad mortẽ repoſitos, ſolius Principis in bonis eſſe. Quod vtiq; iudicio Dei actũ eſt, vt cæteri terreantur exemplo, diſcantque theſaurizare ſibi theſauros in

cælo, [a] vbi, ſcilicet fur non irrepit, nec prædo irrumpit. Circa Ioannem quoque Archidiaconum hominem callidū & pecunioſum, qui [b] eiuſmodi Archiepiſcopi in omnibus conſiliarius & cooperator exſtiterat: iudicium Dei e veſtigio claruit, qui nimirum die altero magiſtrum ſecutus, pecunias ſuas Regi [c] reliquit. Sic igitur illi duo in vita indiuidui, in morte quoque, breuiſſimo interuallo ſunt diuiſi. Deceſſit autem idem Archiepiſcopus, anno Pontificatus ſui XXVIII. [d] Archiepiſcopatu in fiſcum redacto, vacauit Eboracenſis Eccleſia annis decem.

a *v. c. quò & certè melior eſt lectio.*

b *v. c. eiuſdem.*

c *v. c. dimiſit.*

d *v. c. præponit moxque.*

De Suero tyranno Norvvegiæ.

CAP. VI.

IISDEM temporibus famoſiſſimus ille presbyter [e] Suerus, qui cognominatur Birckebain, in ea parte Germaniæ, quæ Norvvegia dicitur, tyrannidem arripuit; & tempore non modico ſub tyranni nomine debacchatus, tan-

e *Suecus Alb. Crantz. l. 6. Norvvag. cap. 13.*

dem Rege rerræ illius extincto, tanquã [a] legitimè regnum obtinuit: aliis fortè eiusdem terræ Regibus non dissimilem exitum iudicio Dei habiturus. Quippe (vt dicitur) a centum retro annis, & eo amplius: cum Regum ibidem numerosa successio fuerit: nullus eorum senio aut morbo vitam finiuit, sed omnes ferro interêre, suis interfectoribus, tanquam legitimis successoribus regni fastigium relinquentes; vt scilicet omnes, qui tanto tempore ibidem imperasse noscuntur illud quod scriptum est, respicere videatur: [b] *Occidisti insuper, & possedisti.* Huic infami malo per longam consuetudinem tanquam legis iam obtinenti vigorem, Optimates terræ illius paulò ante tyrannidem prænominati presbyteri, pio studio mederi volentes: Regem nouitium solemniter vnctione mystica consecrari & coronari decreuerunt, scilicet, vt nemo de cætero auderet manum mittere in Christum Domini. Quippe eatenus nullus vnquam in gente illa ritu fuerat ecclesiastico consecratus in Principẽ. Sed quicunq; tyrannicè Regẽ occiderat: eo ipso personã & potestatẽ Regiam [c] induẽs, suo

[a] *v.c. legitimus.*

[b] *verba sũt Eliæ Acab increpantis de homicidio Naboht. 3. Reg 21.*

[c] *v. c. induebat, quæ certè lectio præponenda est.*

quoque occisori eandem post modicũ fortunam, inueteratæ consuetudinis lege relicturus. Quod nimirum Christiana quadam simplicitate a multis putatum est ideo factitari, quia nullus Regũ priorum regiæ meruerat vnctionis solemnibus initiari. Itaque interfecto Hacone, qui Regi Ingæ a se perempto successerat, cũ cuidam puero nomine Magno eiusdem Ingæ nepoti regni successio competere videretur, prudentes & nobiles regni decreto communi eundem puerum solemniter in Christum Domini consecrari, & diademate insigniri fecerunt. Quo facto sancitum sibi Principem, & priscæ consuetudinis dedecus abolitum crediderunt. Verùm cum idem Magnus iam pubes factus in multa strenuitate simul & felicitate, per aliquot annos regnasset, cunctis iam æstimantibus contra tyrannicos turbines satis consultum: inuidia diaboli ad perturbandam Christianæ plebis quietem, memoratum presbyterum, tanquam vas proprium incitauit. Qui cum in sacro ordine; quem in ecclesia acceperat, diuscule ministrasset: propensiore sui fiducia homo audacissimus atque acutissi-

acutissimus regnũ cœpit ambire. Mox lustrata omni regione conceptæ molitionis nõ segniter negotium exequens: [a] sępe prędonũ sollicitatam audaciam atq; improborum manum sibi validam artificiosissimè aggregauit, atque inuiis solitudinibus pro munitionibus vtens: crebris irruptionibus Regem irritauit. Cumq; Rex eum cum instructo exercitu persequeretur: ille arte fugam simulans, in quibusdam notis locorum angustiis substitit: ibique regias copias miserè circumuentas, atque eisdem angustiis impeditas, ita attriuit, vt Rex ipse inter mortuorum strages delitescens, abeũtibus hostibus ęgrè euaserit. Quo successu elatus, atque indies viribus auctior: classem quoq; est nactus, cuius opportunitate in pluribus eiusdem regni [b] debacchabatur prouinciis. Rex verò reparatis viribus, & classe parata aduersus hostem perrexit. Quo ille cognito: fugam quoq; tunc callidè simulans, in infinitũ refugit Oceanum. Quod cum Regi innotuisset: veram esse prædonis fugam credit, seque cum classe in portũ aliquem recepit. Vbi cũ exercitus pro lætitia hostis expulsi, exitiali securitate

a *v. c. spe prædarum.*

b *v. c. debacchatur.*

vacaret: sequenti nocte execrãdus presbyter cũ suis portum ingressus, ebriosque & somnolentos aggressus, minimo negotio, cum patre Regis, aliisque optimatibus, fere vniuersũ deleuit exercitum. Rex autem aliis morientibus elapsus: in quodam (vt dicitur) proximo virginum monasterio per dies aliquot latuit, frustraque quæsitus ab hostibus (Deo volente) euasit. Hac hostium infelicitate & clade tyrannus elatus: quanto cruentior, tantò insolentior circumquaque, tanquam triumphans, ferebatur, immitem se dominum pressis miserè prouincialibus exhibens. Rex autem post latebram luci, & amicis redditus, cœpit paulatim viris reficere, auxilia vndecunq; contrahere, aduersus hostiles se dolos cautiùs præparare: & tandem cum [2] parato exercitu perrexit in hostem. Quo mox ille cognito, cum videret iuuenem, propter priores clades prudentiùs atque instructiùs agere: numero quoque nauium, & pondere viriũ præstare, ad maleficia se conuertit. Habebat enim secum quãdam filiam diaboli, potentem in maleficiis, atque illi an-

[2] *v.c. apparatu maximo.*

tiquæ meritò comparandam: [a] de qua nobilis ait Poeta.

Virgil 4. Æneid. loquens de Massyla sacerdote.

„ *Hæc se carminibus promittit soluere mẽtes*
„ *Quas velit, atq; alijs diras immittere curas,*
„ *Sistere aquã fluuijs, & sydera vertere retro,*
„ *Nocturnosq; ciet manes. Mugire videbis*
„ *Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.*

Denique hæc (vt dicitur) mira pestilentissimæ artis confidentia ab amico quæsiuit tyranno, quomodo suos, qui iam præ oculis erant, hosteis cuperet interire. Illo submersionem eorum eligente, repentè operatione diaboli, qui nimirum per Angelicæ naturæ potentiam in elementis mundanis plurimum potest, cum a superiori finitur potestate, tranquillum mare os suum aperiens: in conspectu hostium maiorem Regiæ classis partem absorbuit. Quo viso, nefandus presbyter: ecce (ait) socij, quã efficaciter elementa pugnant pro nobis, cauete ne fortè euadant: quorum certum exitium pelagus vestræ virtuti reliquit, ne totum feciſſe videatur. Itaque regij exercitus pars reliqua subito interitu sociorum attonita facilè est oppressa, & rex ipse interiit. Quo subla-

to, in ditionem tyrannicam regnũ tremefactum conceſſit. Qui ſacro ordine abiurato: & accepta in coniugem filia Regis Gothorũ, ab Archiepiſcopo terræ illius coronari voluit. Verùm ille cũ eſſet vir magnus: & neq; precibus, & neque minarum terroribus flecteretur, vt caput execrabile ſacra vnctione perfunderet: ab eodem patria pulſus eſt. Poſt annos aliquot ſurrexit de ſtirpe Regum priorũ acerrimus iuuenis, nomine Ioãnes, confluentibus ad eum, & roborantibus eũ plurimis. Qui cum læta habuiſſet initia, vt iam eſſet tyranno terribilis: iuuenili tandem calore, inconſultiùs ad bellum proſiliens, infeliciter & præmaturè occubuit. Poſt hunc emerſit alius de ſemine regio bonæ ſpei puer, copioſis adiutus ſuffragiis. Verùm & hic in ipſa ſacra dominica Palmarũ, ante annos aliquot graui prælio a tyranno oppreſſus, & cũ ſuis adiutoribus funditus abraſus eſt. Sic virga illa furoris Domini profligato vel eliminato fere omni ſemine regio, atque omni hoſte indigena, magnus & tremendus tandem per manum cuiuſdam Epiſcopi, ad hoc intentata morte coacti, regium cum my-

a v.c. addit ſolemniter.

ſtica vnctione diadema ſortitus eſt, ſub incerto diu proſperātis tyrannidis exitu ex crebris ſucceſſibus quaſi ſecurus. Titulus autem ſigilli eius talis fuiſſe dicitur: *Suerus Rex magnus, ferus vt leo, mitis vt agnus*, clementiam quippe in ſubditos oſtēdebat, & eccleſiis ſiue monaſteriis reuerentiam exhibebat.

De morte Regis Hērici III. & Gaufridi fratris eiuſdem.

Cap. VII.

ANNO a partu Virginis M. C. LXXXIII. qui fuit XXX. regis Anglorum Henrici Secundi. Henricus Tertius iunior Rex Anglorum immatura morte deceſſit. Plane immatura, ſi ætatem reſpicias, ſed multùm ſera, ſi actus attendas. Fœdauerat enim adoleſcentiam ſuam næuo inexpiabili. i. ſimilitudine ſceleſtiſſimi [a] Abſalonis, vt ſuperiùs expoſitum eſt. Iuuentutem quoque ingreſſus, eandem adoleſcentiæ ſuæ noluit eſſe diſſimilem, & præuaricator, non tantum na-

a *de quo* 2. *Reg.* 15. 16. 17. 18. *adde notata ad cap.* 27. *l.* 2. *ſup.*

turæ (vt priùs) verumetiam ſolemnium pactorum : rebellauit iterum contra patrem. Cuius rebellionis cauſa hæc fuit. Idem pater Richardo filio in adminiſtrando ducatu Aquitanico ſuas vices commiſerat, filio quoque Gaufrido iam puberi plenitudinẽ iuris vxorij: id eſt, Britãniam Tranſmarinã tradiderat; Henrico primogenito ſub expectatione ſucceſsionis legitimæ ad patris vel excubãte, vel pergente imperium. Verùm occaſione cuiuſdam ſimultatis inter fratres exortæ, idem Hẽricus indignatus, quod fratrem Richardum pater Aquitaniæ præfeciſſet, iuncto ſibi fratre Gaufrido, Comite Britannico; & quibuſdã Proceribus Aquitanicis, patrem motibus bellicis laceſſiuit. Pater verò cum rebelles filios blãdis declinare mandatis fruſtra [a] laboraſſet: improbis eorum [b] auſibus obuiaturus, fineis Aquitanicos cum exercitu ingreſſus eſt. Mox Dei iudicio Hẽricus iunior, febre (vtriuſque præuaricationis vltrice) corripitur; omniumque animi, qui cum eo conſpiraverant, partiter elanguêre. Cumque ingraueſcente incommodo deſperaretur a

[a] *v. e. tentaſſet.*
[b] *v. c. conatibus.*

medicis, tandem compunctus misit ad patrem, excessum humiliter confitens, & extremam gratiam a paterna pietate depoſcens: vt morientem inuisere dignaretur. Quibus auditis, paterna quidem concussa [a] viscera, sed amicis allegantibus non esse sibi tutum, nequissimis conspiratoribus: qui circa filium erant, credere, quamuis pium esset ægrotantem filium visitare: præualente formidine ad filium non perrexit, sed pro signo clementiæ & indultæ veniæ, notum illi annullum, arram paternæ dilectionis direxit. Quem ille susceptum deosculatus: assistente Archiepiscopo Burdegalensi vitam finiuit. Funus ad patrem longo agmine deducebatur: cui mox pater piè occurrit, & Rothomagi sepeliendum in Normanniam deferri præcepit. Hunc finem habuit inquietus ille puer, ad multorum quidem natus exitum: sed tamen hominibus adeo fauorabilis & gratiosus (quia scriptum, [b] *Stultorum infinitus est numerus*) vt etiam de mortuo præclara dicerentur. Denique post mortem eius, quidam mentiendi libidine, atq; impudentissi-

[a] *v.s. addit sunt: & certè necessario addendum.*

[b] *Eccles.1.*

ma vanitate, famã latè sparsêrunt, quod ad sepulchrum eius curationes fierent infirmorum, scilicet vt vel causam contra patrem iustã habuisse, vel finali pœnitentia Deo egregiè placuisse crederetur. Idem verò pater dolorem extincti filij, ex hostis interitu temperãs: in breui vniuersos perdomuit, & Gaufridum filium in gratiam recepit. Qui tamen ingratus ad omne experimentum paterni affectus: hostilem (vt postea claruit) non exuit animum. Nam tempore modico circa patrem pendulus & fluitans, Francorum autem, quos paternæ gloriæ æmulos nouerat, modis omnibus captans amicitiam: cum a patre Andegauensem comitatum obtinere non
a v.c.posset a potuit, super hoc Rege Francorum inaniter satagente, eo quod Richardus, natu maior id nulla ratione concederet; ad Francos se contulit, tanquam per illorum potentiam patri & fratri extorturus precum blandiciis non obtentum. Cumque ad irritandum patrem Regi Francorum sedulò militans grãdia moliretur: diuini iudicij pondere obrutus molitiones suas Parisiis, cum vita finiuit, ibique sepultus: patri qui-

dem, cui minus officioſus exſtiterat, modicum; Francis verò, quibus multùm placuerat, ingentem luctum reliquit. Natus eſt ei ex Britannici Comitis filia vnicus filius [a] poſthumus. Cui cum Rex auus nomẽ ſuum imponi iuſſiſſet: contradictum eſt a Britonibus, & ſolemni acclamatione in ſacro Baptiſmate Arturus eſt dictus. Sicque Britones, qui [b] fabuloſum dicuntur exſpectaſſe Arturum: nunc ſibi cum multa ſpe nutriunt verum, iuxta opinionem quorundam grandibus illis, & famoſis de Arturo fabulis prophetatum.

[a] *v.c. poſtremus.*

[b] *v.c. addit, diu.*

De morte Cantuarienſis Archiepiſcopi, & inſtitutione Lincolnienſis Epiſcopi.

CAP. VIII.

EODEM ſanè anno, quo Hẽricus tertius in fata conceſſit, Richardus quoque Cãtuarienſis Archiepiſcopus venerabilis Thomæ ſucceſſor deceſſit,

Homo quidem mediocriter litteratus, sed laudabiliter innoxius: & ne ambularet in magnis, modulo suo prudenter contentus. Successit ei Baldeuinus, ex Abbate Fordēsi Vvigornensis Episcop⁹, vir religiosus & litteratus: sed & Galterius Constantinēsis ipso anno factus est Ecclesiæ Lincolnien sis Antistes: cum vacasset eadem ecclesia annis ferè decem & septem: sicque euacuata est proprophetia, vel potius diuinatio Conuersi Tamensis de suo, non Dei spiritu prohetantis, quòd Lincolnien sis ecclesia Pontificem vlteriùs non esset habitura. Quæ diuinatio propter longam eiusdem Ecclesiæ vacationem plurimos adeo mouerat: vt memoratus Galterius accepto consecrationis munere, non sine grandi metu ad propriam sedem accederet. At non diu sedit ibidem. Nempe post modicum electus ad Episcopatum Rothomagēsem: formæ venustioris blandiente illecebra, nouæ nuptæ valedixit. In qua re pensandum est quāti sit momenti ambitus excellentiæ, quantumque in homine pecuniæ etiam cupidissimo, superet amorem pecuniæ. Satis quippe notum est, quod quantùm

Rothomagensis Ecclesia Lincolnienſi præeminet maioritate dignitatis: tantùm etiam cedit illi in temporalibus cõmodis. Homo tamen, qui Episcopatum Lincolnienſem propter ampliſſima cõmoda multùm ambierat, maluit eo relicto ad minores diuitias ascendere superius, quàm eo retento cum maiorib. diuitiis sedere inferiùs. Et quidem diu hæsitasse dicitur, vtrùm eminentior an ditior esse eligeret, scrupulosè secum deliberans; sed tandem ambitus loci celsioris de amore cõmodi largioris triũphauit. Illo autem translato: vacauit iterum Ecclesia Lincolnienſis annis aliquot.

De expeditione contra Rolandum, & quibuſdam euentis Hyberniæ.

Cap. IX.

ILLVSTRIS Rex Anglorum Henricus II. post mortem Hẽrici tertij transuectus in Angliam: in extremos regni fineis aduersus Rolandum

Galvvadiæ Principẽ duxit exercitum. Quippe idem Rolandus mortuo Gilberto, qui (vt ſuperiùs dictum eſt) [a] capto a noſtris Rege Scottorum, fratrem [b] Vætredum nefariẽ peremerat, in filios eius ſorte bellica præualens, totam illam ſibi prouinciam vendicarat. Interpellatus ab eis Rex Anglorum, Rolando mandauit, vt hæreditatem paternam propriis redderet conſobrinis, qui cum ſpreuiſſet mandatum; iratus Rex cum ingentibus equitum & peditũ copiis parteis illas adiit. Vbi cum ex Hybernia rumores grauiſſimos accepiſſet: exhilaratus nuntio placabilior fuit. Itaque accepta ſatisfactione a Rolando exercitum maturè reduxit. Vt autem illius nũtij qualitas melius intimetur, pauca de ſtatu Hyberniæ, quoniam ſe præbet occaſio, prælibanda ſunt. Relatum eſt [c] ſuperiùs, quomodo Comes Richardus adquiſitionem Hybernicã eidem Regi coactus dimiſerit: quam profectò Rex opportunè tranſuectus in Hyberniam, prout voluit, ordinauit. Eo autem in Angliam reuerſo, præfecti militũ ad ſubactæ prouinciæ regimen ibidem ab eo relicti, vel prædæ vel gloriæ

[a] *ſuprà l. 2. c. 33.*

[b] *v.c. Varelum.*

[c] *l. 2. c. 16.*

auidi, commissos sibi fineis paulatim dilatabant. E quibus vnus, scilicet Ioannes de Curci, iuncta sibi equitum peditumque manu valida illam Hyberniæ prouinciam, quæ a Regno Scotiæ angusto freto seiungitur, & Vluestitia nuncupatur, hostiliter inuadendam putauit. Forte illuc venerata Scotia Viuianus, vir eloquentissimus, Apostolicæ sedis legatus, susceptusque honorifice a Rege, & Episcopis eiusdem prouinciæ: in ciuitate maritima quæ Dunum vocatur pro tempore morabatur. Hostium autem aduentu præcognito, Hybernienses consuluêre legatum, quidnam in tali articulo esset agendum. Qui pugnandum pro patria esse dixit, & pugnaturis cum obsecrationibus benedixit. Hoc modo animati, audaciter in prælium ruêrunt: sed a loricatis sagittariis facilè oppressi terga verterũt. Capta est ergo ciuitas Dunensis. Porro legatus Romanus cum suis refugit in ecclesiam sanctorum reliquiis inclitam. Prouiderat enim sibi homo prudens, & prę manibus habebat Regis Anglorum litteras ad præfectos eius Hybernicos: vt eorum tutus suffragiis, legationis suæ

[a] *his iunge c. 16 Hib. expugnatæ, Siluest. Giraldi memorantis Legationẽ Viuiani.*

inter barbaros munus impleret. Hac auctoritate pacem & securitatem accipiens, Diuellinum migrauit; & sub nomine vel Domini Papæ, vel Regis Anglorum fiducialiter agens, conuocatis Hyberniæ Præsulibus atque Abbatib. generale [a] concilium celebrauit. Verũ cum in Ecclesiis simplicitatis barbaræ liberiùs agere morem vellet Romanũ, denuntiantibus præfectis Regiis, vt vel abscederet vel secum militaret; auro Hybernico, quod multùm sitierat, minùs onustus in Scotiam remeauit. Porro Ioannes de [b] Curci cum suis qui Dunum, & fineis eius ceperat, a Regibus Hyberniæ postmodum frustra oppugnatus, expugnata [c] Ardemachia (vbi esse dicitur prima sedes Hyberniæ, propter honorẽ beati Patricij, atque aliorũ indigenarum sanctorum quorum ibidẽ sacræ reliquiæ requiescunt) totam prouinciam illam subegit. Huius autẽ prouinciæ homines præ cunctis Hyberniæ populis in celebratione Paschali, eatenus superstitiosi fuisse traduntur. Nã sicut quodam venerabili Episcopo gẽtis illius referente cognoui: arbitrabantur obsequium se præstare Deo, dum

a Sil. Giral. c. 17. Hyb. expugnata l. 1. refert nonnulla hic desiderata.

b v. c. Turci.

c Sil Giral. c. 30 Topog. Hiber. Arthemathia B. Patricii sedes & proprius totius Primatiæ Hiberniæ locus, inquit.

per anni circulum furto & rapina congererent; quod in Paschali solemnitate profusissimis, tanquam ad honorem resurgentis Domini absumeretur conuiuiis, eratque inter eos [a] vrgens contentatio: ne fortè quis ab alio immoderatissimis ferculorum præparationibus [b] vinceretur. Verum hanc superstitiosissimam consuetudinem, cum statu libertatis propriæ debellati finiêrunt. Sanè inter Proceres Regis Anglorum, qui erant in Hybernia, Hugo de Lasci præcipuus, & præpollens habebatur: cui nimirum idem Rex post mortem strenuissimi Comitis Richardi amplissimas ibidem possessiones contulerat, & suorum dominiorum administrationem commiserat. Ille verò in breui ita dilatauit terminos suos, & prosperatus auctúsque magnitudine est opum & virium: vt iam non solum hostibus, verumetiam sociis, id est aliis Proceribus regiis esset terribilis. Nam & his infestus erat, si fortè minus parerent. Videbaturque sibi iam magis, quàm Regi Anglorum regnum Hybernicum æmulari, in tantum vt diadema sibi regium parasse diceretur. Quibus regi nuntiatis: euocatus ab eo

[a] *v.c. ingens.*

[b] *v.c. addit. vel appositionibus.*

a attamen Silueſt. Giral. l. 11. c. 22. Hiber. expug. ſcribit eum ſecundò miſſum ad Hiberniæ adminiſtrationē.

mandatum contempſit, [a] & per hanc inobedientiam fidem fecit præſumptionis vulgatæ. Verùm poſt modicum tāquam pro Rege Anglorum æmulante fortuna: cuiuſdam ex fœderatis Hybernienſibus familiaris, & domeſtici iuuenis perfidiam expertus occubuit. Cum enim ſpatiandi gratia in agrum ex munitione egreſſus, auulſuſque a ſatellitibus fere quantum iactus eſt lapidis, fortè ſe inclinaſſet, vt neſcio quid deſignaret in terra: perfidus ille diu quæſitā occaſionem nactum ſe gaudēs, bipennem fortiter in caput eius vibrauit: quo abſciſſo, & ſatellitibus ad vlciſcēdum fruſtra concurrentibus: beneficio ſyluæ proximę, & pernicitatis propriæ elapſus euaſit. Huius rei nuntius Regem Anglorum in extremis regni finibus (vt dictum eſt) conſtitutum ingenti perfudit lętitia, moxque res Hyberniæ cautiorem ab eo ordinationem ſuſcepere.

De

De aduentu Patriarchæ in Angliam, & morte Regis Ierosolymorum, & regno filij eius, & de Saladino.

Cap. X.

ANNO a partu virginis M C.LXXXIIII qui fuit Henrici Regis secũdi xxx. primus: Ierosolymitanus Patriarcha causis vrgentibus ab Orientali missus ecclesia, venit in Angliam. Vt autem hæ causæ meliùs elucescant, tempore Regis Amalrici, [a] quem superior sermo non tacuit, res Ierosolymitanas sub breuitate transcurramus. Qui nimirum Amalricus post multa fortiter & feliciter gesta hominem exuens: filio impuberi Balduino regnum reliquit. Hic autem cum non paruæ spei esset, occulto Dei iudicio plaga lepræ percussus, regni tamen moderamina, quoad vixit, animi magis quàm corporis viribus tenuit: &, vt certus sibi successor propter imminentia terræ pericula non deesset: 1184.

[a] al 2.c.23.

ex ſororis nuptiis, ſtirpis Regiæ ſeriem currere voluit. Eodem tẽpore mortuo Noradino, Rege Syriæ & Meſopotamiæ, qui populo Chriſtiano poſt patrẽ ſanguinum, virga furoris Domini fuerat: ſurrexit pro eo Saladinus, non iam virga, ſed malleus. Hic Saraconis nepos, qui Saraco (vt ſuperiùs dictũ [a] eſt) Princeps militiæ Noradini extiterat: illi defuncto in eodem Principatu ſucceſſit, homo aſtutiæ ſingularis, & mille nocendi artibus inſtructus. Mortuo autem Noradino: vxoris eius connubium appetiuit, eaque tradente Damaſcum, & fineis eius accepit. Cumque eſſet militiæ Turcorum gratiſſimus: vireis artibus, & arteis viribus iuuans, exhæredato Noradini filio ampliſſimum regnum eius obtinuit. Mox in Ægyptum arma transferens: abſumptis terræ illius Principibus locupletiſſimum arripuit regnũ Babylonis. Lybia quoque atque Arabia potitus, nactus eſt nomen grande, ſuper nomen aliorum magnorum qui ſunt in terra. Denique (vt dicitur) octo Regnis ditiſſimis præſidens: parum tamen a ſe actum putabat, dum Chriſtiani magno, [b] ideſt, mediterraneo mari

[a] *ſcilicet l. 2. cap. 23.*

[b] *v e inſe. it, Cabos.*

ab orbe reliquo Christiano secluſi, Ieroſolymam, Antiochiam, & maritimas Syriæ ciuitates poſſiderent. Totum ergo in ipſos latiſſimi imperij ſui robur conuertens, homo in ſeculari potentia ſiue aſtutia vix comparationem recipiens: modis omnibus nitebatur deuorare plebem Dei, ſicut eſcam panis: & tropheum crucis Chriſti auellere a partibus Orientis, vbi priùs erectum eſt.

Quomodo victus Saladinus, & quomodo poſtea prævaluit.

Cap. XI.

IRCA hos dies Philippus illuſtris Flandriæ Comes, pię deuotionis inſtinctu cũ numeroſa militia terrã Ieroſolymitanam ingreſſus, contra Saladinum aliquid agere, & fineis voluit Chriſtianos dilatare. Verùm offenſus a Templariis, ad terram Antiochenam inuitante Principe militiam traduxit, eoque cooperante munitiſsimum op-

a *ſcilicet anno 4 Balduini 4. Hieroſoly. Regis, inquit, Tyr. l 21. c. 14.*

pidum [a]. Hareng nominatum, nihil ibidem acturus, sed inglorius receſſurus, obſedit. Audiens autem Saladinus abducta militia terram Domini plus ſolito præſidiis vacuatam: cum infinito exercitu repentinus irruit, nec moratus in terminis: tanquam poſſeſſurus eam, intima eius illico penetrauit. Tunc Princeps Chriſtianus lepram corporis animi virtute exornans, quantulam pro tempore potuit militiam conuocauit, & præliaturus non ſuum, ſed Domini prælium, hoſtium numeros non expauit. Itaque præeunte vexillo dominico iuxta Rama oppidum, quod hoſtes obſederant, congreſſurus cum eis, tremendas illas gentis ſpurciſsimę copias, diuino fretus auxilio profligauit. Saladinus fuga elapſus, ægrè euaſit, cæſis de exercitu eius multis milibus. Geſtum ex hoc præliũ a Chriſtianis Chriſto propicio feliciter, ſeptimo Calẽdas Decembris. Verùm anno ſequenti propter peccata, quæ vtique [b] diuinitas minus in ſuis (dum hîc viuitur) quàm in alienis diſsimulat: contra populum Chriſtianum in terra ſancta degentem, & minùs ſanctè viuentem cæleſtis ira

[a] *aliùs Harene apud Tyr. l. 21. c. 19. & 25.*

[b] *Deus minùs diſsimulat peccata in ſuis quàm in alienis.*

excanduit. Cum enim Saladinus ad expiandum præcedentis anni dedecus, fineis Christianos instructior terribiliorque inuaderet: nostri quoque multò instructiores & numerosiores, quã prius, atque ideo minùs in Domino, dum de se pręsumerent, confidentes, prælium illi in terminis intulêrunt, vbi Deo resistente superbis, quibus antea humilibus dederat gratiam: magna virium Christianarum contritio facta est: cæso non paruo militum numero cum magistro militiæ Templi, & Optimatib. plurimis. Initium dolorum hoc. Nondum enim aduersus erat furor Domini, sed adhuc manus eius extenta. Denique postquã Cæsarea Philippi, (quæ nũc Belinas dicitur, & erat quasi clauis finium Christianorum contra Damascum) inciderat (vt suprà dictum est) in manus hostiles: Templarij tam suis, quàm emendicatis vndecunque opibus, munitionem satis vtilem ad vadum Iacob exstruxêrunt. [a] Surgebant indies structurę murorum, & excubabat ibidem iugiter nõ paruus armatorum numerus: ne fortè irruptione hostili impediretur opus. Diu quidem hoc cum liuore & gemitu

[a] *v. c. addit ne hostes à parte eiusdẽ Cæsareæ in fines liberè Christianos excurrerent.*

dissimulatum toleratumque est a Turcis: dum integræ essent vires Christianæ. Quas cum clade paulò ante acceptа languidiores esse conspicerent: tẽpus nacti, munitionem illam armis virisque refertam obsidione cinxẽrunt, atque adhibitis machinis fortiter oppugnare cœpẽrunt. Congregatus est autẽ exercitus Christianus apud [a] Tiberiadem, vt obsidionem solueret: at non ea alacritate, qua solebat. Ibi Optimates nostri de agendis tractantes, nequaquam sibi tutum esse censuẽrunt, absente cruce dominica, cum numerosissimis hostibus congredi. Mittuntur Ierosolymam, qui signum salutare exhibeant. At in ea mora expugnata [b] munitio. Qua celeriter euersa: Turci cũ ingentibus spoliis abiẽrunt. Capta est enim ibi magna vis armorũ, & multus sanguis Christianus effusus. Nec multò pòst Saladinus Christianos ex improuiso fineis aggressus: Neapolim (quę olim Sichima dicebatur) captã [c] euertens, & facta hominum strage non modica, dum nostri conuenirent, in propria se recepit.

a *v. c. Celebriadem.*

b *v. c. addit. est & certè necessariò addendum.*

c *v. c. euertit.*

De causa aduentus Patriarchæ in Angliam.

CAP. XII.

EO tempore Rex Ierosolymorum, mortis beneficio [a] liberatus a lepra, nepoti ex sorore, nouenni puerò regnum reliquit. Qui cum esset vnctus in Regem, sub tutela Comitis Tripolitani, pro ætate nutriebatur, rerum verò summa penes eundem Comitem potissimum esse videbatur. Cum ergo res Ierosolymitanæ indies langueſcerent, atque illud Salomonis, ([a] *Maledicta terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt*,) prudentes terræ illius crebra cogitatione versarent: generali prouidentia statutum est, vt vir magnus, cuius cum quantitate negotij moueret auctoritas, sanctæ scilicet resurrectionis Patriarcha, petendi contra immanissimum hostem Saladinum auxilij gratia ad Christianos Principes in Europam mitteretur, &

a *fuisse leprosum dixit supra c. 10. Iacob. Vitriac. c. 95. Orient. hist. Guill. Tyr. l. 21. c. 1.*

b *Eccl. 10.*

maximè ad illustrem Anglorum Regem, cuius efficacior & promptior opera sperabatur. Idē ergo Patriarcha post maris discrimina Romam veniens, & iuncta patriarchali, auctoritate Apostolica processurus: hanc a Papa Lucio ad Regem Anglorum accepit epistolam.

---

hic vt habebat distinctionem cature.

Epistola Domini Papæ ad Regem Anglorum.

LVCIVS Episcopus, seruus seruorum Dei: charissimo in Christo filio H. illustri Regi Anglorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum inclinati prædecessores tui præ cæteris terræ Principibus armorum gloriâ & nobilitate animi longè retrò claruerint, eosque fidelium populus in sua didicerit aduersitate patronos: meritò ad te non tantum regni, sed & paternarum virtutum hæredem, quadam securitate præsumpta recurritur, vbi populo Christiano imminere periculum, immo exterminiū formidatur; vt per brachium Regiæ magnitudinis

membris eius impendatur præsidium: qui vt ad tantæ gloriæ, & prælationis apicem peruenires sua pietate cõcessit, & te contra sui nominis impugnatores nefarios, murum inexpugnabilem ordinauit. Proinde nouit serenitas tua, iã crebris & molestis super hoc pulsata querelis, qualiter terra Ierosolymitana, specialis hæreditas crucifixi, in qua nostræ salutis sunt prænuntiata mysteria, & ipsius rei exhibitione completa: quã ille, qui cuncta cõdidit in sortem suam peculiari priuilegio deputauit: perfidæ & spurcissimæ gentis attrita & circumuallata pressuris, nisi celeri remedio succurratur, prona sit ad ruinam, & inde sustineat (quod absit) irreparabilem religio Christiana iacturam. Ille enim Saladinus sancti & tremendi nominis immanissimus persecutor, ita spiritu furoris excanduit, & totius nequitiæ suæ vireis, [a] ad internecionem populi fidelis exercet; vt nisi immanitatis eius vehemens impetus reprimatur, quasi obiectis obicibus: certam spem fiduciamq; concipiat, quod [b] influat Iordanis in os eius; & terra aspersione viuifici sanguinis consecrata, spurcissimæ superfti-

[a] *v.c. interruptionem.*

[b] *quod Iob Diabolo, hic Lucius tribuit Diaboli ministro Saladino.*

tionis ipſius contagio polluatur; & quã glorioſi & nobiles prædeceſſores tui, a dominio gentis incredulæ multis laboribus, & periculis exemêrũt: rurſus nephando tyranni nequiſsimi dominio ſubiugêtur. Ob hanc itaq; neceſsitatis, & imminentis doloris inſtantiam, magnificentiã tuã Apoſtolicis litteris duximus exhortandã, immo dilatatis præcordiis ſumma acclamatione pulſandã: quatenus ad honorẽ ipſius reſpiciens, qui te cõſtituit in ſublime, & iuxta magnorum, qui ſunt in terra, nomen tibi contulit glorioſum, ad deſolationẽ præfatę terrę pietatis ſtudio te conuertas; & vt eius cõfuſio in hac parte tollatur, qui pro te in terra ipſa voluit haberi ludibrio, operam adhibeas efficacem: quatenus prędeceſſorũ tuorũ veſtigia ſubſecutus, quã ipſi de Principis tenebrarũ faucibus eruêrunt: in cultu magni Dei per tuam diligentiam auxiliãte Domino conſeruetur. Eo autem curioſiùs celſitudinem tuam in tanta oppreſsionis anguſtia conuenit laborare, quod terrã ipsã Regis [a] intelligis præſidio deſtitutam, & totam ſpẽ defenſionis ſuę ipſius Proceres in tuę magnitudinis patroci-

[a] v. c. addit *Chriſtiani*

nio duxêrunt collocandam. Quod inde clariùs tua ſerenitas poteſt agnoſcere, quod ſummos terrę illius,& magnificos defenſores, venerabilem fratrem noſtrũ E. Patriarcham,& dilectum filiũ Magiſtrum hoſpitalis ad tuam excellẽtiam deſtinarunt,vt ex [a] ipſorũ præſentia, conſiderata dignitate perpenderes: quanta fuerit neceſsitatis anguſtia, pro qua eorum ſuſtinẽt tam diu carere præſidio,vt per ipſos faciliùs advota ſua tuã deuotionẽ inclinent. Viros ergo præfatos tanquam ab ipſo domino tibi deſtinatos benignè recipias,& debita charitate pertractes: eorumq; poſtulationibus tantò faciliùs adquieſcas,quãtò ſuę grauitatis & honeſtatis intuitu fauor eſt eis, maior, & gratia exhibenda. Sanè recolat prudentia tua,& ſollicita ſecum meditatione reuoluat,promiſsionẽ illã, qua de impẽdendo ſępè terræ præſidio, tuam celſitudinem obligaſti; & ita in hac parte te cautum & ſtudioſum exhibeas, vt te in tremendo iudicio tua cõſcientia non accuſet, & eius qui nõ fallitur, diſtricti iudicis interrogatio non condemnet. Vale.

vide notas.

[a] *malè antea, Epiſcoporum.*

Quomodo Patriarcha in Angliam venerit.

Cap. XIII.

Nunc primò reductũ est hoc cap. ex ms. vt & cætera notanda hoc signo Crucis.

VENERABILIS igitur Patriarcha in Angliam veniens circa negotium propter quod venerat, solicitè satagebat. Eo, quo decebat honore a Rege susceptus, propriæ fatigationis causas aperuit: & vt in tam sanctam accingeretur militiam, tanquã ordinatus a Deo votisque omnium expostulatus ad debellandam spurcissimi Saladini superbiam, condignæ autoritatis pondere monuit. Rege salubria monita benignè admittente, & responsum post competens deliberandi spatiũ pollicente, aliquantisper est in Anglia demoratus. Verùm cum ille certa & enormia regni proprij ex sua peregrinatione pericula allegaret: & intentione præsentiæ ad subleuationem Orientalis ecclesiæ, decentem pecuniæ modum promitteret: tandem inanior spei,

quàm venerat, in Galliam remeauit. Rex quoque ad transmarina vocatus negotia transfretauit. Cumque inter ipsum & Regem Francorum, exitialis discordiæ germina pollularent, Diabolo scilicet omnibus modis satagente vt Christiani Principes vires inter se Christianas eneruantes: terræ & ciuitati, ex qua salus omnium fluxit, multiplici expositæ periculo minimè subuenirent, venerabilis Patriarcha infecto repatriauit negotio.

De discordia Regum atque Inducijs.

Cap. XIIII.

Igitvr ortum inter Reges malum discordiæ, multos inuoluit populos. Cum enim vnaquæque gens pro suo Principe æmularetur: ita contra se mutuo animabantur & præparabãtur, tanquam singuli vel proprium emolumentum seu gloriam quærerent, vel iniurias proprias vlturi essent. Coiêruntque ex diuersis hinc inde prouinciis

apud Caſtrum, quod [a] Rodulphi dicitur, ferociſſimo agitatæ ſpiritu armatorum multitudines, mira veſania ſuorum Regum gloriæ, vel potius ſuperbiæ ſanguinem proprium libaturæ. Quid enim inſanius quàm pro inani, nec ſua, ſed alterius gloria ita æmulari? & quid iniquius vel miſerabilius; quàm pro vnius hominis cõmodo, vel etiã faſtu nudo; tot Chriſtianorũ milia periclitari? Cũq; e Caſtris hinc inde oppoſitis per dies aliquot toruis ſe mutuò vultibus duo magni exercitus proſpectarent, fruſtra circa vel pacem, vel inducias ſatagentibus, atq; aërem tantum verberantibus viris pacificis: tandem fatalis & tremẽdus conſerendi manus dies illuxit. Turmis ad pugnam diſpoſitis parum iã aberat a concurſu mutuo: cum ecce occultis magis (vt dicitur) ducum ſuſurris, quàm prælocutionibus publicis indultæ indies plurimos induciæ in vtroque exercitu voce præconia declarantur. Planè vox iſta multò gratiùs inſonuit auribus omnium: quàm vox tubæ accendentis ad prælium. Gentes ergo, quæ paulò antè hoſtiliter fremebant, & populi qui prius meditabãtur inania, Deo

[a] *v. c. Radulphi vulgo Chaſteaux Rous in tractu Bituricenſi ad Indrum flumen.*

propicio cum [a] incruento gaudio abiêre in sua. Rex autem Anglorum dimisso exercitu in Transmarinis regionibus morabatur, firmandæ magis pacis, quàm suscitandi furoris [b] belli negotiis deditus. Olim enim pro ætate bellorum processus, nulla iam libidine, sed sola necessitate ad intentionem bellicam trahebatur.

[a] *v.c. ingressi.*

[b] *v.c. belli ci pertæsus nulla iam libidine sed sola necessitate, &c.*

De prærogatiua terræ Ierosolymitanæ propter quam totiens deuorat habitatores suos.

Cap. XV.

ANNO a plenitudine temporis, quo verbum caro factum est M. C. LXXXVII. regnante in Alemannia Frederico, in Frācia Philippo, in Anglia Henrico II. Vrbano autem, qui Lucio successerat, sedi Apostolicæ præsidente: aggrauata est manus Domini super terram Ierosolymitanam, & secundum [c] Ieremiam, plaga inimici percussit eam castigatione crudeli. Ciuitas sancta [d] in qua inuocatum est nomen Domini

[1187.]

[c] *cap. 30.*

[d] *Hier 25.*

a diebus antiquis: in qua sacræ prophetiæ floruêrunt; in qua redemptionis humanæ insignia micuêrunt; ex qua, salutis in omnem mundi latitudinem sacramanta fluxêrunt (proh dolor!) incidit in manus gentis prophanæ & immundæ; terra sanctorum, qui a sęculo sunt, prophetarum: terra Apostolorũ, immo ipsiùs Domini & Saluatoris; quã scilicet incarnationis, & natiuitatis suæ mysterio initiauit: conuersatione sua & prædicatione signisque illustrauit, passione sua, & sepultura, & resurrectione consecrauit; ascensionis suæ triumpho, & aduentu paracleti irradiauit; spurcissimus Saladinus occupauit, fidelium populis vacuauit, & abrasis Christianæ religionis insignibus, immundissimæ sectæ suæ sacrilegijs prophanauit. datũque est ei non solum os loquens ingentia: sed etiam brachium faciens grandia aduersus Dominum, & aduersus populum Christi eius: nam de eodem populo impletum est illud Ieremię, immo dominicum per os eius, [a] *Eĳce illos à facie mea: & egrediantur, qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem,*

[a] *Hierem. cap. 15.*

tem, ad captiuitatem. Huius autem miſerabilis & famoſi exterminij cauſam fuiſſe peccata, plus ſolito inundantia nemo debet ambigere. Et quidem ab initio in omnibus, quę ſub cęlo ſunt regionibus, patientiùs diuinitas peccata diſſimulaſſe noſcitur, quàm in terra illa; quam vtique gratia tantorum, tamq; inſignium operum diuinorum, quæ in ea mirabiliter patrata, vel patranda fuêre, quadam (vt ita dicam) priuilegiali neceſſitate ſanctam eſſe oportuit, aut non diu impunitam. Quippe hanc Deus elegit ab initio, illius præclariſſimæ dignationis ſuæ, quæ ſcilicet omnia diuina lõgè antecellit opera, i. ſuæ incarnationis, & humanæ redemptionis, ſuo tempore nobilitandam miraculis. Horum ſanè in ea ſuo tempore patrandorum gratia: ſingulare prę cunctis regionibus ſemper priuilegium habuit, quod vtiq; eorundem iam patratorum cumulatiùs habere dinoſcitur. Inde eſt quod ſcriptura ſacra locis pluribus eius prærogatiuam tam præclarè commendat. Quod ſi vel ad opum gloriã, vel ad fructuum referas vbertatem: occurrit tibi veriſſima ratio, quod in his plurimæ illi regiones

çquentur, & quædam etiam præstent: nisi fortè in his, quæ de India memorãtur, vana sit fides. Ergo hoc solo præ cũctis terris inclita, vel olim fuisse, vel nũc esse dinoscitur, quod in ea & olim patrandum erat, & nunc patratum esse cõstat, illud humanæ redemptionis tam magnũ & tam mirabile sacramentum. Nã si peculiari populo suo, id est semini Abrahæ, terrenam hæreditatem Deus propter excellentissimam fructuũ fertilitatem largiri voluisset: in India potius, quàm in Syria possessionem tribuisset. Nunc autem diuina sua prouisione populo ad hoc electo, vt ex eo humanæ redemptionis hostia suo tempore sumeretur: terram illam in possessionem dedit, quam ab initio elegerat, vt in ea eadem reconciliatrix hostia litaretur. Huius rei gratia eandem terram
a Leuit. 25 specialiter suam [a] vocat; terra, inquiẽs, *non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei.* Sanè huius terræ primi post diluuium incolæ fuêre Cananei & Amorei, & cognati horum populi. Quos nimirum Dominus propter mores flagitiosissimos suo tempore disperdendos esse præuidens:

adduxit illuc Abraham generosæ stirpis patrem futurum, de Hur Chaldeorum: [a] *semini*, inquiens, *tuo dabo terram hanc.* Porro ipsi Abrahæ nec passum pedis, vt ait [b] Apostolus, dedit in ea. Quia, iuxta vocem diuinam nondum completa erant peccata Amoreorum: id est non tantùm iam excreuerant atque inualuerant, vt propter hęc a Deo indulgenter magis quàm rigidè peccata pensante, ijdem peccatores exterminari deberent. Itaque Deo præscio & iusto, non rigido, peccatorum completio [c] patientia est exspectata: & exterminatio peccantium vsque ad completionem peccatorum dilata. Idcirco Abraham illius terræ nō est factus possessor, sed aduena: porro semen eius completis peccatis Amoreorum accepit in possessionem terram eorum. Et vt eandem terrā possideret Deo largiente: eosdē exterminauit impios Deo iubēte. Num putamus hanc gentem peccatricē enormiùs peccasse, quàm gentes cęteras orbis terrarum, scilicet vt illęsis cęteris sola exterminium pateretur? Certè orbem vniuersum caligo erroris inuoluerat; & nemo respectu diuini iudj-

a *Genes. 12.*

b *Actor. 7.*

c *Vt. c. patienter.*

cij, quod vtique nescibat, vetabatur facere quod libebat. Non ergo gens illa ideo sola diuini seueritatem iudicij experta est, quòd cæteris gentibus sordidior fuerit; sed terram clarissimis diuinæ dignationis suo tempore nobilitandam miraculis, incolarum suorum tunc deformatam peccatis, eorundem incolarum exterminio expiari; & populo electo, id est semini Abrahæ, sacræ fidei habenti characterem, in hæreditatem dari oportuit. Quam obrem eidem populo a Moyse in [a] Deuteronomio dictũ est; *Non propter iustitias tuas ingredieris vt possideas terram istarum nationum: sed propter impietates suas te introeunte deletæ sunt, & vt impleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob*: In Leuitico quoq; filiis Abrahę, diuina voce dicit: *Ne polluamini in omnibus quibus contaminatæ sunt gentes, quas ego eijciam ante conspectum vestrum: a quibus polluta est terra cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* [c] *Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gẽtem, quæ fuit ante vos.* Cæteræ vero regiones tale priuilegium non habentes,

a 9. cap. ab auctore citandum interpolatè.

b v. c. hac & in sequenti caret periodo. Locus verò citatus est. Leuit. 18.

b in Bibl. interpositæ sunt duæ periodi, vtrũ has autor, vel librarius miserit ardum mcõijcere.

non ita deuorant vel euomunt habitatores suos, cum effusius peccatis sorduerint: sicut illa, quæ & ipsum semen Abrahę, cui in hæreditatem data erat, eo quod eam suorum enormitatę facinorum deformaret, postmodũ iustè euomuit. Et maiorem quidem partem eius, i. decem tribus, [a] i. tribum Iuda, de qua ipse Dominus secundùm carnem nasciturus, & tribum Beniamin, quę vas electionis editura erat, euomuit in Babylonem, [b] suo tempore reuocandas. Quas tamen postmodum, eo quod nõ cognouerint tempus visitationis suę, sed detestabili vesania proprium peremêrunt redemptorem, eadem terra iam in ea patratis diuinis mysteriis inclita, seueriori iudicio nunquam reuocandas euomuit, Romanis Imperatoribus Vespasiano & Tito, diuinę animaduersionis ministris. Exterminato autem carnali [c] semine Abrahæ, quod ita degenerat, vt ei a Domino diceretur, *Terræ Sodomorum* [d] *remissiùs erit in die iudicij, quàm vobis*: cuncultatum est a gentibus sanctuarium Dei, vsque ad tempus religiosi Augusti, Constantini Magni. Tunc enim terra sancta [e] pio eiusdẽ Principis

[a] *v.e. addit irreuocabiliter extorres: duas verò tribus.*

[b] *v.e. mancus erat in sequẽtibus voculis.*

[c] *Matt. 10*

[d] *edi vulg. tolerabilius sed author videtur prompsisse ex Luc. 10.*

[e] *maiè antea pro.*

ſtudio, a gentilium rituum ſordibus emundata, data eſt in hæreditatem, & poſſeſſionem vero ſemini Abrahæ, id eſt Chriſtianis, a quibus & poſſeſſa eſt annis multis vſque poſt tempora beati Gregorij. Tandem enim & hos habitatores ſuos, cum diuinam contra ſe itacundiam peccatis excreſcentibus accendiſſent : terra ſancta, quæ ab eis maculabatur, deuorauit, ſiue euomuit, & contaminarunt eam Agareni habitatione ſua ſpurciſſima, vſque ad annum a plenitudine temporis, quo
1099. verbum caro factum eſt M. XC. nonum.
a l.1.ca.11. Tunc enim ciuitas ſancta (vt [a] ſuperius memoratum eſt) per militiam Chriſtianam, ab Europæ partibus venientem Agarenos habitatores euomuit, & impleta eſt etiam in hoc Prophetia
b Geneſ.9. Noë. [b] *Dilata Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Quippe de Sem, gentes Aſiæ, de Iaphet verò ortæ ſunt gentes Europæ. Iaphet ergo quodammodo habitationem accepit in tabernaculis Sem, quando homines Europæ expulſis Agarenis, in prouincia Aſiæ Paleſtina, habitare cœpêrunt. Fuit autem habitatio filiorum Iaphet in terra

ſancta, annorum circiter LXXXVII. hoc eſt ab anno a partu virginis M. nonageſimo nono vſque ad annum M. centeſimum octuageſimum ſeptimum. Tunc enim & ipſos peccatis eorum inualeſcẽtibus, atque ideo Agarenis præualentibus (quod ſine gemitu non dicimus) terra ſancta more ſuo euomuit. Erant enim iam in Ieruſalem & regno eius, non vt olim, [a] viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt: ſed ex omni gente Chriſtiana facinoroſi, luxurioſi, ebrioſi, mimi, Hiſtriones, hoc genus omne in terram ſanctam, tanquam in ſentinã quandam confluxerat, [b] eamq; obſcœnis moribus & actibus inquinabat. Ipſius quoque terræ noui indigenæ, quos [c] Pullanos vocabant: Saracenorum infecti vicinia, non multùm ab eis, vel fide, vel moribus diſcrepabant, atque inter Chriſtianos, & Saracenos tanquam quidam neutri eſſe videbantur. Sic ergo terra Domini noſtris temporibus ab aduenis ſimul & indigenis iñquinata, & vtroſque tandem iudicio Dei euomuit, & nunc tolerat gentem immundiſſimam Agarenos vſque ad tempus, procul dubio &

a *tempore Apoſt. vide Actor.* 11.

b *non habebat Colõ ſtud.*

c] *ſpectatis hos molles depictos in Orient. hiſtor. Iacob. Vitri. c.* 73.

hos deuoratura cum Deus voluerit. Sanè a Christianis recepta est sub Papatu Vrbani secundi, & recidit in manus Agarenorum, sub Pontificatu Vrbani tertij, LXXXVII. (vt dictum est) annis interlapsis. Quomodo autem hoc cõtigerit, pleniùs exponendum est: non quidem propter præsentes, quia res recentissimæ memoriæ est, & satis nota omnibus: sed vt ad posteros insignium malorum nostri temporis non superflua notitia, styli nostri ministerio transmittatur.

De Guidone Rege Ierosolymorum.

CAP. XVI.

NOVENNIS ergo puer, post auunculum in regno Ierosolymorum vnctus in Regem, paulò post rapitur ex hac vita, infectus vt putatur, arte venenata tutoris proprij, Comitis scilicet Tripolitani. Qui nimirum, cum esset vir magnus & potens, & propinquus Regum priorum, aspirabat

ad Regnum; quod ſcilicet ſublato, quẽ nutriebat, puero facilè ſibi ceſſurum ſperabat. Verùm Patriarcha & pars Optimatum terræ, cum militia templi & hoſpitalis. matri extincti pueri, filiæ ſcilicet illuſtriſſimi Regis Amalrici, tanquam propinquiori & iuſtiori hæredi regnum dedêrunt, indignũ tamen matrimonium eius cauſati. Nam tempore fratris Regis, voto proprio ſecundas contraxerat nuptias, cum homine peregrino, Guidone ſcilicet quodam Pictauienſi, qui a facie Regis Anglorum Hẽrici ſecundi, de Aquitania fugerat, & Regi Ieroſolymorum egregiè militabat. Illa verò munitionibus vrbibuſque potita: Templariis cum Patriarcha annitentibus, viro proprio, diadema Regium tradidit. Vnde ſupra modum indignati ſunt Optimates, nec æquanimiter pati potuêre hominem peregrinum, & qui non eſſet de ſtirpe Regum, leuari ſupra capita ſua; cum de ſemine regio ſuppeterent, a quibus regnum (vt credebant) decentiùs & magnificentiùs regeretur. Eorum quidem plurimi diſſimulata pauidè, vel callidè ira, pro tempore ſiluêre, & Principi extraordinario

ſpecie tenus paruêre: ſub exſpectatione apti temporis, quo a ſuis ceruicibus iugum eius excuterent. Verùm Comes Tripolitanus, quem ira fortior ſtimulabat, propriis vel viribus, vel artibus fretus, manifeſtè obſtitit, & iugum eius, vel fictè ſuſcipere cum cæteris recuſauit. Cúmque a regia potentia impeteretur fortiter, & ſubdi cogeretur, propter virium inſufficientiam propriarum, implorauit, & facile impetrauit auxilium Saladini: callidè inter partes fouendo diſcordias, vireis frangere molientis Chriſtianas. Mox menſe Maio a parte Tyberiadis, quam ipſe tunc poſsidebat, immiſit Turcorũ copias finibus Chriſtianis. Qui cõgreſsi cum quadam parte militię Templi: facta noſtrorum ſtragenon modica, onuſti ſpoliis victores abiêre. Verùm multò poſt idem Comes ſimulatam, vt poſtea claruit, amicis mediantibus cum Rege pacem fecit. Nam & ipſe, & fere vniuerſi terræ Optimates ex multa indignatione occultum cum Saladino fœdus percuſſerant, cui etiam (vt dictum eſt) pacti fuerant: quod Regem Chriſtianum in manus eius traderent, quibus ipſe viciſsim, [a] pactus

[a] v. *pactus eſt, vt.*

esse dicitur, quod hoc facto nõ inquietaret eos, quo minùs liberam regni Ieroſolymitani diſpoſitionem haberent. [a] Percuſſerant planè fœdus cũ morte, & cum inferno fecerãt pactum, per hoc putantes flagellum [b] inundans, cũ tranſiret per cæteros, ſuper ſe non vẽturum. Verùm cõſequentia docuerunt, ſacram illam in eis egregie Prophetiam impletam. [c] *Delebitur fœdus noſtrum cum morte, & pactum noſtrum cum inferno ſtabit: flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem, & ſola vexatio dabit intellectum.*

[a] *accomodauit Eſai. verba de Iudæis, c. 27.*

[b] *repuſui inundans, & hîc & inferiùs.*

[c] *Eſai ſup. ſed interciſis aliquot voculis productus.*

De prælio, quo periit exercitus Chriſtianus, & quomodo captus eſt Rex cum ſancta cruce.

Cap. XVII.

IGITVR Saladinus cum LXXX. vt fertur milibus equitum, & eò ampliùs ſolito fiducialiùs fineis Chriſtianos ingreſſus, ciuitatẽ Tyberiadẽ mox irrupit, & munitionem Caſtri, quo ſe

domina loci cum militibus paucis receperat, oppugnauit. Quibus Rex cognitis, cum ſumma celeritate Chriſtianum vndecũque cõtraxit exercitum. Et quidem Reges priores proceſſuri ad prælium, vrbibus & Caſtellis ſufficientia munimina relinquebant; ne ſcilicet regnum ancipiti periculo exponerent, ſi eius oſſa medullis propriis, id eſt Vrbes & Caſtella neceſſariis præſidiis vacuarent. Inde eſt quod cum ſæpius fuerint ab hoſtibus prælio ſuperati: nunquam tamen vſque ad regni exterminium periclitati fuiſſe noſcuntur. Rex autem ad Chriſtiani regni excidium inſtitutus a fœmina, ne ab hoc tam grandi malo eſſet innocens fœmina, fortiſſimo præcepit edicto, vt omnis populus quaſivir vnus egrederetur ad prælium, in tantũ, vt executores a Rege directi, cum [a] ſanis ægros tãquam ad abſterrendum numero Saladinum exire compellerent. Itaque egreſsi omnibus ad victimam magis quàm ad pugnam, cum pauci lãguidiſsimi, cũ mulieribus & paruulis in vrbibus remanerent: ad vnius prælij euentum, totum præclarum illud regnũ Ieroſolymitanum pendebat. Comes

[a] *tam ſanos quàm ægros.*

autem Tripolitanus, cum esset exercitui Christiano præuius, tanquam gnarus locorum duxit eum de industria (vt creditur) in locum saxosum, tantasque angustias, vt mox periclitari inciperet. Cumque hostes ita coartatis vndique immínerent, de Procerum consilio statuit Rex quocunque modo erumpere, & prælio cum hostibus decertare. Primis ergo ictibus militiæ Templi concessis, exercitum, prout oportuit, per turmas ad prælium ordinauit. Templarij vero robustissimo in hostem impetu procurrentes, [a] primarum hostiliũ turmarum densitatem rupêrunt, & earum vel stragem, vel fugam fecêrũt. Verùm tunc demum nostrorum nephãda proditio, & nefaria cum hoste collusio claruit. Comes enim Tripolitanus, cæteriquè Optimates, cum turmis suis spreta dispositione regia: præclaram illã Templi militiam, hosteis fortiter proterentem, dum non sequerentur, periclitari fecêre, atque ita Templarij concertissimis hostium cuneis nullo sequente immersi: illico vel victima, vel præda fuêre. Cumque exercitus noster in loco inaquoso æstu & siti deficeret: de castris

[a] *v.c. primariam.*

a in c. additur nostris.

[a] sex sceleratissimi milites ad Saladinũ transfugêrent, & abiurata lege Christiana nostrorum mysteria prodiderũt. Quib. agnitis Saladinus nostros, quos locorum magis expugnabat malitia, modis omnibus censuit impetendos. Qui cum pæne vsque ad internecionẽ cæderentur, Rex tandem fugã arripuit. Quem Tokedinus Saladini nepos, persequẽs cum cruce ligni dominici comprehendit. Cæsus est vel captiuatus fere totus exercitus Christianus, paucis fuga elapsis. Milites templi & hospitalis, quos in campo non vorauerat gladius, ab aliis segregatos captiuis, Saladinus coram se [b] decollari præcepit, atque hac exoptatissima voluptate proprios pauit aspectus. In Reginaldum quoque de Castellione, virum Christianissimum, & tam armorum gloria, quam animi nobilitate celeberrimum, qui Principatum olim Antiochenũ strenue [c] administrauit, & tunc finib. in Arabia Christianis egregiè præsidebat, odium proprium tyranus declarauit: quem scilicet ferocissimè interrogatum, & constantissimè, prout tantum decebat virum, respondentẽ, manu propria trucidauit,

b Iacob. Vitria c. 96. hist. Oriẽt. subscribit & Ioan Frasquet. in Chron.

c administrauerat.

voluptati suæ plurimum æstimans deperire, si alius etiam coram se tam pretiosum effunderet sanguinem. Comes auem Tripolitanus cum suis complicibus fugite prælio; Turcis eos (vt dicitur) nec attingere curantibus.

Quomodo Saladinus occupauit terram promissionis cum sancta ciuitate.

Cap. XVIII.

CVM ergo victor exercitus cædibus satiatus post bellum ad prædam conuersus ingentia peremptæ vel captiuæ multitudinis spolia diripuisset, tyrānus cruentissimus cum omnibus copiis florentissimam ciuitatem [a] Ptolemaida, quæ nunc Acra dicitur, adiit, quam præsidiis (vt frustra dictum est) vacuatam & frustra imbelli vel ætati, vel sexui creditam, illico obtinens: noua ex cædium satietate clementia inuentam in ea multitudinem illæsam abire premisit.

[a] *Ptolemais, nunc Acra dicta.*

Tunc conuersus ad reliquas vrbeis & oppida: omne robur terræ Ieroſolymitanæ, præter ipſam ſanctam ciuitatem, & Tyrum, & Aſcalonam minimo & incruento negotio in poteſtatem redegit. Nam quoniam vniuerſa vrbium & caſtellorū præſidia vnius belli caſus abraſerat: in obtinendis præclaris, & ſola fame expugnabilib. Chriſtianorum munitionibus, nulla ſe fortunatiſsimo tyranno difficultas oppoſuit. Sanctam quoque ciuitatem idem furoris diuini Malleus adiit. Patriarcham, & populum metu languidum ad deditionem coegit, vita & libertate indulta, vt titulo ſe clementiæ inſigniret: armis & pecuniis nudatos dimiſit. Ciuitatem pompaticè ingreſſus: eccleſias ſpoliatas profanauit, formam vexilli dominici ludibriō habitam & fuſtigatam confregit: templum verò Domini, quod & ipſis Saracenis ſemper venerabile fuerat, ſolemniter aqua roſea, tanquam Chriſtianis ſordibus expians: ſacrilegis ritibus dicauit. Sepulchri verò dominici aliquātulam reuerentiam habuit, quod omni quidem aureo vel argenteo ornatu ſublato, Syros illius terræ indigenas Chriſtia-

Vide notas.

Christianos custodire præcepit, edictũ adiiciens, Ne quis alienus irreuerenter accederet. Debilium quoque in famosissimo illo hospitali Sancti Ioannis decumbentium, siue humanitus, siue pro gloria misericordiam habuit: eorumque donec, vel morerẽtur, vel conualescerent, curam haberi voluit: quibusdã ex fratribus hospitalariis hanc operam securiè & liberè committens. Hæc Ierosolymis prouenisse noscuntur a diro illo prælio, quo populus Christianus interiit, tribus fere mensibus elapsis. Quippe [a] infra octauas beatorum Petri & Pauli Apostolorum factum est illud Christianæ plebis excidium: & circa solemnia beati Archangeli Michaëlis facta est deditio sãctę ciuitatis. Ascalona quoque vrbs nobilis, in quam post prælium, propter excellentem eius firmitatem multi confluxerant: & armorum siue victualiũ copiam frustra congesserant, potestatem tyrannicam non euasit: quam scilicet infelicissimus ille Rex Ierosolymorum, qui captus in prælio fuerat, pro sua liberatione resignauit. Iámque sola vrbium Palestinæ vrbs insignis Tyrus dominationem aspernа-

[a] *Iacob. Vitriac. c. 96. hist. Orient. in festo Translationis S. Martini: sed paria sunt. Hic enim dies continꝑit intra Octauas Apostol.*

batur hoſtilē: olim aſſueta ſummis Regibus. Nam vt produnt hiſtoriæ: antiquum illum fortiſsimumque Regem Nabuchodonoſor priùs, & poſtea Magnum illum Alexandrum multo labore [a] exercuit. Quæ nimirum ea facilitate, qua vrbes cæteræ in manus incidiſſet hoſtiles: niſi cæleſtis quædam prouiſio intentioni tyrannicæ obuiaſſet, iuxta illud [b] Eſaiæ: *Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & dicatur, ne diſsipes illud, quoniam benedictio eſt: ſic faciam propter ſeruos meos, & non diſperdam totum.* Planè Dominus propter ſeruos ſuos, vt ſcilicet Chriſtianis in terram illam venturis aptum non deeſſet receptaculum: totum, licèt & hoc excreſcentia temporis noſtri peccata exigerent, diſsipare vel diſperdere noluit, ſed vrbem hanc tanquam granum botri modicum pro benedictione non modica Chriſtianis ſeruauit. Modū autem, quo ſeruata eſt, Chriſto propicio ſatis notum præſentibus, noſtra propter poſteros non debet narratio præterire.

[a] *quam tamen cepit, teſtib. Progo Pom. apud Iuſti. l. 11. & Arria. l. 11.*

[b] *c. 65.*

Quomodo Conradus Marchio muniuit Tyrum, & de interitu Comitis Tripolitani.

CAP. XIX.

MARCHIO ergo de monte Ferrato, vir inter primos Romani Imperij magnus & potens: Ieroſolymam orandi ſtudio venerat, terra poſſeſsionis proprio filio Conrado commiſſa. Cũque ibidem pia deuotione per multos dies conſiſteret, & Omnipotendi Deo in defenſione terræ propriis ſumptibus miniſtraret: in bello, quo eadem terra tradita eſt in manus [a] Impij, cum aliis nobilibus captus eſt ab Agarenis. Ipſo tempore memoratus Marchio iunior, & ipſe oraturus, patrique aſtiturus: cum agmine virorum fortium Ieroſolymam properabat. Factum eſt autem die tertia poſt captam Ptolemaidem, vbi naues Chriſtianæ applicare conſueuerant, vt idem Marchio cum ſuis appropinquàns: ex alto pe-

[a] *antea quidẽ ſcriptum erat imperij: ſed & ms. auctoritas, & rei ſeries poſtularũt, vt poneretur Impij, ſciliceꝫ Saladini.*

lago immutatam aduerteret, & cautè notaret faciem ciuitatis. Nã nec Christiana insignia, quæ mox abominatio hostilis abstulerat, ex templorum vel turrium fastigiis procul aspicientibus refulgebãt: nec campanæ, (vti mos fuerat) peregrinis portui apropinquantibus, concrepabant. Vnde intellexit vir prudẽs eandem ciuitatem in manus incidisse hostiles. Flexo ergo cursu Tyrũ adiens ibidem applicuit: inuenitque omneis Tyrios, mœstitudine atque formidine ita attonitos, vt animis labefactis, tyranno mox affuturo, exemplo Ptolomaïdẽsium ciuitatem tradere cogitarent. Verùm ad tanti hospitis ingressum: resumpto aliquantulùm spiritu, cum miserabilem Christianorum cladem indicassent: eius tanquam ad tantillarum reliquiarum diuinitus directi solatium, salubri se consilio crediderunt. Ille verò, cum esset prudens atque magnanimus: omneis a minimo vsque ad maximum sacramento astrinxit, quod ei omnium curam gerenti fideliter parerent in omnibus, sapienter allegans, nihil agi posse, nisi sub Principe vno, & prouisore, cuncti essent

vnanimes. Quo facto: ciuitatem, cooperantibus omnibus, ſolicitè muniebat. Sequenti die Comes Tripolitanus, & Reginaldus Sydonius aduenientes, cum fuiſſent intra mœnia cum paucis admiſſi; & fruſtra vel ſollicitare populum, vel arcem præoccupare niterentur: maturè deprehenſi, ægrè effugerunt, ſuorum aliquot in vrbe relictis, quos Zelus Marchionis, tanquã Chriſtiani nominis manifeſtos proditores ſuſpenſio damnauit. Cum autem memoratus Comes, & complices eius viderent Saladinum rupta fide pactorum Ieroſolymitano regno incumbere; idque expulſis indigenis, populo proprio diuidere in poſſeſſionem: tunc demum vexatione dante intellectum, intelligere potuêre, [a] fœdus quod cum morte percuſſerant, iudicio Dei deletum: & pactum, quod cum inferno fecerant, eadem iudicij [b] ſeueritate non ſtare: ſéque flagello inundanti & tranſeunti iuſtè fieri in conculcationem. Idem ergo Comes ſeram agens pœnitentiam, ad vrbem propriam eſt reuerſus; & ex doloris vehementia in amentiam verſus horrenda morte defecit.

[a] *verba sũt Eſai. lepidè appoſita.*

[b] *v. c. ſecuritate.*

Complices quoque eius (vt dicitur) nõ morbus aut senium: sed confusionis & doloris intolerantia, de terra quam prodiderant, in breui erasit. Ciues autem Tripolitani matura propter dies malos deliberatione Boamundum Antiocheni Principis filium laudatę fortitudinis, & prudentiæ iuuenem, Dominum sibi delegerunt: sub cuius regimine Tripolitana regio remissiùs noscitur infestata a Turcis. Dicitur enim & creditur Saladinus cum aliàs totis viribus debaccatus sit: Tripoli & finibus eius peperciſſe, propter iusiurandum, quod fuerat inter ipsum, & Comitem Tripolitanum.

De obsidione Tyri, & captiui Regis reditu.

Cap. XX.

Erosolyma ergo ceteríſque vrbibus, præter Tyrum celeri deditione receptis: Saladinus eandem vrbem sub Conrado Marchione fiducia-

liter agentem obsedit. Quæ nimirum iuxta fidem historiarum veterum olim insula, nunc autem Alexandri Magni arte simul & opere continens, tota fere mari ambitur, portu gaudens tutissimo. Quapropter tyrānus, ne mare peruium esset obsessis, classe circa vrbem dispositis modis eam omnibus, qua parte maris non prætendit obicem, studuit oppugnare. Marchio verò & sui, cauentes, ne fortè Italicarum nauium, quibus a Sicilia & Apulia vrbi subsidia inferebantur, interciperetur commeatus: præparatis opportunè nauib. quas in proprio portu habebant, nauali prælio statuerunt cum hostili classe confligere. Quod & factum est Deo propicio, & cæsa vel submersa multitudine hostiū: [a] naues nonnullas ceperunt. Cęteri verò spectante Saladino, naueis, vt euaderent, littoribus allisērunt. Quo casu ita est consternatus: vt incensis machinis, & soluta obsidione discederet, nihil vlteriùs contra eandem vrbem ausurus. In fineis mox Antiochenos debachantem conuertens tyrannidem, Principem Christianum in tantum attenuauit atque fregit, vt capta Loadicea re-

a *Iacob. Vitria c. 97. hist. Oriēt. scribit multas naues Saladini succensas à Marchione*

liquisque vrbibus iuris eius: taram illi possessionē extra muros Antiochenos relinqueret. Ipsam quoque maximā ciuitatem ita coartauit, vt ab exteritis ciuibus pactum extorqueret, quod ad diem certum vrbem resignarēt, nisi forte maior ex Europa exercitus subueniēs id fieri prohiberet. [a] Porro nostri apud Tyrum sub Marchione prosperabātur, & roborabantur indies confluentibus ad eos plurimis Christianis Transmarinis. Rex quoque Siciliæ competēs illis subsidium direxit. Vnde factum est plerunque, vt ad prædam longiùs excurrerent, rebusque fortiter & prosperè gestis, onusti manubiis remearent. & cum forte in præda captiuus insignior Marchioni obtigisset, eūdem laudabili prouidentia patre mutauit, qui (vt dictum est) captus in prælio maximo infeliciter apud hostes viuebat. Rex verò Ierosolymorum, modo superiùs memorato, de captiuitate reuersus: nostris impedimento magis quàm solatio fuit. Cum enim Tyrum, tanquam ius Regium a Marchione reposceret, & Marchio vrbem, tanquam ab ipso, æque vt cætera, hostib. expositam, a se autē cum

a *eadem eodem seculo retulit monachus Altisiodor in Chron.*

multo labore seruatam, modis illi omnibus denegaret, secessit Tripolim, & aggregatis sibi plurimis, Marchioni erat infestus. Illis itaque hoc modo disceptantibus; & aliis quidem pro isto, & aliis pro illo æmulantibus, res Christianæ in Syria minùs procedebant. In qua re aduertere est, quàm subtili astutia Saladinus, immo in Saladino diabolus eundem Regem, qui ab initio totius turbinis & cladis occasio fuerat; de captiuitate emiserit; Christianis, procul dubio sub specie recti, profectibus opponendum. Quod cum in illa disceptatione ex parte claruerit, in his certè quę consecuta noscuntur, magis claruit.

De morte Vrbani Papæ, & institutione Gregorij.

Cap. XXI.

DVm in Oriente circa populum Christianum talia gererentur, Vrbanus Papa Romanus extremæ sorti subiacuit, & successit ei ve-

nerabilis Albertus, eiusdem [a] Cancellarius, dictusq; est Gregorius, [b] vir planè & sapientia & vitæ synceritate conspicuus, æmulationem Dei habens in omnibus secundum scientiam, & superstitiosarum consuetudinum, quarum in ecclesia per quorundam rusticam simplicitatem citra scripturarum auctoritatem multitudo inoleuit, reprehensor acerrimus, vnde a quibusdam minus discretis putatus est per nimiam abstinentiam cerebro delirare. Sanè cum in Oriente illud Christianæ plebis exterminium, atque irruptio sanctæ ciuitatis sub Pontificatu Vrbani contigerint, eidem tamen datum est, tantæ infelicitatis fama minimè sauciari. Rerum quippe infra octauas Apostolorum Petri & Pauli, infeliciter gestarum nuntij circa festiuitatem beati Lucæ Eunngelistæ ad Apostolicam sedem venerunt, Vrbano paulò ante ex hac luce subtracto, & maturè substituto Gregorio. Qui venerabilis Pontifex, tristi nuntio perculsus ingemuit, & vi doloris anxius, tam enormem Christiani nominis iacturam inconsolabiliter deplorauit. Aliquod tamen reme-

a *v. c. inserit sedis.*

b *ijsdē pingitur coloribus a Monacho Altisiodo. Iacob. Vitri. cap. 99. Orient histor. Ioan. Fraſque. in Chron.*

dium adhibere,& tanto malo,ne latiùs serperet, pia prouisione occurrere satagens, hanc illico in orbem Christianũ direxit epistolam.

---

[a] *Epistola Gregorij Papæ.*

[a] *hic quidẽ v. c. habet capitis alterius distinctionem: at vt sup c.12 vbi refertur Lucij bulla, nõ est facta discreptio sic nec hic facienda fuit.*

GREGORIVS, seruus seruorũ Dei, Vniuersis Christi fidelibus ad quos litteræ istæ peruenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem. Audita tremendi seueritate iudicij, quam super terram Ierosolymitanam diuina manus exercuit, tanto sumus nos, & fratres nostri horrore confusi, tantis afflicti doloribus, vt non facilè nobis occurreret, quid dicere aut facere deberemus, nisi quod Psalmista deplorat,& dicit: [a] *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.* Ex occasione quippe dissensionis, quæ suggestione Diaboli facta est, nuper in terra accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad parteis illas, & occurrentibus Rege & episcopis Templariis, & hospitalariis baronibus, & mili-

[b] *Psal. 78.*

tibus cum populo terræ, & Cruce dominica; per quam ex memoria & fide passionis Christi qui pependit, & genus humanum in ea redemit, certum sibi contra Paganorum incursus solebat ēsse tutamen. Facta est congressio inter eos, & superata parte nostrorum, capta est crux dominica; trucidati Episcopi, captus est Rex, & vniuersi ferè aut cæsi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi: ita vt pauciſſimi per fugam dicantur elapsi. Ipsi quoque Templarij & hospitalarij in eiusdem sunt oculis decollati. Nos autem licèt cum Prophe-
Hierem. 9. ta dicere habeamus; *Quis det oculis meis fontem lachrymārum: & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* non tamen adeo nos deijcere debemus, vt in diffidentiam decidamus, & credamus, Deum ita populo suo iratum, vt quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus, non citò per misericordiam pœnitentia placatus alleuet, & post lachrymationem, exsultationem inducat. Quisquis sanè in tāta lugendi materia non luget, non tantùm fidei Christianæ, sed ipsius etiam humanitatis videtur oblitus; cum ex

ipsa periculi magnitudine, & feritate barbarica Christianorum sanguinem sitiente, ac totam suam in hoc ponente virtutem, vt prophanet sancta, & cultũ Dei auferat de terra, quod nos tacemus, discretus quisq; valeat æstimare. Sanè cum priùs, ac postmodum Apostoli laborauerint, vt diuinus cultus esset in terra illa, & ad omnia climata mundi ex ea diffluere t; immo, quod maximũ & ineffabile est, Deus, qui ibi voluit salutem operari, per se ipsum ad hoc dignatus sit laborare, nec lingua dicere, nec sensus cogitare potest, quantùm nobis & vniuerso populo [a] dolendum sit, quod nunc id perpessa est terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quod ex iniustitia ferientis iudicis, sed iniquitate potius populi delinquentis ista prouenêrunt. Terra illa deuorauit habitatores suos, & nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis diuinę potuit retinere. Porro in tanta contritione terræ illius, non solum peccatum habitatorum eius, sed & nostrum, & totius populi Christiani debemus attendere, ac vereri, ne quod reli-

[a] *v. c. adiũgit, Christiano.*

quum est terræ illius depereat, & in alias etiam potestas infidelium desæuiat regiones; cum ex omnibus partibus inter Reges & Principes, ciuitates & ciuitates, dissensiones audiamus & scandala, & cum Propheta dicere valeamus.

a Osee. 4. [a] *Non est Veritas, non est scientia Dei in terra: furtum & mendacium, & homicidium, & adulterium inundauêrunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Cogitate itaque filij, qualiter transeant vniuersa, & pariter transeatis & vos: & date vestra, & date quoque vos ipsos, non in exterminium, sed in conseruationem ei, a quo & vos & vestra omnia recepistis; nec dicimus dimittite, sed [b] præmittite in cælestе horreum quæ habetis: & reponite apud eum, [c] apud quem ærugo non demolitur, aut tinea, nec fures effodiunt aut furantur, laborantes ad recuperationem terræ illius: in qua pro salute nostra, [d] veritas de terra orta est, & sustinere pro nobis patibulum crucis no despexit. Et exemplo vestro alios exhortamini, vt ad ponendas pro fratribus animas confortentur: & a vobis addiscant, qualiter in obsequium creatoris sui & personas & substantias

b *malè ante hac permittite.*

c *Matth. 6*

d *Psal. 84.*

ſuas impendant, recolentes non eſſe nouum quod terra illa iudicio diuino percutitur; ſed nec eſſe inſolitum, vt flagellata & caſtigata miſericordiam conſequatur. Poterat quidem Dominus ſola eam voluntate ſeruare, ſed non habemus ei dicere cur ita fecerit. Voluit enim forſitan experiri, & in notitiam ducere aliorum, ſi aliquis ſit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum ſibi tempus pœnitentiæ hilariter amplectatur, & animam ponendo pro fratribus, conſummetur in breui & compleat tempora multa. Eis autem, qui corde contrito & humiliato ſpiritu laborem itineris huius aſſumpſerint, & in pœnitentia peccatorum, & fide recta deceſſerint; plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam pollicemur æternam. Siue autem ſuperuixerint, ſiue mortui fuerint, de omnibus peccatis ſuis, de quibus rectam confeſſionẽ fecerint, impoſitæ ſatisfactionis relaxationem de Omnipotentis Dei miſericordia, & Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, & noſtra ſe nouerint habituros. [a] Bona quoque, [b] ex quo crucem acceperint, cũ ſuis famulis ſub

[a] *v. c.* Deno, *ſed viioſe.*

[b] *v. c. addit ipſorum.*

ſanctæ Romanæ eccleſiæ, nec non Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, atque aliorum Prælatorum Eccleſiæ protectione conſiſtant; & nullam de his, quæ in ſuſceptione [a] crucis quietè poſſederunt, donec de ipſorum reditu vel obitu certiſſimè cognoſcatur, [b] ſuſtineant quæſtionem; ſed bona eorum integra interim maneant & quieta. Ad dandas quoque vſuras, ſi tenentur alicui, reddere non cogantur. Nec eant in veſtibus pretioſis & cum canibus ſiue auibus aut aliis quæ oſtentationi potius aut laſciuiæ, quàm neceſſariis videantur vſibus deſeruire, ſed modeſto apparatu & habitu, in quo pœnitentiam potius agere, quam inanem affectare gloriam videantur. [c] Data Ferentini IIII. Cal. Nouembris.

a v. c. addit ſanctæ.

b v. c. addit, &.

c harum literarū meminit nominatim Abbas Vſperg. in Chron.

De

De transitu Gregorij Papæ.

Cap. XXII.

HAc igitur Epistola in orbẽ directa, idem reuerendus Pontifex, piæ sollicitudinis instinctu Pisas contendit. Pisanos & Ianuenses iugi, & inueterata discordia dissidentes, Deo auctore reconciliaturus, vel ferales illas inimicitias protensioribus saltem induciis suspensurus; vt sublatis, vel ad tẽpus sepositis studiis partium, vterque populus (quorum & opes amplissimæ, & vires erant terra marique ingentes) in Christianæ expeditionis cómuniter accingeretur negotium. Pisas quoque ingressus primos Ianuensium euocauit, & secundùm datam sibi sapientiam, cooperante Pontificali reuerentia feroces hinc inde animos sedare curauit. Cumque per religiosam illius operam opus pacis procederet; iamque arripiẽdi melioris propositi meditatione inueteratæ illæ ferocium populo-

rum langueſcerent ſimultates, febre correptus poſt dies pauciſſimos apud Piſas valedixit huic mundo, bonis paſtoribus, vt de tali viro credi fas eſt, ſociandus in cælo. Cui ſucceſſit Clemens, ibidem, electus & inthronizatus, qui iacta [a] ſemina pio ſtudio fouit & ad fructum perduxit.

a v.c. addit pacis.

Quomodo Reges crucem acceperunt cum nobilibus plurimis.

Cap. XXIII.

SANE triſtis ille rumor rerum in Oriente malè geſtarum, orbem [b] peruagatus, omnium quidem Chriſtianorum cordibus ſtuporem & horrorem inuexit; multorum autem idipſum tanquam præclara quædam exercendæ virtutis occaſio ad æmulandum animos erexit. Ex quibus Richardus Comes Pictauenſis Regis Anglorum filius, & ſucceſſor futurus, nuntium fortè huiuſmodi inclinato iam die

b v.c. interſcribit, in breui.

accipiens, absque vlla deliberatione laudabile propositum toto mox pectore combibit; & summo, vt dicitur, mane in argumentum futuræ peregrinationis & expeditionis, characterem dominicum solemniter accepit. Quo audito pater siluit vsque ad filij aduentum. Et cum adesset, post dies aliquot; me inquit, inconsultò rem tam arduam arripere [a] debuisti? pio tamen propositio tuo nequaquam aduersabor, sed ita illud prosequar vt a te egregiè impleatur. Erat autem tempus hiemale, & nullus adhuc magnorum Principum signum Domini acceperat; sed omnes circa hæc ancipites fluctuabant, cum tamen adhuc diuini timoris stimulos assiduè paterentur. Tandem verò Archiepiscopus Tyrius a partibus veniens Orientis; & duriora nuntians; tam præsentes, quàm etiam imminentes Orientalis ecclesiæ miserias ita in auribus publicis deplorauit, vt duo magni Reges Frãcorum, & Anglorum tractandi gratia quidnam facerent, terræ Ierosolymitanæ ab hostibus liberandæ, [b] in terrarum suarum confinijs cum Episcopis, & Procerum suo-

[a] v. c. *præponit non.*

[b] v. c. *addit ad solemne colloquium.*

rum frequentia conuenirent. Et quidem paulò antè, vti superiùs expositum est, hostiliter discordauerant, nec finierant inimicitias, sed induciis ad tempus suspenderant. Verùm in illo colloquio, dum religiosa intentione non sua, sed quæ Christi sunt quærerent, nulla vel admodum languida pristini rancoris irrepsit memoria: sed omni propter Christum simultate, & quæstione ita [a] sopita, vt sepultam crederes, paribus votis & studiis Christiano negotio intenderunt. Itaque in multo deuotionis feruore surgentes, signum Regis Regum in eius mox militiam accingendi per manum memorati Archiepiscopi accepêrunt, & non tantum sua, sed etiam seipsos eidem [b] claræ militiæ deuouerunt. Quorum exemplum Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, & [c] Comes Campaniæ, cum aliis quàm pluribus vtriusque regni nobilibus atque ingenti virorum militarium numero, hilari deuotione amplexi, ipsi quoque signo Domini proprios insignire humeros, seq; pro ipso laboribus periculisque exponere glorioſum duxerunt. Statuto mox tempore, quo iter arriperent, ad

a *v.c. consopita.*

b *v.c. præclaræ.*

c *v.c. Senes challus.*

necessariam prouisionem & præparationem tãti itineris atq; negotij de cõmuni consilio ista sanxerunt, & redacta in [a] scriptis, Episcopis per omneis vtriusq; regni prouincias direxerunt.

[a] *v. e. scriptis. Episcoporum.*

---

[b] *Statuta Regum in susceptione Crucis.*

[b] *v. e. hic nouam habet inscriptionem capitis.*

AD audientiam Romanę ecclesiæ, totiusque Christianitatis peruenit rumor ille miserabilis de destructione terræ Ierosolymitanæ, & captione dominicæ crucis. Vnde dominus Papa & ecclesia Romana volẽs huic miseriæ [c] subuenire; optimum remedium omnibus qui crucem acceperint, de consueta sedis Apostolicæ clementia ordinauit, videlicet quod a die, qua quislibet crucem acceperit, totius pœnæ sibi iniunctę habebit de peccatis suis, de quibus pœnitens fuerit & confessus, & similiter de oblitis, relaxationem. Ordinante igitur prouidentia Dei, domini Reges Francorum & Anglorum cum immensa multitudine Archiepiscoporum, E-

[c] *v. e. subuenire.*

piſcoporum, Baronum vtriuſque terræ, crucem Domini ſuſceperunt: & de communi conſilio ſtatutum eſt, quod
a 1. conſtit. [a] vnuſquiſq; tam clericus quàm laicus decimam omnium reddituum ſuorum vnius anni, & mobilium ſuorum, quæ nunc poſſidet, excepto Blado iſtius anni, dabit ad ſubuentionem terræ Ieroſolymitanæ; & de Blado futuri anni dabit ſimiliter decimam. Excipiuntur libri & veſtimenta, & veſtes & tota Capella clericorum, & equitaturæ eorum, & ornamenta eccleſiarum, & ſimiliter veſtes, & equi, & armatura militum, &
2. conſtit. lapides pretioſi vtrorumque. Quicunque autem clericus aut laicus crucem acceperit; nihil dabit, & de hominibus terræ ſuæ decimam habebit, exceptis burgenſibus & ruſticis, niſi aſſenſu dominorum ſuorum crucem acceperint. Omnibus ergo hãc decimam legitimè reddentibus de miſericordia Dei confiſi, medietatem ſibi pœnæ iniunctæ cõdonamus, remiſſionem nihilo minus facientes de decimis hucuſque legitimè non datis, & de peccatis oblitis. Si autem de aliquo dubium fuerit, quod legitimam decimam nõ dederit, per ſe-

ptem legales homines de [a] vineto suo veritas inquiretur, & hoc legitimè fieri sub anathematis vinculo præcipietur. Statutum est etiam a dominis Regibus, & ab Archiepiscopis & Episcopis [b] & Baronibus concessum, vt quicunque clericus vel laicus crucem acceperit, si redditus suos [c] antè inuadiauerit, exitus huius anni integrè habeat; & transacto anno creditor redditus rehabeat; ita quòd fructus, quos inde [d] acceperit, in solutionem debiti computentur, vsuris non currentibus super debitis ante crucem contractis, quamdiu debitor in peregrinatione erit. [e] Omnes etiam tam clerici, quàm laici, qui in hac peregrinatione proficiscentur, licitè poterunt inuadiare redditus suos siue ecclesiasticos, siue alios, vsque ad tres annos: ita quod creditores, quicquid de debitoribus contingat, inde securi [f] essent. [g] Sed & omnium eorum, qui in hac peregrinatione decesserint; pecunia sua, quam secum attulerant, ad sustentationem seruientium suorum, & auxilium terræ Ierosolymitanę, & ad sustentationem pauperum, iuxta consilium discretorum virorum, qui ad

a *v.c. vicinis eius.*
3. *constit.*
b *v.c. addit Comitibus.*
c *v.c. non habet.*
d *v.c. perceperit.*
e 4. *constit.*
f *v.c. erunt*
g 5. *constit.*

a v. 1 const. hoc ſtatuentur, diuidetur. [a] Statutum eſt etiam vt nullus enormiter iuret, & quod nullus ad aleas vel ad [b] detios ludat; & quod nullus vario, vel griſo, vel ſabellinis vel eſcarletis vtatur; & quod omnes tam clerici quàm laici duobus [c] ferculis ſint contenti, & quod nullus aliquam mulierem ſecum in peregrinatione ducat, niſi lotricem peditem, de qua nulla ſuſpicio habeatur, & quod nullus habeat pannos deciſos vel laceratos.

b v. c. decies ſed malè.

c v. c. excepto.

De exactione decimarum, & quomodo Imperator cum ſuis crucem accepit.

Cap. XXIIII.

SOLVTO ergo cętu, in quo Reges ſumpto charactere dominico de aſſenſu omnium, qui aderant, Epiſcoporum atque nobilium ita decreuerunt, illuſtris Rex Anglorum in proprium ſub celeritate regnum trāſuectus, celebrem loco opportuno con-

uentum inſtituit; & ea, quæ in partibus placuerant Tranſmarinis, Præſulum & Procerũ Angliæ fauore promptiſſimo roborauit. Tunc Archiepiſcopus Cantuarienſis, Epiſcopi Dunelmenſis & Norvvicenſis, multique nobiles regni regio accenſi exemplo, ſignum ſacrum ſolemniter ſuſceperunt; quidam mera deuotione: quidam verò minùs ſyncerè, id eſt, vel regia iuſſione, vel vt ſe Principi propenſiùs commendarent, iuſſionem eius præueniendam arbitrãtes. Nec non multitudo copioſa clericorum & militum Burgenſium atque ruſticorum: Regis & nobilium in cunctis Angliæ finibus ſequi curauit exemplum, cum in prouinciis eadem fierent Gallicanis. Exigebantur autem decimæ iuxta formam præſcriptam, tantæque peregrinationi ſumptus neceſſarij ſtudio peruigili præparabãtur. Fredericus quoque Imperator Romanus non diu paſſus eſt, memoratis regibus in hac parte, vel indeuotior, vel ſegnior inueniri. Conuocatis itaque primis imperij, ingentis animi propoſitum declarauit: ornanſque ſolemniter ſigno dominicæ humilitatis, imperialis apicem maieſta-

tis: subditis ducibus & gentibus formã efficaciſſimam præbuit. Tantus enim repentè ad ſuſcipiendum pro Chriſto peregrinationẽ periculoſam in magnis Ducibus, ferociſſimis Germaniæ populis fidei & deuotionis feruor incanduit, vt dicere fas eſſet, *digitus Dei eſt* [a] *hoc*. Itaque ferè cunctæ nominis Chriſtiani prouinciæ ad maturandum iter propoſitum, immenſis apparatibus ſtudiiſque feruebant.

a *Sic & v. c, licèt videatur legẽdum hîc: ſic enim habetur Exo. 8. Auctor retulit.*

De rupto fœdere a Rege Francorum, & conſecuta morte Regis Anglorum.

Cap. XXV.

VErvm feruente fidelium deuotione Principum, & populorum, antiqui hoſtis tam bona initia corrũpere geſtiẽtis malitia non quieuit. Cum [b] enim illuſtris Rex Anglorũ in regno proprio quietus conſiſteret: & prout tantum decebat Principem, ad futuram expeditionem modis ſe omni-

b *deeſt in ms.*

bus præpararet; Rex Francorum, neſciovnde ſtimulatus, rupta fide fœderis ſolemniter inter ipſos ſanciti vſque ad reditum vtriuſque a partibus Orientis; & nulla ſigni dominici, quod ſocialiter ſuſceperant, reuerentia habita, ſubito furore excanduit; & caſtrum nobile, quod [a] Rodulphi dicitur, eratque poſſeſſio Regis Anglorum, quorundam (vt dicitur) nequiſſimorum proditione improuiſus vſurpator intrauit. Quo ſucceſſu elatus, mutato vel potiùs exſufflato expeditionis Ieroſolymitanæ propoſito grandiora moliebatur. Quibus celeriter agnitis Rex Anglorum ſuſcepti pij propoſiti gratia mitius agere ſtuduit, & maturè transfretaturus, viros honoratos cum verbis pacificis ad præuaricatorem præmiſit. Verùm ille ad omne blandimentum inflexus, & rigidus, effrenatiore ſuperbia, peſtilentib. cœptis in cubuit. Cumque Rex Anglorum transfretaſſet, bonorum ſtudio virorum ad colloquium ſolemniter [b] venerunt: Rex quidem Anglorum querelam rupri fœderis & illatæ ſibi iniuriæ [c] propoſiturus: Rex verò Francorũ, tanquam de his rationem redditurus. At ſub hac

a *Chaſteau Rous in Dioceſi Bituricenſi.*

b *v.c conuenerunt.*

c *v.c poſiturus.*

quasi fiducia rectitudinis, mysterium operabatur iniquitatis, vti ex eo, quod consecutum est, dedit intelligi. Richardus enim Pictauiensis tunc Comes, Regis Anglorum filius: qui signum Domini (a vt suprà dictum est) priùs acceperat; Francorum, vt creditur, astutia abstractus atque illectus, in ipso solemni Regum colloquio a patre deficiens, ad parteis transiit hostiles. Quo casu consternatus pater, cum causæ malorũ ingraueſcerent, verbis pacificis cũ his qui b oderunt pacem aëre inaniter verberato discessit, nescies pænitus cui se crederet, cum tam infilialem iam filium expertus esset. Illico bellum vtrimque instruitur, sed viribus animisque disparibus. Idem enim Richardus, quem pater ducatui Aquitanico præfecerat, parentem c sibi militiam ad parteis Regis Francorum traduxit. Plurimi quoque potentiũ Normanniæ, & Andegauiæ: siue Britaniæ fide exufflata, manifestè iam a patre deficientes ad filium, in eius gratiam Francorum auxerunt exercitum. Vnde factum est, vt Regi Anglorũ præter stipendiarios parcior assisteret numerus, & ipse quoque circa eum

a *cap. 23. huius libri.*

b *ita quidẽ v c licèt videatur legendum oderant.*

c *v. c. filij.*

mutabundus. Itaque Rex Francorum cum Comite [a] Pictauiensi, & infinitis copiis terram Regis Anglorum nullo obsistente ingressus, ad vrbem Cenomannensem, vbi idem Rex cum suo exercitu morabatur, pertendit, Quo ille cognito, cum & instructu copiarum ad subeundum belli discrimen, se longè imparem cerneret, & obsideri ab hostibus formidaret, incensa vrbe, & multa supellectile abiecta profugit, & quidem in tutiora se loca recepit. Porro exercitus, qui eum sequi videbatur, defluxit. Tunc Ioānes filiorū eius minimus, quē tenerrimè diligebat, recessit ab eo, ne fratribus dissimilis & minùs frater videretur. Hostes autem vrbe Cenomanensi cum arce potiti: vrbem quoque Turonicam cum arce eius procurrente impetu expugnârunt: de obsidenda quoque vrbe Andegauensi consequenter tractantes. Tot malis Rex Anglorum anxius, & maximè ex iunioris filij defectione, animo saucius, quem dum specialiter amplecteretur affectu, eiusque immoderatius promotioni intenderet, seniorem filium irritasse videbatur, vexatione dāte intellectum, manum Do-

[a] *v. c.* Pictacienſe.

mini contra se attendit [a] extentam, eoque auctore ad castigationem malorũ; quæ fecerat, tãtam rerum mutationem repentè circa se factã. Denique ex multa mœstitudine febrem accersiuit, qua inualescẽte: post dies aliquot apud Chinonem vitam finiuit. Hũc finem habuit inclitus ille Rex Hẽricus inter Reges terrarum nominatissimus, & nulli eorum vel amplitudine opum, vel felicitate succesſuum paulò antè secundus. Hostes verò audito eius incommodo, mitiùs agere cœperunt; & maturatis induciis bellũ [b] suspenderunt, cum ecce clarissimi olim syderis occasus nuntiatur. Turbatus nuntio Comes [c] Pictauiensis ingemuit; & ad expiandũ, quod viuenti patri minùs officiosus exstiterat: in officio paterni funeris vel serò se filium cõprobauit. Hostes quoque, qui excellenti gloriæ eius, & virtuti semper inuiderãt, extinctum lamentasse & laudasse dicuntur; omniumque sensib. expositum erat, quanta sit vanitas, atque fallacia gloriæ temporalis, cum illum, qui tantus paulò antè in orbe refulserat, tam miserabilis subitò casus absumpsisset. Corpus eius, prout ipse in extre-

[a] *v.c. executam.*

[b] *v.c. suspenderant.*

[c] *v.c. hic & supra Pictauẽsis,*

mis, pia deuotione dictauerat, ad illud famosum & nobile monasterium fœminarum (quod fons [a] Ebrandi dicitur) deportatum, ibidem præsentibus filiis, atque assistente nobilium multitudine iuxta magnificentiam, sepultum est. Idē namque monasterium celeberrimæ religionis titulo inclytū, specialiter viuus coluerat: & tātis præuenerat beneficiis, vt in eo potissimum iuxta meritum votumque proprium corpori suo locum requietionis, sub exspectatione finalis resurrectionis deberet accipere. Silendum verò non arbitror, quod a quodā venerabili viro audisse memini: asserente se idipsum accepisse a quodā religioso eiusdem monasterij fratre ita narrante. Quædam nostræ congregationis persona laudabilis abundantiorem Regi Anglorum, tanquàm præcipuo monasterij nostri patrono affectū impendēs: pro eius salute Omnipotenti Domino propensiùs supplicabat: cūque desideraret nosse, quæ vel de misericordia, vel de iudicio superni moderatoris eidem essent Regi euentura ante tempus, quo Reges signum dominicum susceperūt, sale a Domino de Rege dilecto in

[a] *v.c. Ebrardi: vide notas ad 100. S. Bernard. Epist. Henrici autem sepultura visitur etiamnum in choro virginum Fōtebraldensium.*

ſomnis reſpõſum accepit. *Signum meum ſuper ſe leuabit, ſed in tormento tormentum portabit:* [a] *iam vterum vxoris ſuæ contra eum intumeſcet, & ad vltimum* [b] *cum velatis velabitur.* Huius nimirum reſponſi veritas declarata eſt in eiuſdem Principis deuotione, qua dominicum ſibi ſignum impoſuit, & in his, quæ hanc eius deuotionem conſecuta ſunt vſque ad eius inter velatas (prout ſuperior narratio patefecit) ſepulturam.

a v. c. nã.
b abeſt a v. c.

De moribus Regis Henrici.

Cap. XXVI.

SANE idem Rex, & pluribus, quæ perſonam ornant regiam fuiſſe noſcitur virtutibus præditus: & quibuſdã nihilominus vitiis obnoxius, quę Chriſtianum Principem plurimum dedecerent. In libidinem pronior coniugalem modum exceſsit, formam quidem in hoc tenens auitã: ſed tamen auo huius intemperantiæ palmam reliquit. Regina pro tempore ſufficienter vſus ad ſobolem

bolem, ea desinente parere: sectando voluptatem, spurios fecit: venationis delicias æquè, vt auus, plus iustò diligẽs: in puniendis tamen positarum pro feris legum transgressoribus auo mitior fuit. Ille enim (vt suo loco dictum est) homicidarum & fericidarum in publicis animaduersionibus nullam vel paruam esse voluit distantiam. Hic autem huiusmodi transgressores carcerali custodia, siue exilio ad tempus coercuit. Gentem perfidam & Christianis inimicam, Iudæos scilicet fœnerantes propter largiora, quæ ex eorum percipiebat fœnerationibus commoda, plus iustò fouit: in tantum, vt in Christianos proterui & ceruicosi existerent, plurimáque eis grauamina irrogarent. In exquirendis pecuniis paulò immoderatior fuit: sed tẽporis sequentis supra modũ excrescens malitia iustificauit eum in hac parte, & decentem modum ab eo innuit esse seruatum: excepto eo, quod vacantes Episcopatus vt prouenientia perciperet cõmoda, diu vacare voluit, & ecclesiasticis potius vsibus applicanda in fiscum redegit. Hoc tamẽ opus minus regium tali excusatione (vt dicitur) tueri nite-

batur. Nõne melius est, vt pecuniæ impendantur necessariis regni negotiis, quam in Episcoporum absumantur deliciis ? Nostri enim temporis Præsules veterum in se formam minimè exprimunt : sed circa officium remissi & languidi, totis mundum brachiis amplectuntur. Hoc dicens, infamem quidem notam nostris Præsulibus inurebat: Ad sui [a] verò defensionem, [b] inanem ratiunculam texebat. Sanè in Ecclesiam Lincolnienſem, quæ ob ampliora commoda vacasse diutius noscitur, grauiùs deliquit. veruntamen ante sui obitus annos aliquot ad hoc ipsum expiãdum delictum : eidem Ecclesiæ religiosi pastoris sollicitudinem studuit prouidere. Clarissimos ex Alienora Regina filios habuit : sed (vt digesta superiùs relatio declarauit) in filiis clarissimis infelicissimus ipse pater fuit. Quod vtique Dei iudicio ex duplicis causæ merito creditur accidisse. Eadẽ quippe regina Regi Francorum olim coniuncta, cum eiusdem pertæsa copulæ, ad illius nuptias [c] adspirasset: causas quæsiuit diuortij: Solutámque a lege prioris viri, in facie Ecclesiæ, quadam (vt ita dicam) illicita licentia, ille mox suo acciuit coniugio.

[a] *v. c. nec.*

[b] *recte. dixit inanẽ: cum aliena iniustitia nõ minuat nostram Angliáque, si tot habuisset Reges, quot Episcopos: his fœlix & præclara: illis, infœlix ignobilisque, parauisset.*

[c] *v. c. aspiraret.*

Vnde factum est Deo subtiliter cuncta librante: vt ex ea in propriam pernicié, præclaram sobolem procrearet. Iustum quoque erat, vt qui filios nimis tenerè diligens, pluribus nocuisse noscitur, dũ filiorum plus iusto promotioni intẽderet: eorum vel in probis [a] moribus, vel immaturis mortib. vapularet. Hoc autem totum accidisse manifestum est, supernii vtique examinis ordinatione pulcherrima. Porro quia nondum (vt credo) satis defleuerat illius infelicissimæ obstinationis rigorem, quem aduersus venerabilem Archiepiscopum Thomã habuerat: tanti Principis tam miserabilem fuisse exitum arbitror: vt dum ei Dominus in hac vita [b] non parceret: in alia illi vita, sicut pium est credere, misericordiam præpararet. Fuit enim in illo regni fastigio tuendæ & fouendæ pacis publicæ studiosissimus: in portando gladio ad vindictam malefactorum, quietem verò bonorum Dei minister multùm idoneus: rerum & libertatum ecclesiasticarum, sicut post mortem eius claruit, defensor & conseruator præcipuus. Pupillorum, viduarum, pauperum, in suis præceptionibus

[a] *v. c. motibus.*

[b] *v. c. addit. pia seueritate. Virtutes Henrici.*

multam curam habuit, & locis pluribus insignes eleemosynas larga manu impendit. Viros religiosos specialiter honorauit: & res eorum æquo, cum suis [a] dominiis, iure conseruari præcepit. [b] Antiquam inhumanam circa naufragos consuetudinem in ipsis regni sui initiis eximia pietate correxit: atque huiusmodi hominibus ab æquoreo discrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcipiens; graues in eos pœnas sanxit, qui fortè illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam vsurpare præsumerent. Nullum graue regno Anglorum, vel terris suis Transmarinis onus vnquam imposuit: vsque ad illam nouissimã decimationẽ, causa expeditionis Ierosolymitanæ, quæ nimirũ decimatio in aliis æquè fiebat regionibus. Tributum more aliorum Principũ sub cuiuslibet necessitatis obtentu ecclesiis siue monasteriis nunquam indixit: quibus etiam ab Angariis & exactionibus publicis religioso studio immunitatem seruauit. Discrimen sanguinis, & mortes hominum exhorrescens, armis quidem cum aliter non potuit: sed libentiùs pecuniis, cum potuit, pacem quærere stu-

a *v.c.* Dominicis.
b *reposuimus ex v.c. pro antequam.*

duit. His aliisqus bonis personam ornans regiam, multis tantum ad sola eius mala oculos habentibus, gratus non fuit. Ingrati homines & conuersi in [a] animum prauum, proprij mala Principis assiduè carpebant: bona verò nec audire sustinebant, quibus vtique sequentis temporis sola vexatio iam dedit intellectum. Quippe præsentiũ malorum experientia, bonorum eius induxit memoriam: atque hominem in diebus suis ferè omnibus tam inuisum, egregium & vtilem fuisse Principem declarauit. Salomonem quoque Regẽ pacificum, qui populum Israëliticum ad summi honoris fastigium, & præclaras diuitias extulit: eidem tamen populo minùs placuisse, verba illa ad filium eius satis insinuant. [b] *Pater tuus aggrauauit iugum nostrum: tu alleuia iugum nostrum, & seruiemus tibi.* Porro quod idem filius cõquerenti populo, puerili leuitate cõminando respondit, scilicet: [c] *minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. Pater meus aggrauauit iugum vestrum: ego addam iugo vestro: Pater meus cæcidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus.* quod inquam ab illo leuiter dictum est: ad

a *v e arcũ: & certè aptiùs: respexit enim Auctor illud Psal. 77. conuersi sunt in arcum prauum.*

b 2. *Paral.* 10. *&* 3. *Reg.* 12.

c *Responsio est eiusdem Roboam filij Salomonis ad Iudeos sup.*

tempora noſtra non leuiter redundat, & noſtris aptiſsime temporibus congruit: & tamen populus inſipiens cum minori nunc querela ſcorpionibus cæditur, quàm ante annos aliquot flagellis cædebatur. Obiit autem illuſtris Rex Anglorum [a] Henricus II. anno regni ſui xxxv. anno, ex quo ſignum Domini ſuſcepit, ſecundo, biennio Chriſtianæ in Oriente debellationis exacto.

a v. c addit. Dux Normannorum, & Aquitanorum, & Comes Andegauenſium.

De laborioſa & moroſa obſidione Acræ.

Cap. XXVII.

SANE cum iuxta digeſtam ſuperiùs narrationem memorati inter ſe Reges contenderent, & fœdus quod cũ Chriſto paulo ante pepigerãt, minùs obſeruarent: licet ille excuſabilis videatur, qui a proſequẽdo pio propoſito nõ voto eſt proprio, ſed vi externa deflexus: Fredericus Imp. Romanus [b] tantæ vecordiæ iure ſuccenſens, eoſdem non exſpectandos cenſuit: ſed filio ſe-

b v. c. contentor diuino Iure.

niori, quem Regem Longobardorum constituerat, imperij cura commissa, cũ filio Sueuorum Duce per Pannonias Thraciasque iter facturus, tempore cõgruo peregrinationem arripuit, ducens secum maximas atque fortissimas Germanicarum gentium copias. De regno quoque Francorũ Iacobus de Aueniis, vir fortis & nobilis cum aliis plurimis, nec non & ex aliis regnis Christianis armata manus [a] non modica, Imperatore Latino propter Græci Imperatoris perfidiam per subditas illi regiones morosè transeunte, liquidi intineris compendio Tyrum venerunt: atque annitente Marchione, qui eidem vrbi pro tẽpore præsidebat, cum Templariis & hospitalariis Ptolemaidẽ (quæ nunc Acra ditur) valido [b] obsederunt exercitu. Et ne vrbem a facie habẽtes, hostilis exercitus impetu a tergo premerentur, vallum sibi firmissimum [c] circũduxerunt. Saladinus verò mox cum infinitis Turcorũ copiis affuit: fixisque circa vallum tentoriis; quoties nostri vrbem impetebant, Turci in vallum impetum faciebant. Vnde factum est, vt cũ summo nostro labore atque periculo diutius obsidio trahe-

[a] *v.c. immodica.*

[b] *v.c. Sultani præsidio obsederunt.*

[c] *v.c. certũ.*

retur, dū & noſtri maris beneficio ſubſidia caperent, & Turci virorum, armorum & ciborum copia vrbem captata flatuum opportunitate munirent. Quomodo autem eadem ciuitas tandem expugnata ſit, poſtquam Chriſtianum exercitum, diu multumque exercuit, quę minimo negotio in manus hoſtiles inciderat, ſuo loco dicetur.

De morte Guillelmi Regis Siciliæ, & de malis quæ per illam contigerunt.

a *hæc absunt a v.c. pro cap 28. antea malè 18.*

CAP. XXVIII.

EODEM tempore aggrauata eſt manus Domini ſuper noſtros in ſummis anguſtiis conſtitutos: præcipuum illis ſubtrahendo patronum, illuſtrem ſcilicet Siciliæ Regem & Apuliæ ducem Guillelmum: cuius vtique religioſa & potenti opera pauperculæ illæ Chriſtianitatis in Syria reliquiæ potiſsimū conſeruatæ noſcuntur. Quas profecto ab initio deſolationis, competentibus ſubſidiis ſubleuare

curauit: cum nec a regnis remotioribus quicquam possent percipere, & Saladini, ob recentem victoriam vehementius excandesceret [a] feritas. Et quidem illius sublatio tolerabilis vtcunque fuisset, nisi post eum exitialis de regni successione altercatio emersisset; qua nimirum regiones clarissimæ ita turbatæ sunt, & desolatæ, vt Christianis in Syria laborantibus nihil posset exinde solatij iuxta morem pristinum ministrari. Huius autem turbationis causa noscitur extitisse: quod idem Rex vxore ducta Regis Anglorum filia, & ex ea [b] sobole non suscepta decessit. Porrò eius consobrina, cui eo mortuo regni competere videbatur hæreditas, Regi Longobardiæ, Teutonici Imperatoris filio nupserat. Verùm [c] Siculi, Apulique Alemannicam execrantes ditionem, virum nobilem de stirpe Regum priorum Tancredum cum fauore sedis Apostolicæ Regem sibi creauêrunt. Vnde motus Rex Longobardiæ bellũ eis indixit; & paulo post patre ex hac vita rapto, vt suo loco dicetur, ad apicem sublimatus imperij, Italicum atque Teutonicum furore implacabili immo-

a v c. *seueritas licèt disiunctis syllabis.*

b *malè in ms. sobriè.*

c v c. *addit quia.*

sit eis exercitum. Qualem autem hæc imperatoria expeditio exitum habuerit : alius exponendi locus erit. Rerum igitur Sicularum, Apularumque tanta turbatio, Christianis in Oriente reliquiis vberrimum consueti fructum præcidit auxilij. Et nostræ quidem historiæ librum hic tertium terminamus, vt in ea quartus cum regno illustris Regis Richardi liber incipiat.

GVILLELMI NEVBRIGENSIS DE REBVS ANGLICIS,

LIBER QVARTVS.

DE PRIMORDIIS REGIS Richardi, & de his, quæ in eius coronatione contigerunt.

Cap. I.

ANNO a plenitudine temporis, quo [a] veritas de terra orta est M. C. LXXXIX. sedi Apostolicę præsidente Clemente, Henrico autem Frederici filio arcem Romani imperij tenente, & Francis imperante Philippo, Richardus illustrissimi Regis Anglorum Henrici II. filius, defuncto patri successit. Hic patre se- [a] *Psal.* 84. 1189.

pulto, hæreditati mox transmarinę incumbens: nobilium simul & plebium solemnibus votis gaudiisque excipitur: rebusque trans mare maturè dispositis, in Angliam, quæ eius cum desideriis præstolabatur aduentum, opportunè transuehitur, cunctis ex eius edicto custodiis per Angliam relaxatis, vt scilicet ad introitum noui Principis esset lętitia generalis. Quippe æstuabant tũc carceres reorum multitudine, sub exspectatione vel discussionis vel supplicij: sed eo regnum ingrediente pestes illæ carcerum per eius clementiam sunt egressæ, confidentiùs fortasse de cætero grassaturæ. Statuto die vnctionis regię, conuenit Lundonias pæne vniuersa regni nobilitas, de partibus quoq; Trãsmarinis copiosa virorum spectabilium multitudo. Richardus igitur primus, solus Regum à seculo ita nominatus, Lundoniis est consecratus [b] à Balduino Cantuariensi Archiepiscopõ, tertio Nonas Septembris, qui dies ex prisca gentili superstitione, malus vel Ægyptiacus dicitur, tanquam quodam Iudaici euentus præsagio. Dies enim ille Iudæis exitialis fuisse dinoscitur, & Ægy-

Ricardus Rex iubet ad primam sui regni visitationem vniuersos dimitti captiuos.

a v.c. addit in Regem, & solemniter coronatus.

vide notas.

ptiacus magis quàm Anglicus ; cum Anglia, in qua sub Rege priore felices & inclyti fuerant, repentè illis in Ægyptum, vbi patres eorum dura perpessi sunt, Dei iudicio verteretur. Res quidē recentis memoriæ est, nulliqueignota præsentium ; sed operæpretium est, pleniori relatu transmittere ad posteros tā perspicuum, circa gentem perfidam & blasphemam, superni iudicij monumētum. Conuenerant ad solemnem Christiani Principis vnctionem ex cunctis Angliæ finibus, non tantùm nobiles Christiani, verum etiam primi Iudæorum. Cauentes enim, idem hostes veritatis, ne fortè habita sub Rege priore felicitas minus eis arrideret sub nouo; eius decentissimè honoranda primordia, & fauorem non disparem amplitudine munerum redimēdum duxêrunt. Verùm illevel minus iam eos acceptans quàm pater, vel nescio quid pręcauens, superstitiosa quadam de consilio quorundam cautela, edicto (vt dicitur) interdixit eis ingressum vel ecclesiæ, dum coronaretur, vel palatij, dum post coronationis solemnia conuiuaretur. Expletis igitur missarum solemniis, Rex

fulgens Diademate, cum Pompa magnifica ad conuiuium intrauit. Contigit autem eo discumbente cũ omni frequentia nobilium, populum circa palatium obbonantem tumultuari. Iudæi siquidem turbis immixti, fores sic regias introibant. Vnde indignatus (vt fertur) quidam Christianus, Iudæũ palma percussum ab ingressu ianuæ arcere curauit, regium obiectãs edictum. Quo exemplo plures accensi, Iudæos cum contumelia repellebant. Factoque tumultu indisciplinata cum turbine turba accurrit : credentesque Regem talia mandasse, tanquam freti auctoritate regia in multitudinem Iudæorum ad fores regias obseruantium pariter irruêrunt. Et primò quidem percutiebant pugno impiè : mox vero vehementiùs efferati sustulerunt ligna & lapides. Porro Iudæi fugam iniêrunt; in fuga nonnulli cæsi vsque ad mortem, quidam etiam protriti periêrunt. Venerant autem illuc cum cæteris duo nobiles Iudæi Eboracenses, Ioceus scilicet & Benedictus. Quorum prior euasit : sequens verò dum plagis impositis segniùs fugeret, comprehensus vt mor-

tem differret, Christum coactus est cõfiteri, ductusq; in ecclesiam, illico baptizatus est. Interea rumor gratissimus, quod scilicet Rex omneis Iudęos exterminari iussisset, totas incredibili celeritate percurrit Lundonias; mòxq; infinitus indisciplinatorũ populus tam ex ipsa ciuitate, quàm ex illis, quos illuc ex prouinciis plurimis, vnctionis regiæ solemnitas traxerat, armatus accurrit, spirans prædarum & cædis in populum, Dei iudicio cunctis inuisum. Porro ciues Iudæi, quorum multitudo Lundoniis habitare dinoscitur, cum illis qui vndecunque confluxerant, in domos se proprias recepêrunt. Circundantur a [a] feruentibus populis, fortiterq; oppugnantur ab hora nona vsq; ad solis occasum eędem domus. Quę, quoniã propter fabricam firmiorem effringi non poterant, & [b] furentibus machinæ derãt: igne tectis immisso horrendũ citò colluxit incendium, quod & laborantibus Iudęis exitio fuit, & furẽtibus Christianis in nocturno opere lucis adiutorium præbuit. Nec solis Iudæis specialiter in eos accensus ignis nocuit, quia discretionis nescius, nonnullas quoque

[a] *v. c. frementibus.*

[b] *v. c. adit, quia.*

proximas Christianorum ædeis corripuit. Videres repentè clarissima vrbis loca flammis ciuilibus, tanquam hostilibus [a] mirabiliter conflagrare. Iudæi verò vel in propriis torrebantur ędibus, vel egredientes excipiebantur ensibus. Multum sanguinis in breui fusum est. Verum citò satietatem cædium induxit fortius excandescens cupido prædarum, vicitque auaritia crudelitatem. Denique omissis cædibus, expilandis ędibus & diripiendis opibus rabies auara incubuit. At hoc Christianos versa vice Christianis fecit infestos; dũ alius alij, quod fortè rapuerat, inuideret, & prædandi studio ne amicis quidem & [b] sacris impia æmulatrix auaritia parceret. Nuntiantur hæc Regi [c] festiuè in palatio cum omni procerum frequentia conuiuanti; mittitur a latere eius Ranulphus de Glanuilla, regni procurator, vir potens & prudens, cum aliis æquè nobilibus, vt vel flecteret, vel frænaret audaces. At id frustra. In tumultu enim tanto nullus eorum aut vocem auscultauit, aut faciem honorauit. Quin potius quidam indisciplinatiores fremere aduersus eos cœperunt: & vt maturiùs

a v. c. miserabiliter.

b v. c. socijs

c v. c. festiuè.

turiùs recederent, terribiliter denuntiauêrunt. Illis igitur effrenatam rabiẽ consultè declinantibus, tanta licentia quanta & audacia, vsque ad sequentis diei horam secundam desæuiêre prædãtes, & tunc sæuiendi magis satietas vel lassitudo, quâm vel ratio, vel reuerentia Principis prædantium sedauit furorem. Hoc eatenus inaudito regiæ ciuitatis euentu, & egregiè inchoato perfidæ gentis exitio, & noua Christianorum contra inimicos crucis Christi fiducia, insignitus est, regni illustrissimi Regis Richardi dies primus, planè non tuntùm iuxta regulam, qua iubentur ambigua in melius potiùs, quàm in deterius deriuari; verum etiam iuxta significationem aptissimam Christianæ in diebus eius promotionis præsagus. Quid enim aptius portendit, [a] si quid portendit, quod regię consecrationis eius diem pariter & locum blasphemæ gentis nobilitauit exitium, quod in ipso regni eius exordio, hostes Christianę fidei cœpêrunt iuxta eum cadere & infirmari? Non ergo sic moueat quemquam vel vrbis in quadam eius parte incendum, vel insulsus ille feruor indi-

a *abest hæc clausula a v. c.*

sciplinatorum; in quo minus præclari euentus bonus fiat piusque interpres:
a v.c. enim cum [a] & huiusmodi supernæ moderationis ordini militent, impleatque Omnipotens plerumq; voluntatem suam valde bonam, per hominum etiam nequissimorum voluntatem, & actionem valde prauam. Sanè Rex nouus, cum esset ingentis animi & ferocis, indignatus, & dolens quod in suæ coronationis solemniis, regnique primordiis sub eius præsentia talia contigissent, æstuabat, anxius quid nam super his esset agendum. Tantam quippe & sine exemplo Maiestatis regiæ læsionem dissimulare, atque inultam dimittere: & Regi nimis indecorum, & regno quoque noxium videbatur: cum tantæ atrocitatis dissimulatio per impunitatis fiduciam, improborum ad attentanda similia, nutritura foret audaciam. Porro in infinitam reorum multitudinem, censuræ regiæ vigorem exercere prorsus erat impossibile. Nam præter nobiles cum Rege conuiuantes, quorum tantus erat numerus, vt regij amplitudo palatij angusta videretur, fere totum ciuitatis populum & fere totas nobilium

familias, quæ cum ipsis nobilibus ad vnctionis regiæ solemnia venerant, odium Iudæorum, & prædarum illecebra, ad memorati operis patrationem contraxerant. Dissimulari ergo oportuit, quod vindicari non potuit, Deo nimirum ordinante, vt qui diuinæ in perfidos & blasphemos vltionis ministri exstiterant, humano propter hoc iudicio minimè sisterentur. Superni quippe examinis ratio exigebat, vt blasphemi illi, qui tempore superioris Principis supra modum ceruicosi & proterui in Christianos fuerant, [a] vt successoris eius primordiis humiliarentur. Benedictus verò ille, qui (vt dictum est) lauacrum Christianum coactus acceperat, corde quidem non credens ad iustitiam, sed inani tantum oris confessione aërem verberans, in crastino perductus ad Principem, interrogatus èst ab eo an esset Christianus. Qui respõdit se a Christianis baptizari coactum, sed animo semper fuisse Iudæum: & talẽ se malle mori, cum iã non posset viuere, plagis enim pridie acceptis vrgebatur ad mortem. Eiectus ergo a facie Principis, Iudęis est redditus apostata.

[a] v. c. in.

Christianus, factusq; filius Gehēnę duplo quàm priùs, post dies paucos defecit, ad hoc tantum Christianus factus, vt apostata moreretur. Princeps autem post cladem, Iudæis pacem sanciuit edicto, qua tamen, vt suo loco narrabitur, non diu sunt fruiti, superno vtique iudicio exigente, blasphemæ gentis superbiam seuerius castigari.

De ordinatione vacantium ecclesiarum post coronationem Regis Richardi.

Cap. II.

IN primis sanè Rex nouus studium habuit, vt quoniam plures in Anglia Cathedrales vacabant: ecclesiæ, propriis ad eius instantiam eædem gauderent Præsulibus. Richardus ergo Eliensis, thesaurarius Regius sedem accepit Lundonienſem. Godefridus Lucienſis cathedram Vintonienſem. Guillelmus de longo Campo, Cancellarius

Regius Episcopatum Elienſem. Hubertus Eboracenſis Decanus, eccleſiam [a] Saleſbirienſem. Porrò Gaufrido fratri ſuo, qui ad Lincolnienſem eccleſiam olim electus, annis (vt ſuo [b] loco dictũ eſt) plurimis eidem Eccleſiæ ad metenda eius carnalia incubuerat, [c] conceſſit Rex, Metropolitanam ſedem Eboracenſem, cum iam vacaſſet annis fere decem. Cuius Gaufridi electionem talem fuiſſe cognouimus. Patre defuncto noui Ducis adhuc in Normãnia cõſtituti litteræ arte (vt dicitur) quorumdã [d] eiuſdem Gaufridi elicitæ ad capitulum Eboracenſe manârunt, Gaufridum fratrem ſuum in Archiepiſcopum eligi poſtulantes, atque obſiſtentibus Regij [e] metus periculum comminantes. Quibus litteris territi atque præſtricti Præcentor, & cæteri qui aderant (nam Decanus & alij plures aberant) ad ſolam futuri Principis gratiam reſpicientes, memoratũ Gaufridum ſolemniter elegerunt. Verùm cum idem ſumpto diademate regno præſideret paterno, eidẽ electioni ſuccenſuit: literiſque illis, quibus præſtricti fuerant eligentes, tanquam vel non ſuis vel certè ſubrepticiis

a *v.c. Saliſburienſem.*

b *l. 2. c. 22. ſupra.*

c *v.c. inter ſcribit: & inde tandẽ amotus cãcellis regijs vſq; ad patris deceſſum præſuerat.*

d *v.c. inſerit familiarium.*

e *v.c. motus.*

derogans, pro neceſſitate tamen Ieroſolymitanæ expeditionis ingentis ſummæ [a] promiſſione placatus, tandem aſſenſum præbuit. Qualia verò circa eundem electum poſtmodum prouenêrunt, ſuo loco exponetur.

a *v. c. promiſſione.*

De affectu Regis ad Ioannem fratrem eius.

Cap. III.

Præterea circa Ioannẽ fratrẽ ſuum vterinum Rex proprium egregiè declarauit affectum. Nam præter paternæ in Hybernia adquiſitionis plenitudinem, & Comitatum in [b] Normannia Moritanenſem, de quibus ſcilicet paternam donationem ratam habuit: in Regno Anglorum tanta illi adiecit, vt quaſi Tetrarcha videretur. Denique Cornubiam, Deueneſiram, Notigamſiram, & Loncaſtrum, cum adiacente prouincia atque alia plurima de Regio [c] dominio contulit: & nihilominus illi [d] Glouceſtrenſis Comitis ſi-

b *deeſt in v. c. ſed appoſitè eſt illic additum vt lector prouinciam noſſet.*

c *v. c. Dominico.*

d *v. c. Clouceſtrenſis.*

liam propriam, ſcilicet in quarto gradu conſobrinã, cum integritate iuris paterni, quod eſſe ampliſſimum noſcitur, minus quidẽ legitima, & plus iuſto fraterna prouiſione deſpondit. Verum hæc in eius fratrem immoderata atque improuidà largitas: multa & grauia mala ſequẽti tẽpore peperit, & [a] profuſum largitorem profunda pœnitudine caſtigauit. Indulta enim Ioanni tetrarchia, fecit eum ambire monarchiam: vnde & factus eſt de cætero fratri infidus, & ad vltimum manifeſtè infeſtus: quod nimirum pleniùs exponendi ſuum in ordine hiſtoriæ locum habebit.

[a] *v. c. profuſis.*

Quis ſucceſſerit Ranulpho de Glanuilla in procuratione regni.

Cap. IIII.

ERAT autem idem adhuc regni procurator, qui fuerat tempore Regis prioris, Ranulphus ſcilicet de Glãuilla, homo præclaræ prudentiæ. Qui cum eſſet grandæuus

& videret a Rege nouitio, multa minùs consultè & prouidè [a] actitari: huius officij onere expediri voluit, vt ad Ierosolymitanam se profectionem, (nam signum Domini sub Rege Henrico susceperat) commodiùs præpararet. Solenniter ergo renuntians officio, minùs legitimos habuit successores. Idem quippe officium Dunelmensi Episcopo, nec obluctanti à Rege commissum est: qui nimirum consultiùs proprio contentus officio, diuini iuris multò decentiùs quàm humani minister existitisset: cum nemo possit vtrique, prout dignum est, deseruire, atque illud dominicum ad Apostolos; [b] *Non potestis Deo seruire, & mammonæ*, maximè successores Apostolorum respiciat. Si enim velit Episcopus, vt cælesti pariter & terreno Regi placeat, ad vtrumque se officium diuidere: certè Rex cælestis, qui sibi vult ex [c] toto corde, tota anima, tota virtute seruiri, ministerium dimidium non approbat, non diligit, nō acceptat. Quid si Episcopus, nec saltem [d] dimidius, quæ Dei sunt, & decēt Episcopum, exequatur; sed vices suas indignis, & remissis executoribus cōmittat,

a *v.c. actitari.*

b *Matt. 6.*

c *Deute. 6. Iosue. 22.*

d *v.c. dimidium.*

vt terreno vel pallatio, vel foro totus seruiat? nam nec terreni Principis ratiocinia quisquam dimidius sufficienter administrat. Quamobrem memoratus Pontifex, cum iam esset grādæuus, officio seculari susceptο, in Australibus Angliæ partibus, ad publica totus negotia residebat.

Quæ fecerit Rex in Anglia antequam transfretaret.

Cap. V.

TVNc idem Rex Anglorum, qui primus potentum, cum Comes adhuc Pictauensis diceretur, dominicum signum acceperat, circa Ierosolymitanā profectionem studiosiùs satagens: instante maximè Rege Francorum, vt tēpore congruo iter simul arriperent: & moram, quam interposuerat, apparatu propensiore purgarēt, sumptus idoneos modis cœpit omnibus præparare. Neque enim thesauros patrios, & quæcun-

que pater ſpecialiter ad illam profectionem congeſſerat, ſufficere iudicauit: ſed ſuam quoque induſtriam & operam, in hoc ipſo expendens, citra patris, vel in hoc conſiſtere gloriam duxit ingloriũ. Euocauit igitur mandatis vrgentibus Regem Scottorum inueterata laborantem triſtitia, pro Caſtellis, bellico, (vt ſuperiùs dictum eſt) ſibi caſu ablatis, ſcilicet Rokesburch & Berevvyck. Nam tertium, quod dicitur Caſtellum puellarum, ſub Rege Henrico receperat: cum coniugem eius voluntate & conſilio de partibus acciperet Tranſmarinis. Veniens itaque ad Regem Anglorum: pactus eſt ei decem milia marcas argenti, pro reſignatione Caſtellorũ: remeãſque ad propria, eandẽ a ſubditis, [a] eminentia Regiæ poteſtatis, ſummam corraſit: qua Regi Anglorum ſoluta, cum multa lætitia Caſtella recepit. Dunelmenſem quoque Epiſcopum, quem pecunioſum eſſe credebat, Rex nouus aſtutè pellexit: vt emeret a ſe proprij Epiſcopatus prouinciam, eſſetque eiuſdem prouinciæ Epiſcopus ſimul & Comes, annexo Epiſcopatui Comitatu. Quod & factum eſt, quam excogitato

[a] *v.c. imminentia.*

astu Principis, vt Pecunias Episcopi tolleret, tam immoderato ambitu grãdæui Episcopi Episcopatu, qui opulentissimus noscitur, illa ætate non contenti, nec reputantis illud propheticum: immo per [a] prophetam Dominicum, [b] *Ve qui coniungitis domum ad domum: & agrum agro copulatis*: vt Comitatum ad Episcopatum coniungeret, quodvtique maius non est, curaret. Dedit ergo Regi pro emendo Comitatu, quicquid pro Ierosolymitanæ profectionis apparatu congesserat: & quicquid insuper corradere poterat de Episcopatu. Et ipse quidem de huiusmodi mercimonio glorians [c] iocabatur. Rex verò facetias inde conficiens ita iocabatur. De [d] vetusto Episcopo nouitiũ Comitem mirus ego artifex feci. Cum autem idem Episcopus hoc modo se nudasset pecuniis, quas sacrę propter Christum peregrinationi deuouerat, illud quoque consequenter studuit irritare, quod in solẽni crucis susceptione Omnipotenti vouerat Domino. Cumque apud Romanum Pontificem [e] diceret: Comitatum emi, & ideo Ierosolymam proficisci non possum, rogo te, me

a *Esai 5.*
b *perperam antea Ne.*
c *v.c. iucũdabatur.*
d *v c. honesto.*
e *v. c. per nuntios antehac erat aduerbium non.*

habe exusatũ, quod quidem verè dixisset, sed potius fatiscentem causaretur ætatem, seque tam laborioſæ peregrinationi minus sufficere allegaret, [a] quippe conscientię relictus, illico signum sacrum solemni deuotione susceptum irreuerenter & infirmiter abiecit, & inuentæ apud Regem pretioſæ Margaritæ, pro qua tanta dederat, possidendæ incubuit; quæ tamen vti nunc cernere est, non solida, sed pro rerum & temporum mutatione, breuis & perfunctoria possessio fuit. Sanè Rex eadem arte, quæ huius Episopi sacxulos exhausit, alios quoque plures pellegit, vt effusis pecuniis certatim dignitates siue libertates quaslibet, vel publica officia, vel ipsa etiam prædia regia compararẽt. Distrahebat itaque propria maturè profecturus, tanquam animum redeundi non habens. Cũque ab amicis propter hoc familiari ausu increparetur, respondisse fertur: Lundonias quoque venderem, si emptorẽ idoneum [b] inuenissem. Denique in hac distractione [c] desipere videbatur: eoque procliuiùs emebant plurimi, quò nunquam repatriaturus credebatur. Præmaturo namque, & im-

[a] v.c. propriæ, & quidẽ correctiùs.

[b] v.c. inuenirem.

[c] v.c. decipere.

moderato vſu armorum, quibus ab ingreſſu adoleſcentiæ plus iuſto indulſerat, ita iam fractus & languidus dicebatur, vt Orientalis labore expeditionis, citò abſumendus videretur. Alij verò dicebant eum quartano incommodo, quo diu laborauerat, ita corruptum & tabidum: vt diu non poſſet in illo, maximè tã grandi labore ſubſiſtere. Huius rei argumentum eſſe indecentem quandam, quæ in eo apparebat, cum pallore facici membrorum corpulentiam. Aiebant etiam quidam, quod pluſquam centum in corpore haberet vſturas pro euaporanda corruptione humorũ. Tales de Rege per aures, & fere per ora omnium volitabant rumores: quibus vtique fidem dabant indiſcretæ atque immoderatæ eius vel donationes, vel diſtractiones. & credebatur, tanquam citò ſe finiendum intelligens, minus de regno curare, quod ita vel ſcinderet, vel diſſiparet. Verum quàm ſubtili hęc aſtu, vel fecerit, vel finxerit, vt omnium qui pecunioſi videbantur ſacculos exhauriret: poſtea clatuit. Menſibus autem aliquot in Anglia demoratus, regni adminiſtratione Cancellario ſuo, Epiſco-

po scilicet Elienſi relicta, ante Dominici natalis ſolemnia in Normanniam transfretauit. Succenſebãt ferè omnes, quod Rex nobilis peregre profecturus in regiones longinquas, minùs ſolemniter regnum proprium reliquerit: & remiſſiorem, quàm oportuit eius curã, cum egrederetur, habuerit, & quod homini peregrino obſcuri nominis, & minùs probatæ vel fidei industriæ abſque conſilio, & voluntate Optimatum, rerum ſummam crediderit. Vtrùm verò rectè, an ſecùs in his Regiæ fuerit ordinationi derogatum: ſequentis eſt temporis euentibus declaratum.

De quodam prodigio, quod eo tempore in aëre viſum eſt.

Cap. VI.

NEc ſilentio prætereundum eſt, ſtupendum nimis terribiléque prodigium: quod circa hæc tempora in Anglia viſum eſt a multis, qui. vſque nunc ſunt teſtes eius ad eos qui non vidêrunt. Eſt ſuper ſtratam pu-

blicam, qua Lundonias pergitur, vicus haud ignobilis [a] Dunſtapela nuncupatus: ibi dum fortè quidam hora poſt meridiana in cælũ ſuſpicerent, vidêrunt in ſublimitate ſereni aëris formam vexilli Dominici lacteo candore conſpicuam, & coniunctam ei formam hominis crucifixi, qualis in eccleſia ad memoriam Dominicæ paſſionis, & deuotionem fidelium pingitur. Stabãt autẽ ſtupefacti, [c] genibus fixis rem mirabilem intuentes. Quorum ſtuporem & erectos in cælum vultus, plurimi ſtrata publica gradientes mirati: ipſi quoque ſuſcipere, & viſa rei nouitate pariter ſtupere cœpêrunt. Cum ergo terribilis hęc ſpecies [d] diutiuſcule appareret, & curiosè intuentium vultus animoſque ſuſpenderet: viſa eſt forma crucis ab eo, qui affixus videbatur recedere, vt medium aëris ſpatium inter vtrũque moraretur, & paulo poſt res ſtupenda diſparuit: ſed cauſſa ſtuporis ſublata effectus remanſit. Denique late vulgatũ eſt verbũ illud, reique prodigioſæ, rumor, & ſtupor pariter cõcurrêrunt. Interpretetur quiſque vt voluerit ſignum mirabile, cuius vtique didici ſimplex nar-

a *v.c.* Cunſtapla.

b *v.c.* Mediana.

c *v.c. fixis rem miſerabilem oculis.*

d *v.c. diuſcule.*

rator esse, non etiam [a] præsagus interpres. Quid enim diuinitas eo significare voluerit nescio.

[a] v. c. præsagij ad

Quid actum sit contra insolentiam Iudæorum apud Linnam.

Cap. VII.

DVm igitur (vt supra dictum est) illustris Rex Anglorum Richardus regno, vt volebat, disposito in Normãniam transfretasset, solemne cum Rege Francorum colloquium habuit: vbi ambo inter se mutuæ societatis iura firmantes, & Germanam alterutrum compromittentes charitatem: Orientali se expeditioni cum viris nobilibus, qui signũ Domini acceperant, fortiùs astrinxêrunt, & tempus profectionis æstatem proximam statuêrunt. Quibus solemniter actis, vterque se princeps pro sua negotij magnitudine præparabat. Sanè dum hæc in Galliis agerentur: Christianorum aduersus Iudæos in Anglia, Zelus Lũdoniis (vt dictum est paulò antè accensus

accensus vehementer excanduit; non quidem syncerè, id est causa fidei tantùm, sed eorum vel æmulando felicitatem, vel inhiando fortunis. Arbitrabantur audaces & cupidi obsequium se præstare Deo, dum spoliarent, vel perderẽt homines Christo rebelles: & agebant sine vllo vel minimo conscientiæ scrupulo, hilari furore propriæ cupiditatis negotium: Dei quidem iustitia talia minimè approbante, sed decenter ordinante: vt hoc modo gentis perfidæ coerceret insolentiam, & linguas frænaret blasphemas. Apud vrbem commeatu, & commerciis nobilem,[a] quæ Linna dicitur, vbi eiusdem gentis plurimi habitant, & sua multitudine, & opum magnitudine, & tuitione regia feroces: primus (vt accepimus) aduersus eos motus, est factus occasione huiusmodi. Cũ fortè quidam[b] ex eorum superstitione ad Christianam fidem esset conuersus: eius tanquam desertoris & prævaricatoris sanguinem sitientes, quærebant opportunitatem malitiæ consummandæ, raptisque quodã die armis aggressi sunt transeuntem: porro ille in Ecclesiã proximam se recepit. Nec quieuêre sæ-

[a] *ad Isidis ripas.*

[b] *Ex Iudæo Christianus a Iudæis quæritur ad necẽ*

uientes, sed peruicaci furore, & impetu eandem Ecclesiam oppugnare cœperunt, vt effractis foribus profugum ad pœnam extraherent. Ingens eorum, qui erat in Ecclesia, clamor attollitur. Christianum sonoris vocibus auxilium flagitatur. Clamor & fama Christianum populum accendunt: qui cominus erat, ad clamorem: & qui eminus, ad famam armati accurrunt. Et loci quidem incolæ propter metũ regium remissiùs agebant: porro peregrini iuuenes, quorum illuc multitudo negotiandi gratia venerat, superbos belligerantes fortiùs impetebant. Illi verò dimissa oppugnatione ecclesiæ, cum Christianorum impetum ferre non possent: fugam inierunt. Cæsis in fuga nonnullis, domus eorum expugnatæ, atque expilatæ a Christianis, flammis tandem vltricibus conflagrarunt: & eorundem plurimi hostilem, vel ignem, vel gladium cruentarunt. Sequente die superueniẽs quidam Iudæus insignis medicus, & artis & modestiæ suæ gratia, Christianis quoque familiaris atque honorabilis fuerat: cædem suorum paulò immoderatiùs deplorauit, & quasi vltionẽ pro-

phetans, spirantem adhuc furorem instigauit. Quem mox Christiani correptum, vltimam ibidem Iudaicæ vesanię victimam fecerunt. Peregrini iuuenes præda onusti repetitis nauibus, ne quã fortè a ministris regiis sustinerent quæstionem, celeriter abierunt. Loci verò incolę, cum propter hoc discuterentur a regiis, in peregrinos, qui iam abierant, factum refuderunt.

Quid actum sit contra Iudæos apud Stanfordiam, & de superstitioni populę.

Cap. VIII.

POST hæc apud [a] Stanfordiam noui aduersus Iudæos [b] turbaminis motus surrexit. Cum enim ibidem quadragesimali tempore solemnes nundinę agerentur: iuuenum, qui signum dominicum Ierosolymam profecturi susceperant, ex diuersis prouinciis multitudo superuenit, indignans quod inimici crucis Christi ibidẽ habitantes, tam multa possiderent, cùm ipsi ad tanti itineris sũptus minùs haberẽt,

[a] *v.c. Stãforthiam.*
[b] *v c. turbinis.*

& ab eis tanquam iniuſtis poſſeſſoribus extorquendum duxêrunt, quod ſuſceptæ peregrinationis neceſſariis vſibus applicarent. Arbitrantes itaque obſequium Deo ſe præſtare, ſi hoſtes [a] impeterent, quorum bonis inhiabant: audacter irruêrunt in eos, nemine, vel ex loci incolis, vel ex his qui ad nundinas venerant, tantis ſe auſibus opponente, nonnullis vero cooperãtibus. Cæſi ſunt aliquot ex Iudæis, cæteri vero intra Caſtellum recepti ægre euaſêrunt. Expilatæ ſunt domus eorum, & magna vis pecuniæ capta. Prædones cum ſui operis emolumento abiêrunt: nullúſque eorũ propter hoc ſtudio diſciplinæ publicæ ſuſtinuit quæſtionem. Quorum vnus, Ioannes nomine, audaciſſimus iuuenis Hamtonam diuertens: partem pecuniæ ſuæ depoſuit apud quendam, a quo etiã eiuſdem pecuniæ ambitu, occultè necatus eſt, corpuſque eius per noctem extra vrbem proiectum. Quo inuento, & a quibuſdam fortè agnito, clandeſtinam inhiit fugã auarus homicida. Mox ſomniantibus vetulis atque apparentibus ibidem fallacium ſignorum præſtigiis: martyris illi meritum & gloriam ſimpli-

[a] v.c. *inſerit eius.*

ces tribuêrunt, sepulchrum eius solemnibus excubiis honorantes. Fama excitum vulgum insipiens, primò ex locis finitimis, [a] de hinc etiam ex diuersis prouinciis curiosa deuotione confluebat, nullusque noui martyris cupiens vel intueri miracula, vel promereri suffragia: ad sepulchrum eius vacuus veniebat. Ridebatur quidem hoc a prudentibus, sed tamen erat gratum Clericis, ex eadem superstitione prouenientium gratia commodorum. Res defertur ad Episcopum eximiæ virtutis virũ: qui accedens ad locum in spiritu fortitudinis: [b] concinnata studio simpliciũ & cupidorum, falsi martyris insignia prophanauit, & superstitiosam mortui hominis venerationem Pontificali auctoritate, sub anathematis interpositione inhibuit. Sic pia & efficaci opera boni pastoris tota illa extincta est, atque euanuit operatio spiritus illusoris.

[a] *abest. in. v.c.*

[b] *c. v. continuata.*

Quæ acta sunt contra Iudæos Lincolniæ & Eboraci.

CAP. IX.

LINCOLNIENSES verò audientes qualia circa Iudęos agerentur : occasionem nacti , & animati exemplis , aliquid audendum duxerunt , & conglobati in cohabitantes Iudæos motu subito exarsêrũt. Porro illi agnito suorum locis diuersis, vel pauore, vel exitio cautiores effecti, paucis discrimen expertis in munitionem regiam cum pecuniis mature successerunt. Itaque nõ multa re acta, sed multa per officiales regios quæstione subsecuta : inanis ille motus cito quieuit. Verũ Eboracensibus non metus ferociſſimi Principis, non vigor legum , non ratio, non humanitas obstitit: quo minus cohabitantium perfidorum generali exitio furorem proprium saturarent : atque in sua ciuitate totum illud genus abraderent , quod nimirum quia valde memorabile est , pleniori ad posteros

[a] oportuit relatu transmitti. Eboracensium igitur Iudæorum (vt [b] supra dictum est) primi fuere, Benedictus & Ioceus homines locupletissimi, & latè fœnerantes. Ædificauerant [c] autẽ in medio ciuitatis profusissimis sumptib. domos ampliſſimas, regalibus cõferendas palatiis: ibique tanquam duo suę gentis Principes, & Christianorum tyrãni habitabãt, cultu fastuque pæne regio procedentes, & duram in eos, quos vsuris oppressérant, tyrannidem exercentes. Qui cum essent Lundoniis in solemnitate vnctionis regiæ: Benedictus (vt supra memoratũ est) infeliciſſimum Dei iudicio sortitus exitum maledictus apparuit. Ioceus vero egregie ad tempus subductus discrimini: Eboracum rediit. Et quoniam Princeps post turbinem Lundonien sem pro pace Iudæorum legem posuerat: cum cæteris per Angliã Iudæis iuxta morem priſtinum fiducialiter agebat. [d] Rex verò postmodum, cum esset in partibus transmarinis constitutus: coniurarunt aduersus Iudæos Eboracenses, prouinciales plurimi: eorum, cum ipsi egerent, non ferentes opulentiam, & sine vllo Christianæ

[a] *v.c. oportet.*
[b] *sup. c. 1.*
[c] *v.c. antè.*
[d] *v.c. Rege verò postmodum in partibus transmarinis constituto.*

conſcientiæ ſcrupulo perfidum ſanguinem, prædarum cupidine ſitientes. His auctores ad audendum fuêre quidam nobiliores impiis fæneratoribus in multam ſummam debitores; quorum nonnulli cum pro accepta pecunia prædia illis propria appoſuiſſent, grandi inopia premebantur: quidam verò cautionibus propriis obligati ad ſatisfaciendum regiis fæneratoribus a fiſci exactoribus vrgebantur. Quidam etiam ex illis, qui ſignum dominicum acceperant, iamque in procinctu Ieroſolymitanæ profectionis erant, tantò faciliùs impelli potuêre, vt ex præda hoſtium Domini, ſuſcepti pro Domino itineris ſumptus iuuarent, quantò minùs propter hoc quæſtionem aliquam arrepto iam itinere formidarent. Cumque vrbis pars non modica nocte intempeſta, vel fortuito, vel potius (vt creditur) a coniuratis immiſſo conflagrauit incẽdio, ſcilicet vt occupatis circa ædes proprias, propter ignis periculum, ciuibus, impedimentum non eſſet prædantibus: arma coniuratorum manus domum dicti Benedicti Lundoniis (vt ſuprà memoratum eſt) infeliciter

mortui, in quavxor eius & filij cum aliis pluribus habitabant, vi magna, & ferramentis ad hoc præparatis irrupit: cæsisque omnibus, qui in ea erant, ignem quoque tectis immisit. Et dum morosè vireis incendium sumeret: corrasis opibus ardentem domum reliquere, & in suum, tenebrarum beneficio, secretum onusti se recepêre prædones. Quo casu consternati Iudæi, & maximè clarior cæteris Ioceus: arcis regiæ custode exorato & conniuente, in eandem pecuniarum suarum ingentia pondera tanquã gazas regias conuexêre, & vigilantiorem de cætero suimet cautelam habuêre. Post dies verò aliquot nocturni illi prædones, cum maiori fiducia atque ferocia redeunt, & aggregatis sibi plurimis domum Iocei constructionis magnitudine, & firmitate arces non ignobiles æmulantem, fortiter oppugnantes tandem captam expilatamque incendunt, cunctis quos in ea sinister casus offenderat, flamma ferroue absumptis. Ioceus autem paulo ante hoc malum caute præsagiens: cum vxore & filiis in arcem [a] migrauit. Similiter & cæteri Iudæi, paucis ad victimam foris, rema- [a] *v. c. migrauit.*

nentibus. Prædonibus autem cum tanti ausus emolumento dilapsis: facto mane vulgus promiscuum irruit diripuitque in diuersis speciebus, & multiplici supellectile prædonum igniſque reliquias. Tunc demum, qui Iudæos prius inuisos habuerant, cum coniuratis [a] multo publici vigoris respectu habito manifestè, & profusa licentia in eos debacchari cœpêrunt, nec eorum substantiis iam contenti, cunctis extra arcem inuentis, aut sacri Baptismatis, aut extremi discriminis optionem dedêrunt. Denique Baptizati nonnulli fictè se, vt mortem euaderent, Christianis aggregarunt: sine misericordia verò trucidati sunt, qui sacramentum vitæ, vel fictè recipere detractarunt. Dum hæc agerentur: multitudo, quæ in arcem confugerat, in tuto agere videbatur. Porro arcis præpositus ad quoddam fortè negotium egressus: cum regredi vellet, a multitudine intus excubante, incerta iam cui se crederet, non est admissus: ne fortè & eius circa se fides nutaret, & corruptus quos tuēdos susceperat, hostibus exponeret. Ille verò prouinciæ Præsidem,

[a] *v.c.* nullo *&quidem* emendatiùs

qui fortè tunc ob regia negotia, cũ frequentia prouincialium aderat [a] ſtatim adiit, commiſſæ ſibi arcis a Iudæis fraudatum ſe cuſtodia cõquerens. Indignatus Præſes contra Iudæos fremuit, illis maximè, qui coniurationis auctores exſtiterant, eum inflammantibus, & meticuloſam illam miſerorum cautelã, ſuperbam eſſe turris regiæ occupationem, atque in Domini Regis iniuriam, hoc ipſum redundare allegantibus. Cumque multi homines perfidos modis omnibus impetendos, arcemque illis regiam extorquendam decernerẽt, iuſſit Præſes conuocari populum, arcẽque oppugnari. Excurrit irreuocabile verbum, plebis Chriſtianæ Zelus accenditur, immenſæ armatorum tam ex vrbe, quàm ex prouincia circa arcem glomerantur cateruç. Tum Præſes iuſſionis pœnitentia ſtimulatus, fruſtráq; conatus reuocare ſententiàm, arcis oppugnationem voluit inhibere: ſed accenſos ſemel animos, quo minus [b] perſequerẽtur incœptum, nullo rationis vel auctoritatis põdere valuit cohibere. Sanè vrbis nobilitas, & ciues grauiores, [c] metus regij periculum formidantes,

[a] *v. c. confeſtim.*

[b] *v. c proſequerentur.*

[c] *v c motus*

tantam væcordiam caute declinarunt. Porro omne genus opificum, atque vniuersa iuuentus vrbana, cum plurima prouincialium turba, & militaribus viris nō paucis, cum tanta alacritate aderat, instabatque cruento negotio, tanquam singuli proprium, maximumque compendium quærerent. Clerici quoque plures non deerant, inter quos etiā quidam eremita, cæteris feruentior videbatur. Par omneis Zelus accenderat, arbitrantes grande se obsequium præstare Deo: si gentem Christo rebellem [a] abraderent: dum ad illud Dauidicū, immo Dominicum, quod vtique in persona saluatoris dicitur, cæcato animo caligarent. [b] *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei.* Quippe eadē Christianę vtilitatis ratione perfidus Iudęus Domini Christi crucifixor inter Christianos viuere finitur, qua & forma crucis Dominicæ in Christi ecclesia pingitur, ad continuandam scilicet cunctis fidelibus saluberrimam Dominicæ passionis memoriam, cum tamen in Iudęo impiam execremur actionem, in sacra vero forma illa diuinam deuotione de-

[a] *v.c. obraderent.*

[b] *Psal. 58. Sic D. Bernard. epist. 312 & 313 & Genebr. in hunc locum Dauidis, & Chron. l. 4. pag. 618.*

bita veneremur dignationem. Itaque Iudæi inter Christianos debent quidem pro vtilitate nostra viuere, sed pro sua iniquitate seruire. Porro Iudęi in Anglia sub Rege Henrico, secundo consistentes ordine prępostero super Christianos felices, & incliti fuerant, & ex multa felicitate impudętius rumędo cōtra Christum plurima Christianis grauamina irrogarant: propterea diebus noui Principis vitę, quam de Christi habebant clementia: [a] eius iudicio periculum pertulêrunt, cuius tamen iudicij ordine pulcherrimo nequaquam excusantur, qui motu incondito cladem illis intulérunt.

[a] *v. c. præponit iusto.*

De exitio Iudæorum apud Eboracum.

Cap. X.

IGITVR Iudęi obsidebantur in turri regia; deeratq; obsessis sufficiens escarum apparatus, sola proculdubio inedia maturè expugnandis, etiam si nemo foris vrgeret. Sed nec sufficiē-

tem, siue prosui tutela, siue ad hostes propulsandos armaturā habebāt: quos nimirū imminentes saxis tantummodo interiori muro detractis arcebāt: oppugnatur turris fortiter per dies aliquot, & tandem paratæ admouentur machinę. Vrgebat[a] opus furens tum prę multis aliis memoratus ille, ex canonico Præmonstratensi, Heremita; qui fama excitus nuper in vrbē venerat, arcemq; oppugnantibus in veste alba[b] seclusus aderat, hostes Christi proterendos, sępius cum clamore valido repetens, & suæ quoq; cooperationis exēplo bellatores accēdens. Dicitur autem, quod diebus obsidionis processurus ad opus cruentum, hostiam incruentam (erat enim sacerdos) mane immolauerit; in tantum sibi cæcata mente persuaserat, quòd aliis persuadere nitebatur, religiosum scilicet esse negotiū, quod agebatur. Cumq; admouerentur machinę, feruenti animo cooperabatur pro viribus. Vnde factū, est, vt incautiùs appropinquans muro, saxum grande desuper veniens non caueret. Deniq; conquassatus procubuit, & sublatus continuò expirauit. Declaratumque est, quod ra-

[a] *v.c funestum.*

[b] *v. c. sedulus.*

[c] *v. c. suo.*

tione, vel ordinis, maior in eo petulantis facti reatus exstiterit, quem solum ex nostris ibidem infeliciter occumbere contigit. Admotis itaque machinis certa erat turris expugnatio; nec iam erat ambiguum harum obsessis imminere fatalem. Nocte verò sequenti quieuêre oppugnantes, vicinæ victoriæ certitudine hilares. Porro Iudei sola iam desperatione fortes & rigidi, requiem minime habuere, tractantes inter se, quid in tali articulo esset agendum. Erat autem ibi senior quidam, iuxta litteram, quæ occidit, famosissimus legis doctor, qui ad docendos Iudæos Anglicanos (vt dicitur) ex partibus venerat transmarinis. Hic erat honorabilis omnibus, & tanquam vni ex prophetis obtemperabatur ei ab omnibus. Cum ergo ab eo consilium pro tempore quæreretur, respondit: Deus, cui dici non debet, cur ita facis: iubet nos pro lege sua mori modò. Et ecce mors nostra in ianuis est, sicut videtis: nisi fortè (quod absit) pro breuitate vitæ huius sacram legem deserendam putetis, atque eligatis, quod bonis & virilibus animis omni morte est durius:

de misericordia scilicet impiorum hostium, cum summo dedecore apostatice viuere. Cum ergo mortem glorioſam vitę turpissimę præponere debeamus: honestissimum planè atque [a] facillimũ mortis genus eligendum est. Nam si inciderimus in manus hostiles, pro corũ arbitrio, cum ludibrio moriemur. [b] Itaque vitam quam nobis creator dedit, cum eam ipse iam repetat, propriis illi manibus, sponte & deuote reddamus, nec ad reddendum quod repetit, ministerium crudelitatis exspectemus hostilis. Hoc enim multi nostrorum in diuersis tribulationibus laudabiliter fecisse noscuntur, formam nobis decentissimę electionis pręstruentes. Hæc cum dixisset, exitiale consilium amplexi sunt plurimi: quibusdam verò durus visus est hic sermo. Tunc senior, quibus, inquit, consilium tam bonum piumque non placet, sedeant seorsum, ab hoc sancto pręcisi collegio: nobis enim prę charitate legis paternæ vita hæc temporalis iam viluit. Secessérunt igitur plurimi, hostium potius clementiam experiri, quàm hoc modo interire cũ sociis eligentes. Mox ad arbitrium insaniſſimi

a *corrupte antea, facilissimum.*

b *crudele doctoris Hebræi consilium.*

ſaniſſimi ſenioris, ne ſuis opibus hoſtes ditarentur, veſteis pretioſas in conſpectu omnium ignis abſumpſit, vaſa verò concupiſcibilia, & cætera, quæ poterãt per ignem tranſire, artificioſa inuidia pudẽda repoſitione damnauit. Quibus actis & igne tectis immiſſo, qui in ſolidiori materia, dum res horrenda fieret, moroſè nutriretur, eorum quoque, qui ab eis vitæ amore ſeceſſerant, vitã iuxta correpturus, iugulos ad victimam præparabant. Dictante verò inueterato illo [a] diem malorum, vt viri quibus cõſtantior eſſet animus, propriis vxoribus atque pignoribus vitam adimerent: famoſiſſimus ille Ioceus, Annę vxori chariſſimæ, cultro [b] guttur incidit, & propriis quoq; filius non pepercit. Cumq; hoc & ab aliis viris factum eſſet: infeliciſſimus ſenior Ioceum eo quod honorabilior eſſet cæteris, iugulauit. Abſumptis mox omnibus vna cum magiſtro erroris, immiſſo (vt dictum eſt) a morituris igne interiora turris ardere cœpêrunt. Qui verò vitam elegerant: incendio a ſuis, vt & ipſi vel inuiti commorerentur, concinnato, prout poterant reſiſtebant, quędam ſcilicet ſibi turris de-

a *v.c. dictũ reſpexit enim auctor ad illud Dan. 12. inueterate dierum malorum.*

b *v.c. infecit præcuto.*

fendentes extrema, in quibus minimè vrerentur. Stupendus planè irrationalis ille-rationalium in ſemeptipſos furor. Verùm qui Ioſephi de Iudaico bello legit hiſtoriam, ſatis intelligit ab antiqua Iudæorum ſuperſtitione, cum fortè triſtior caſus incumberet, illam noſtri temporis manaſſe veſaniam. Mane autẽ facto cum populus frequens ad expugnandã arcem concurreret: miſeræ illę Iudæorum reliquię ſtantes ad propugnacula nocturnam ſuorum cladẽ voce lachrymabili declarunt, & ad oculatam tanti piaculi fidem extincta cadauera muro deuoluentes, talia proclamarunt. *En corpora infelicium, qui mortem ſibi furore nefario conciuerunt: & Vt nos idem facere detrectanteis, Chriſtianique potius clementiam experiri volenteis, viuos incenderent, ignem interioribus turris huius morientes immiſerunt. Sed ſeruauit nos Deus, & fratrum noſtrorum veſania, & ab ignis periculo, vt a vobis vlteriùs in religione minime diſcrepemus. Vexatione enim dante intellectum Chriſtianam cognoſcimus veritatem, & requirimus charitatem, parati, quod a nobis ſoletis exigere, ſacro Baptiſmate ablui: & priſtinis ritibus abdicatis, eccleſiæ Chriſti*

a *precipuè c. 6. & 7.*

b *corruptè antea, nefariam.*

Vniri. Suscipite fratres ex hostibus, vt vna vobiscum in Christi fide & pace viuamus. Talia illis lachrymosè loquentibus: nostrorum plurimi, & extinctorum vesaniam, cum ingenti stupore horrebãt, & cladis reliquorum miserabantur. At coniuratorum Principes, e quibus erat quidam Richardus, vero agnomine Mala bestia, homo audacissimus: nulla super miseris illis misericordia mouebantur. Mitia tamen cum eis in dolo loquentes, & speratam gratiam sub fidei testificatione pollicentes, vt egredi minimè vererentur: mox vt egressi sunt, hostiliter comprehensos, & Baptismum Christi constanter postulantes, lanistæ crudelissimi peremêrunt. Et de his quidem, quos ita plusquam belluina illa confecit immanitas, incunctanter dixerim, quia si in petitione sacri Baptismatis fictio defuit: eius nequaquam effectu fraudatos sanguis proprius baptizauit. Siue autem fictè, siue non fictè, sacrum petierunt lauacrum: inexcusabilis est exeoranda illa crudelitas lanistarum. Quorum procul dubio primum scelus est, quod ordinatam potestatem non habentes:

Iudæi pariò petentes baptismum proprio sanguine baptizati sunt.


image
not
available

De ira Regis in interfectores Iudæorum.

Cap. XI.

RES [a] Eboraci acta maturè trans mare defertur ad Principem: qui Iudæis post motum Lundonienſem, pacem & ſecuritatem in regno ſuo lege ſanciuerat. Indignatur & fremit, tum pro læſione Regiæ maieſtatis, tum pro tam magna fiſci iactura. Fiſco enim competit, quidquid Iudæi, quos fœneratores conſtat eſſe regios, in bonis habere videntur. Mox dato mandato ad Elienſem Epiſcopum, Cancellarium ſcilicet Regium, & regni præpoſitum, vt tanti auſus patratio condigna plecteretur vindicta: idem Epiſcopus homo ferocis animi & gloriæ cupidus, circa Dominicæ Aſcenſionis ſolemnia [b] Eboracum ciuitatem cum exercitu adiit, & fortiſſimam ciuibus intulit quæſtionem. Porro principales & famoſi rerum geſtarum auctores relictis omnibus quæ habebant in

[a] *v.c. Ebotace.*

[b] *v.c. Eboracam.*

prouincia, a facie eius transfugerunt in Scotiam. Ciuibus verò constanter proclamantibus, ea, de quibus inuidiam sustinebant, suo neque voto, neque consilio, vel opere accidisse, neq; per suam mediocritatem effrænatum indisciplinatæ multitudinis impetum impediri potuisse: tandem Cancellarius multa pecuniaria singulis iuxta modum fortunarum imposita: satisfactionem, ne seuerius plecterentur, accepit. Vulgus autem promiscuum & infinitum, cuius Zelus inconditus dirum illud maximè patrarat negotium: in iudicium vocari, aut discuti minimè potuit. Itaque Cancellarius amoto illo, qui prouinciæ administrationem habuerat, cum non posset efficaciùs de iure mandatum exequi regium: abiit incruentus, nec vsque ad hunc diem, pro illo Iudæorum exitio aliquis supplicio est addictus.

Quomodo Reges venêrunt in Siciliam, & quomodo Rex Anglorum expugnauit Messanam.

Cap. XII.

SEQVENTI æstate anno a partu Virginis M. C. nonagesimo, illustres Francorum & Anglorum Reges iter Ierosolymitanæ professionis ingressi, cum apparatu congruo, & exercitu copioso conuenérunt Massiliam; factaque ibidem mora necessaria, Rex quidē Francorum autumnali tempore, prior cum suis copiis secundis flatibus in Siciliam nauigauit; Rex verò Anglorum post discessum Regis Francorum, diebus aliquot Massiliæ demoratus; tandem classe soluta, cum parente sibi exercitu mari se credidit, flabrisque arridentibus in insulam eandem deuenit. Verùm qui prior aduenerat, Messanam vrbem clarissimam, cum gaudio exceptus a ciuibus, 1190.

ad hiemandum elegit. Sequens verò, expositis copiis propter eiusdem vrbis amplitudinem,& multimodam opportunitatem ,ipse quoque ibidem socialiter hiemare voluit. Cumque huius rei gratia quosdam ex suis præmisisset: ciues vnius ad se Regis ingressu contenti, & duorum regum magnorum grauari hospitio renuentes , præmissos a superueniente , paucis eorum in tumultu extinctis, cum contumelia vrbe extrusérunt. Motus super hoc Rex Anglorum, a Messanensibus, vtrum de illata iniuria satisfacere dignarentur, duxit quærendum. Illis verò, tam propriarum conscientia virium, quàm insignium fiducia hospitum superbè detrectãtibus satisfactionem , accensus est Princeps ferocissimus ad vltionem. Itaque armari copias, vrbemque oppugnari præcepit. Cumq; in hoc opere suos non tantùm vrgeret imperio, verumetiam animarét exemplo; vrbem aliquamdiu a ciuibus simul & a Francis fortiter defensam tãdem potẽter irrupit. Quam paucis suorum amissis victor ingressus, decentem tamen in vltione modũ tenuit, & motũ animi, triumphalis gloriæ voluptate

molliuit. Ciuium ergo vel fera satisfactione, & coacta deuotione placatus; frænauit impetum, & minas remisit. Moxque pro reuerentia Regis Francorum vrbe egressus: ciusdem illi, & suis libenter cessit hospitium: ipse verò munitione extra vrbem constructa castrisque dispositis, ibidem cum suis copiis in omnium rerum copia hiemauit. Porrò Rex Francorum vrbis hospitæ irruptionem ad suam trahens iniuriam, & pro nihilo ducens indulti hospitij gratiam: implacabilem contra Regem Anglorum concepit, totisque imbibit medullis rancorem: qui nimirum occultatus pro tempore, erupit suo tempore, claruitque orbi terrarum, vt suo loco narrabitur. Sanè Regibus in Sicilia hiemãtibus ex plurimis quoque regionib. ingentia vernum tempus cum desiderio præstolantium agmina in Dalmatia, Histria, Venetia, sub charactere dominico hiemabant,

De expeditione Teutonica, & morte Imperatoris.

Cap. XIII.

INTEREA Fredericus Imperator Teutonicus, qui anno præterito [a] cum filio [b] Sueuorum Duce, & germanicis copiis iter fuerat (vt superius dictum est) Ierosolymitanum ingressus: lẽto propter obstacula plurima gradu, per superiores ducebat regiones exercitum. Prætergressus enim Pannonias, & progressus Imperatoris Constãtipolitani prouincias, cum eiusdem Christiani Principis in negotio Christianissimo fauorem optaret; eum paulò seciùs, quàm Saladinum inuenit. Denique Græcus ille (nam Græci cum sint Christiani, nõ secus, immo plerumque etiam ferociùs quàm Saracenos abominari Latinos noscuntur.) Græcus inquam ille (vt dicitur) post captam Ierosolymam fœdus cum atrociissimo Christiani nominis hoste Saladino pepige-

a *v.c. addit: hoc est à partu Virginis 1189.*

b *mendosè, impress. lib. Suorum.*

rat: pollicens quod in terra vel mari ditionis ſuæ Latinorum in Syriam trã-ſitum inhiberet. Cumque imperator Latinus a Græco, Chriſtianus ſcilicet a Chriſtiano per nuntios peteret, quod olim Iſraël ſub Moyſe petierat ab Edõ Rege Amoræo: [a] *obſecro te*, inquiens, *vt tranſire mihi liceat per terram tuam* [b] *& cætera*: Græcus ille impio Regi [c] ſimilimus, & Saladino, quàm Chriſto fidelior, concedere noluit, vt Chriſtianus exercitus ſimpliciter tranſiret per fineis ſuos: *hoſtem* inquit, *Chriſti Saladinum quærimus, & ecce par Saladino, vel potius plus quàm Saladinus hic: qui Zelando pro Saladino, Zelantibus pro Chriſto palam* [d] *reſiſtit*. In ipſum ergo arma contra Saladinũ ſumpta vertamus: ferro nobis viam aperientes, cum aliter nequeamus. Placuit hoc omnib. ingreſſique hoſtiliter terram ditionis Conſtantinopolitanæ, Theſſalonicam vrbem nobiliſsimam, fortiter expugnatam cepérunt: & redacta in poteſtatem adiacente prouincia, ibidem hiemandum duxêrunt. Sanè Chriſtianorũ, qui arma ſumpſerant cõtra Paganos: hunc motum & impetum cõtra Chriſtianos, licet minùs fraternè

a *Numero.* 20.
b *v. c. habet locum integrum.*
c *& c. addit. in hac parte.*
d *v. c. obſiſtit.*

agentes, approbandū nequaquam censuerim: sicut nec illud, quod Christiani Christianis innoxium concedere transitum noluerunt. Denique hoc antiquis, & de lege sacra sumptis probatur exemplis. [a] Quod fortè Imperator ille noster, cum suis exemplum attendens pro negato transitu, Græci Imperatoris terram inuasit, cum aliud potius (vt credo) attendere debuisset. Scriptum quippe est. *Misit nuntios Moyses ad Regem Edō, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israël. Obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam* & cætera, cui respondit Edom, *Non transibitis per me. Dixeruntque filij Israël. Per* [b] *terram gradiemur vestram: & si biberimus aquas tuas, dabimus quod iustum est. Nulla erit in pretio difficultas, tantùm velociter transeamus. At ille respondit, non transibitis.* Quamobrem diuertit ab eo Israël. Ecce filij Israël sub magno propheta Moyse agentes, a fratribus suis filiis Esau, in simplicis transitus modestissima petitione repulsam bis passi, nec cum tanto excessu fraterno ad vltionē vel transitum ferro parandum impulsi: sapienter, & tanquam immemores iniuriæ, ab ingratis fratribus diuerterunt.

a *v. c. interponit Israeliticus sub Mose populus in transitus innoxij petitione ab Amorræo, vt est dictum, repulsam passus, in eundem iubente Domino irruit, & terrā eius possedit.*

b *v. c. & Biblia legunt: tritā gradiemur viam.*

Postea verò ab Amoreo, qui non erat de genere Abrahæ, in re non dissimili vnam passi tantum repulsam: in vltionẽ iustissimam, iubente, & fauente domino exarserunt. Consultiùs igitur Imperator Christianus feciſſet, si ab inofficioso, sed tamen Christiano Imperatore diuertens, alium in Syriam trãsitum, licet cum multa laboris & sumptuum iactura quæsiſſet, quod vtique sequens declarauit euentus. Videns autem Græcus Imperator,[a] contra se actum a Latinis, & ex hoc tanquam modico ferociæ eorum gustu duriora, nisi præcaueret, coniectans, fœdus cum Imperatore nostro pepigit: & concesso transitu qui petebatur, de sumptibus quoque moræ, quam propter inhibitum fecerat transitum, ei dictante iustitia satisfecit. Itaque Latinus Imperator cum exercitu per Constantinopolim transiens, fretum, quod brachium sancti Georgij dicitur, prosperè transmeauit. Veniẽs in Asiam minorem, cuius pars quędam Constantinopolitanæ ditionis est, parti verò reliquæ Soldanus Iconij præsidet, magnis actibus ipsi Soldano Turcisque iam erat terribilis. Vnde idẽ Soldanus,

[a] *v.c. adiũgit: non parum, quod certè necessario adscribendum fuisse monstrat imperfectio sensus.*

licèt esset magnus & potens, arte tamen magis quàm experientia virium [a] imminentem impetum frangere studuit, de suscipienda (vt dicitur) Christianitate, simulatione callida cum eo agens: & pia simplicitate credulum per frequentes nuncios ambagibus longis suspendens. Cum ergo gentilis astutia suis præstigiis ita nostros deluderet, capta paulò antè amplissima ciuitate Iconio, & locupletissima præda direpta, Christianus exercitus imperatoria prouisione bipertitus, in castris excubabat, amne medio interlabente discretis. Et parte quidem exercitus filio, Sueuorum duci commissa, parti verò reliquæ ipse Imperator sollicitudinem [b] debitam impendebat: cum repentè virum tantæ claritatis occulto Dei iudicio tristissimus (& quem nemo vereri poterat) mundo occasus ademit. Cum [c] equo sedens filium visendi & alloquendi studio, cum paucis amnem vellet medium transmeare, dissuasus à comitibus, ne se vir tantus petulanter in [d] amnem daret incognitum, extrema eum sorte vrgente non adquieuit, sed imperialis oblitus grauitatis, in gurgitem fallaci breuitate

a v. c. imminentis.

b barbarè ante hac, debitum.

c v. c. adserit, enim.

d dictum Selefu à Radulfo Cogesh. in Chron. Abb Vsp. Serrã

contemptibilem, equo ſtimulato proſiliens, intuentibus comitibus, nec ſubuenire valentibus, in momento ſuffocatus interiit. Quidam autem dicunt, [a] quod in ęſtu refrigerij vel lauacri gratia, incautius in flumen deſcenderit: & ſubitò ab aquis imperialis reuerentię neſciis abſorptus ſit. Sed ſiue hoc verum ſit, ſiue illud: conſtat quod in illo flumine modico intrauêrunt aquæ vſque ad animam eius. O abyſſus multa iudiciorum Dei! vir tantus & qui diuino quodam feruore, relictis deliciis, opibuſque imperij, mille ſe expoſuerat propter Chriſtum periculis, tam ſubitò miſeroque caſu abſumitur. Peccatũ tamen eius tantum & tale elucet, quod fortè in Imperialibus non potuerit deliciis expiari: atque ideò oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia diuinitatis prouiſione in hac vita ſeueriùs caſtigari. Siquidem nefarij ſchiſmatis ſub venerabili Papa Alexandro principalis [b] fautor extiterat: & pacis eccleſiaſticæ per imperialem potentiam multo tempore perturbator. Tandem verò perſpicuè dans palmam veritati, minùs tamen in deliciis palatij piaculare malum

[a] *Sic Vſper. ſupr.*

[b] *v. c. fautor ſed repetatur c. 19. l. 2 ſup.*

defleuerat. Porro ne propter hoc grauia
post mortem supplicia lueret, sed potius
tam grande malum momentaneæ mor-
a v.c. acer-bior. tis casus [a] acerbus perfecte dilueret:
illa insigni deuotione, quapropter
Christum relicto imperio tantis se im-
mersit periculis, actum credo. Sane exer-
citus Christianus ita stupuit doluitque
de raptu Principis, vt collapsis animis
matura immanissimorum præda hostiũ
fore videretur. Verum resumpto pau-
lisper spiritu, loco extincti patris, præ-
senti Sueuorum Duci adhæsit & paruit.
Qui paterni coporis, (quod post casus
infelicissimi dies aliquot ægrè inuentũ
ereptumque aquis dicitur) ossibus as-
sumptis, in multo laborum & pericu-
lorum experimento cum exercitu pro-
gressus est. Denique tãtus exercitus per
viam longissimam morbis bellisque
confectus, atque imminutus, ita tãdem
laboris intolerantia sumptuumque pe-
nuria elanguit, atque defluxit, vt nulla
re memorabili facta contemptibiles ex
eo reliquiæ in Palestinam cum Duce
memorato venisse dicantur. Qui pater-
nis ossibus apud Tyrum cum decenti
honore sepultis, militiæ Christianæ, quę

Acram

Acram obsidebat, cum omni comitatu adiunctus, ibidem post modicum morbo defecit. Hunc finem occulto Dei iudicio habuisse noscitur famosa illa Teutonici Imperatoris expeditio.

De *insolentia & fastu Cancellarij post Regis profectionem.*

CAP. XIIII.

REflectendvs nūc ab Oriente in nostrum Occidentem videtur sermonis procursus: atque exponēdum, qualis regni Anglici in Regis absentia status extiterit. Idem Rex, vt superiùs dictum est, ad Orientalem egrediens expeditionem, Elienſi Episcopo Cancellario suo vices suas in administratione regni commiserat, cum eiusdem regni ossibus, id est, munitionibus regiis. Qui Episcopus, cum esset audaciæ astutiæque pæne singularis, grauí summa Romam trānsmissa vices quoque sedis Apostolicæ petiit: & tali intercessione facilè impetrauit. Quod

astutè dissimulans, tanquam pro regni negotiis cõuocauit Episcopos & regni maiores, ingerensque incautis indultæ sibi legationis instrumentum, cum fastu solemni sedis Apostolicæ legatum ostentauit, multis quidem ægrè ferentibus, sed obsistere nequaquam valentibus. Denique[a] vt ad summum euectus videretur, & tam regno quam ecclesiæ conspicuus apparens, æmulantium oculis dolorem iniiceret: generale ex Anglia Concilium terrore maximo Lundoniis congregatum, quãtò gloriosiùs tanto & vaniùs celebrauit, sub specie scilicet religionis, & obtentu quasi ecclesiasticæ vtilitatis, agens propriæ negotium vanitatis. Quod vtique tanto fortiùs tutiúsque agebat, quanto Metropolitanis non exstantibus infirmiorem contra se Episcoporum æmulationem, vel indignationẽ videbat. Quippe sedes Eboracensis ferè iam per decennium vacauerat, & nouus eiusdem sedis electus, in transmarinis partibus constitutus, ipso impediente nondum canonicæ poterat consecrationis munus promereri. Porro Cantuariẽsis Archiepiscopus, qui iuxta sedis propriæ

a *v.c. cum*

prærogatiuam Apoſtolicis in Anglia vicibus præditus, ſignum Domini ſub Rege Henrico ſuſceperat, & poſt coronationem Regis Richardi iuxta deuotionis ſuæ debitum in parteis abierat Orientis, Tyrum deueniens, ante Regium aduentum ibidem hominẽ exuit. Itaque homo ille ſublato omni obſtaculo, quo minùs ambularet in magnis & mirabilibus ſuper ſe, fretus duplici, ideſt, Apoſtolica ſimul & regia poteſtate, Clero pariter & populo arrogantiſſimè præſidebat. Et ſicut de quodam ſcriptum [a] eſt, quod vtraque manu vtebatur pro dextera, ſic & ille ad facilio-
rem molitionum ſuarum efficaciã vtraque poteſtate vtebatur pro altera. Ad cogendos quippe vel exercendos potentes laicos., ſi quid fortè ex ſeculari potentia minùs poterat, Apoſtolicæ idipſum poteſtatis cenſura ſupplebat, Si autem ex Clero fortè quiſquam voluntati eius obſiſteret, hunc procul dubio fruſtra pro ſe ſecundùm canones allegantẽ, ſeculari oppreſſum potẽtia coërcebat. Non erat qui ſe [b] abſconderet à calore eius: cum & ſecularis in eo virgã, vel gladiũ Apoſtolicæ poteſtatis ti-

[a] *videtur eſſe Aſteropæus, de quo Hadr. Iun. Adag. Cent 8. & Braſſican. in Prouerb. Symm imò Aioth filius Gera, de quo Bib. Iud. 3.*

[b] *v.e abſcondit: reſpexit verò Neubrig. ad Pſal 18. verſ. 7.*

meret : & ecclesiasticus nulla se ratione, vel auctoritate contra eminentiam regiam tueri valeret. Denique de potestate in immensum glorians, vt Metropolitanæ ecclesiæ, quæ adhuc eius videbantur aspernari excellentiam, ex perirentur potentiam, ad vtramque tremendus accessit. Et primò quidem ad Eboracensem, cuius infestissimus erat electio. Præmissoque cum terroribus ad clericos eiusdem ecclesiæ mandato, vt sibi tanquam Apostolicæ sedis legato solemni more occurrerent, cum illi aduersus eum appellandum duxissent, appellationi ad superiorem potestatem factæ nō detulit: sed appellantib. optionem dedit, vt aut iussa complerent, aut tanquam rei maiestatis in carcerem regium truderentur. Territi ergo paruerunt: & ne mutire quidem vlteriùs cōtra eum audentes, tanquam triumphāti quātum voluit honoris & gloriæ dissimulata tristitia impendērunt. Præcentor verò eiusdem ecclesiæ paulò antè declinauerat, vt non videret quod absque animi tormēto videre non posset. Quo ille comperto sæuiens in absentem tanquam in rebellem, motu impla-

cabili per ſatellites proprios rebus eum omnibus ſpoliauit. Deprædato quoque Archiepiſcopatu atque in fiſcum redacto, triumphator inclytus abiit. At non multò pòſt de Cantuarienſibus, cum nemo illi iam auderet reſiſtere, non diſſimiliter triumphauit. [a] Vtrimque ergo ſedem Metropolitanam habēs ſubſtratam, vtraque vſus eſt, vt voluit. Denique ipſum illo tempore in Anglia & pluſquam Regem experti ſunt laici, & plus quàm ſummum Pontificem clerici: vtrique verò, tyrannum intolerabilē. Quippe duplicis occaſione poteſtatis, duplicem indutus tyrānum, ſolis complicib. & cooperatoribus ſuis innoxius, cæteris indifferenter non tantum pecuniarum ambitu, verùm etiam dominādi voluptate erat infeſtus. Faſtus fere eius in omnibus pluſquam regius erat. Orientalium more regum tanquam in expeditione iugiter poſitus, armorum circa cubiculum ſuum habere excubias voluit. Procedebat cum mille equis, & plerumque etiam numeroſiùs. Legationis ſuæ nomine hoſpitia a cūctis per Angliam exegit monaſteriis. Et á minorib. quidem quæ pondus hoſpitij ferre non

[a] *v. e. vtramque.*

poterant: certa, id est octo vel qninque marcarum summa redimi hospitia censuit: maioribus verò incumbebat, velut locusta. Elienſis quidē Episcopatus redditus vberes esse noscuntur: sed quantus erat ipsorum modus, ad immoderatissimas præsidentis expensas? Exhausit ergo expensarum profluuio non solùm ærarium regiū, verùm etiam quidquid ex regno, monasteriis, ecclesiis quacunque occasione siue per se, siue etiam per officiales proprios corradere poterat. Præfecerat enim singulis prouinciis, singulis perdendis magis quam regendis, nequissimos auaritiæ suæ administros qui non clerico, non laico, religioso parcerēt, vel a deferrent, quo minùs Cancellarij commodis inseruirent; sic enim dicebatur, cum esset Episcopus: & Episcopi quidem in illo nullum vel tepidum: Cancellarij verò nomen per vniuersam erat Angliam insigne atque terribile. Prouinciarum verò præfectos, quò prouincialibus essent formidini, sub prætextu publicæ prouisionis, tanquam ad arcendam vel ad coërcēdam latronum audaciam voluit habere in ministerio obetrātes armatas

a v c. defenderent.

immanium barbarorum cateruas, a quibus vtique passim & impune debaccantibus innumeræ in prouinciis enormitates & crudelitates patratæ esse noscũtur. Sanè quoniam [a] regni optimatibus insolentiam fastumque eius execrantib. parum se credere poterat: propinquarũ suarum connubiis plurimos sibi potentes & nobiles deuincire curauit. Quis enim nobilium eo tempore vxorẽ non habens, vel filio suo siue nepoti vxorem accipere cupiens, oblatam sibi aliquam propinquarum Concellarij, quarũ turbam idem huius rei gratia ex Normannia in Angliam acciuerat, obuiis manibus nõ acciperet: nec præclaram affinitatem sub spe magnæ promotionis optaret? Cum ergo hoc modo astrinxisset sibi nobilium plurimos: cæteros verò vel confregisset terroribus, vel arte [b] & officiis deliniset, solùm tamen metuebat Ioãnem Regis fratrem, vtpote longè potentiorem cæteris, & speratum regni successorem, si fortè Rex in illa tam laboriosa, periculosaque peregrinatione deficeret: cuius vtique reditus non solum incertus erat, sed etiam causis valde probabilib. despertatus. Denique

[a] *v. c. Regis.*

[b] *v. c. vel.*

ne forte Rege peregre moriente, & Ioã-
a v.c.inne-ctit rite. ne [a] succedente propria expiraret po-
testas: arte (vt dicitur) agẽdum putauit,
vt Ioannes iam adultus nõ succederet,
b v.c.te-nerrimi sed malè. sed per successorem [b] tenerum longi si-
bi temporis [c] imperium pateret. Duo-
c v.c pote-statem. bus itaque fratribus suis ad Regẽ Scot-
torum directis, petiit, vt firmissimo sibi
fœdere, cohærerent ad præficiendum
regno Anglorum Arturum Britonem
ipsius pronepotem, si fortè Rex pere-
gre in fata concederet: eo quod illi po-
d v.c. Geo-fridо. tissimum, nato scilicet ex [d] Godefrido
fratre Regis maiore, successio regni cõ-
peteret, potestans, Regem litteris ex
Massilia siue Sicilia ad se directis Artu-
rum nepotem suum, si fortè ipsum non
reuerti contingeret, regni successorem
designasse: &, vt illi adhuc paulò am-
plius quàm quinquenni regnum vsque
ad annos viriles seruaretur, mandasse.
Hoc quidem mysterium inter duos il-
los potentes occultis tractatum susur-
ris non diu latuit Ioannem. Qui con-
ceptum rancorem subtili pro tẽpore cau-
tela dissimulans: suæ parti, quoscunque
poterat prudenter allicere, artemque
e v.c. eluz dere arte [e] illudere studit.

Quare Rothomagenſem Archiepiſcopum Richardus Rex de Sicilia in Angliam miſerit.

Cap. XV.

DVM talia in Anglia per vnius hominis [a] auſus inſolentiſſimos gererentur, Regi in Sicilia hyemanti vniuerſa fideli multorum innotuêre relatu. Qui mox Galterium Rothomagenſem Archiepiſcopum virum prudentem & modeſtum (qui cum ipſo hyemabat) direxit in Angliam, cũ Regij auctoritate reſcripti Cancellario per omnia in adminiſtrãda rerum ſumma conſortem, & collegam adiungẽs: ac, nequid in eadem adminiſtratione eo non pariter diſponente fieret, diſtrictè præcipiens. Hugonem quoque cognomento Bardulfum, virum prudentem & nobilem miſit cum eo, Eboracenſi [b] præficiendum prouinciæ; in qua frater Cancellarij ritu barbarico graſſabatur. Verùm idem Cancellarius pro-

[a] *inv. c. hæc aberant.*

[b] *malè, antea, perficiẽdum.*

pensiore sui fiducia regia contempsit mandata, allegans optimè sibi notam esse Principis mentem, cui magis obtemperandum esset, qaàm sine mente
a *v.c.sonit.* [a] solis litteris, scilicet surreptione elicitis. Cumque memoratus Archiepiscopus Cantuariam ire disponeret, vacantem ordinaturus ecclesiam, prout a Rege acceperat: Cancellarius ad eiusdem iam sedis prærogatiuam aspirans, hac eum citò sollicitudine exuit, maturam ei præsumptionis pœnitudinem, si vel tentaret illuc contendere, terribiliter comminatus. Itaque idem Rothomagensis ociosus morabatut in Anglia. Cancellarius verò in regni administratione collegæ impatiens: vt singularis ferus Angliam despacebatur. At non diu homo insolentissimus quietam egit tyrannidem, malis aduersus eum paulatim succrescentibus, auctore maximè atq; incentore fratre Regis Ioanne, ob causam superiùs memoratam. Primi autem contra eum motus talis fuit occasio.

Qua occasione Ioannes frater Regis restiterit Cancellario.

Cap. XVI.

GERARDVS de Camuilla, vir diues & nobilis summa non modica emerat a Rege castelli Lincolnienſis custodiam, quæ vxori eius iure hæreditario competere videbatur : nec non & adiacentis prouinciæ præsidatum, ad tempus certum. Rege autem in orientali expeditione posito cum ferè nullus reditum eius [a] speraret : Cancellarius ferè vniuersis per Angliam munitionibus regiis in eius potestate consistentibus, arcem quoque Lincolnienſem ad suam ordinationem traducere voluit, nactusque occasionem, vel veram, vel subornatam, prædicto Gerardo præsidatu priùs spoliato, arcem mox resignare præcepit. Ille verò necessitate cogente ad Ioannem se contulit: eiusq; fauore fretus, iussionem spreuit. Indignatus Cancellarius, eandem arcem

[a] *v c spira ret.*

obsessurus ex subiectis prouinciis propere cogit exercitum. Optimatum autem plurimos habens suspectos, [a] non frustra eos conijciens pronioris esse studij ad Ioannem: profusioribus sollicitatam stipendiis transmarinam accersit militiam. Cuius tamen aduentum homo feruidus & moræ impatiens minimè præstolabatur; sed ciuitatem Lincolniam cum ingentibus copiis ingressus, arcem [b] pertinaciter obsidet, & conficiendis cum festinatione machinis sumptuosum laborem impēdit. Sanè illo circa obsidionis negotium occupato, Ioannes cum suis super munitiones regias, scilicet de Notingcham & Tikehil improuisus irruit, easque viris & victualibus parum munitas inueniens, bidui negotio cepit. Tunc crescente fiducia superbo denuntiauit obsessori: vt vel soluta obsidione recederet, vel certè se ad excipiendum eius in proximo impetum [c] præpararet. Sciens ille Optimatum plurimos, qui secum esse videbantur, animo esse cum Ioanne, confusus abscessit, & post dies paucos vnum ex cornibus suis [d] resectum esse, id est legationis suæ officium per

[a] *v.c. insevit, &c.*

[b] *v. c. pervicaciter*

[c] *v. c. insevit, cautius.*

[d] *v.c. fractum.*

mortem Romani Pontificis exſpiraſſe cognouit. His territus, amicis mediantibus ſolenne cum Ioanne colloquium habuit: & quibus potuit conditionibus pacem cum eo fecit. Mox verò militiã illam, quam accerſire curauerat, tranſmarinam in Anglia applicuiſſe atque aduentare cognoſcens: reſumpto ſpiritu reſiluit a pactis, & proteſtatus eſt vel ſe, vel Ioannem ex Anglia propellendum, tantam ſcilicet regni latitudinem duobus tam grandibus, immo tam tumidis ſignificans non ſufficere capiendis. Tandem tamen inter eos facta eſt pax conditionibus nouis: dum ille (ſicut dicitur) Ioanni ſatisfaciens abiurata parte Arturi, & cautione præſtita, quod Ioanni tãquam iuſto hæredi munitiones regias redderet, ſi fortè Rex ab Orientis partibus non rediret. His actis Ioannes pro tempore quieuit. Cancellarius verò faſtu agens ſolito, tyrannũ non exuit. Solum enim tanquam alter [a] Herodes metuebat Ioannem, & audito eo multa faciebat, & quidem non libenter, ſed planè reuerenter eum audiebat.

a ſcilicet Cancellarium, Herodi: & Ioannem Regẽ, quẽ timebat. Ioanni Baptiſtæ, quẽ Herodes verebatur, cõponit.

De captione Eboracensis Archiepiscopi, & expulsione Cancellarij.

Cap. XVII.

INTEREA Godefredus Eboracensis electus, in transmarinis partibus constitutus, ordine præpostero ante Pontificalem consecrationem insigne Metropolitani, id est pallium a Romano Pontifice petiit & accepit. Consecratio verò eius post acceptionem pallij diusculè dilata est, impedientibus eũ per obiectiones varias aduersariis plurimis, & maximè memorato Cancellario. Verumtamen per instantiam clerici sui Simonis Apuli, viri prudentis & litterati tandem prævaluit; & impetrato Cælestini Papæ, qui Clementi successerat, ad Archiepiscopum Turonensem rescripto, vt ei, non obstante vel appellatione vel occasione qualibet, manus imponeret, Turone solenniter est consecratus, anno a partu Virginis M. C. nonagesimo primo, men-

se Augusto. Quod vbi comperit principalis eius insectator Cãcellarius: mox per satellites proprios Eboracensis Archiepiscopi tyrannicè possessiones insit : & præter res immobiles, cætera probus dilapidator, vel potius deprædator abrasit. Portus quoque cautè custodiri præcepit : ne fortè illi liber esset [a] in Angliam ingressus, vel ad Ecclesiam suam accessus. Ille verò nihilominus aduenies, apud Doueram confidenter applicuit : sed maiorem in terra quâm in mari procellam inuenit. Custos enim castri Douerensis, habens in coniugio germanam Cancellarij appulso progressum inhibuit, atque eius ingressum citissimis Cancellario nuntiis indicauit. Qui ferocis animi motum nequaquam dissimulans: præcepit eum rebus nudatum omnibus in monasterio Douerensi custodiæ mancipari. Venientes ergo missi a tyranno satellites : vehicula & clitellas, & quęcunque eius, vel clericorum eius erant, diripuêrunt : eumque in Ecclesia inuenientes, nec personæ clarissimæ, nec sacri loci reuerentiam habuêrunt : sed a vene-

[a] v c. inter scribit, vel.

rabili altari violenter auulsum, & ab Ecclesia cõtumelioſe extractum vna cum clericis ſuis caſtello intruſérunt. Et ille quidem ſeruabatur in carcere. Fama verò enormitatis huius diſcurrens, & quaſi gradiens ſuper pennas ventorum, in breui Angliam repleuit. Maiores in Cãcellarium fremunt: minores eidem mala imprecantur, vniuerſi votis communibus tyrannum deteſtantur. Ioannes maximè de fratris captiuitate doluit; atque ad eius nõ tantùm liberationem, ſed etiam vltionẽ iuſtiſſimo motu exarſit. Itaque feſtinanter congregatis ex omni terra ditionis ſuæ, nec non & ex regione Vvalliarum ingentibus copiis præparabat exercitum. Cui mox acceſſere Vvintonienſis Epiſcopus, & Barones plurimi, Comiteſque nonnulli cum militia copioſa, nec defuere Epiſcopi Batenſis & Ceſtrenſis: qui paulò antè principales Cancellarij complices & fautores exſtiterant, ſed tyrannicis eius moribus, & immoderato faſtu offenſi, cum cæteris, immo præ cæteris in eum tunc linguis ſimul & animis ſæuiebant.

[2] Pœnitudine ſtimulatus, quod tantam contra ſe flammam petulanti auſu accẽderit,

[2] *v. c praponit: Cancellariusve rò ſera.*

derit, præcepit captiuum relaxari Pontificem. Qui dimissus venit Lundonias, & illatæ dolorem iniuriæ abundantioribus multorum affectibus, atque officiis compensauit. At non sicut eius captione Præsulum, Procerumque zelus excitari: ita etiam eius potuit relaxatione sedari. Semel enim accensi animi per hanc quasi satisfactionem nequaquam deferbuêre: sed ad confringenda Rhinocerotis illius cornua, omnium vota & studia laudabili constantia conuenére. Ille, cum esset animi robusti, & rigidi, necessitatē [a] ad alacritatem trahens, amicorum & militum peregrinorum stipauit se copiis, stetitque in campo nón longè a Vvindesora, hostes, si fortè progrediendum putarent, paratus excipere. Verùm aduentantis exercitus numero & fiducia territus: retrogradi cœpit. Mox quibusdam potentibus, qui cum eo esse [b] visi fuerant, transeuntibus ad partes Ioannis, cum ei in vicina munitione regia, scilicet Vvindesora tutum non deesset receptaculum, turbatus inopsque consilij, instantibus a tergo hostibus, cum suis omnibus profugit Lundonias. Quas in-

a *v. c.* &.

b *v. c. vide bantur.*

greſſus, ciuibus, quibus paulò antè ter-
a v.c.ne. ribilis fuerat: [a] vt ſibi non deeſſent, in illo articulo humiliter ſupplicauit. Illi verò prioris faſtus & ferociæ eius memores, Ioanni potiùs fauorem præſtitérunt. Itaque ſpe ſua fruſtratus, quod ſolum poterat, a facie hoſtis imminentis in arcem ſe regiam cum omnibus ſuis recepit, quorum tantus erat numerus, vt in vnius turris anguſtiis ſua illis eſſet multo nociuior multitudo, quàm hoſtium foris frementium fortitudo. Æſtuabat turris interius cõpreſſione multitudinis incluſæ, citò euomitura quos prodendos magis quàm tuendos ſuſceperat. Denique poſt vnam noctem egreſſus ad Ioannem & obſeſſores cæteros ille paulo ante Rhinoceros, ſed iam homo, humili alloquio abeundi facultatem impetrauit incluſis. Ipſe quoque arce reſignata cum cæteris per Angliam munitionibus regiis priuatus & inglorius, Doueram ad virum ſororis ſuæ conceſſit. Cernere erat tunc hominem modo, paulo ante non contentum humano, ſed pæne cogitantem ſupra aſtra cæli exaltare ſolium ſuum,

& aſcẽdere ſuper altitudinem nubium, deiectionis ſuæ dedecus ita [a] ferre; vt ferè aduerſarijs ſuis condolentiam ac pudorem obijceret. Tandem tamen cum potius ad eccleſiæ propriæ regimen Epiſcopus debuiſſet accedere, ſi ſobrium vexatio dediſſet intellectum, apud Douerum nonnulla mora facta, tanquam in Anglia confuſionem ſuam non ferens, vel certè liberiùs trans mare pro vltione propria aliquid molituru, transfretare voluit. Impediri autem metuens, miri acuminis, qua omne impedimentum eluderet, artem inuenit. Olim enim animo & merito exutus, Epiſcopum habitu quoque exuens, membris non tantum virilibus, more effeminatorum: ſed etiam Pontificalibus, quod a ſeculo non erat auditum, veſtem ineptiſſimè apta-uit muliebrem; caput quoque & maiorem faciei partem velut delicata muliercula, peplo obuolutus, inter plurimos deambulabat in littore, læuo brachio telam lineam, tanquam venalem, vlnã verò manu dextera præferns; ſcilicet vt hac arte nõ obſeruatus ab aliquo,

[a] v. c. habet aliud planè ita pati, vt illis animo Sicuti nequaquam potuiſſe videantur inuenire tyranni tormentũ maius.

nauim cum cæteris transfretaturus absque impedimento intraret. Verùm a quodam fortè agnitus prodituſque, abſtracto peplo tanquam manifeſtus effeminatus ignominioſè multumque inepiſcopaliter a concurrentibus eſt indiſciplinatis pulſatus. De hinc magiſtratui loci exhibitus, ſeruatuſque eſt, quouſque ſciretur, quid ſuper hoc decernerent regni potentes. Ioannes quidem agnito, quod acciderat, hoſtili animo exſultauit : atque aliquid, in eum, quo magis dehoneſtaretur, ſancire voluit. At verò Epiſcopi iuſto rubore ſuffuſi, quod in perſona Epiſcopali tam fœda res accidiſſet, vigore eccleſiaſtico, vt dimitteretur, egérunt. Dimiſſus ergo, & foris quantùm poterat, diſſimulans, quo intus vrebatur, transfretauit.

De ordinatione regni post repulsionem Cancellarij, & molitionibus eius irritis.

Cap. XVIII.

TYRANNO igitur, qui regnum turbauerat, propulsato: Episcopi & Optimates cum [a] Ioanne Lundoniis congregati de regni ordinatione tractare cœpêrunt. Et primo quidem ab omnibus, Regis Richardi propter Christum peregrinantis fidelitate iurata, regni administrationem Rothomagensi Archiepiscopo, (quem ad hoc ipsum idem Rex a Sicilia in Angliam miserat) decreto communi tradidêrũt: amotisque ministris tyrannicis, prouinciarum regimẽ melius ordinari voluérunt. Quibus actis, Anglia in cunctis finibus suis pacem recepit, & decenti sub nouis cœpit rectoribus moderamine gubernari: malis plurimis, quæ sub tyranno pullulauerant, atque viguerãt, pariter cum ipso eliminatis; iuxta illud

[a] *Ricardi Regis fratre.*

a Prou. 22. a Salomonis. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causſæ & contumeliæ.* Sanè illi, quorum laudabili opera hæc regno Anglorum salus influxerat, molitionum illius hominis non ignari, quod scilicet Regem etiam longissimè positum concinnatis præuenire atque imflammare curaret mendaciis, integram rerum veritatem regi per litteras significandam duxêrunt, cum accessionibus signorum appendentium plurimorum. Præterea Rothomagensi Archiepiscopo, cui rerum principaliter summa fuerat commissa, regnique Episcopis visum est, vacanti primę sedi (ad quam tyrannus aspirauerat, & fortè adhuc aspirabat) maturius, quo eius spes frustraretur, prouidendum esse pastorem. Inuitati igitur ad celebrãdam ex more futuri Metropolitani electionem, Cantuarienses, Bathensem Episcopum solemniter elegêrunt. Verum is a haud multò post, nondum inthronizatus decessit; spemq; Cancellarij, sua fortè electione mortuam, moriẽdo resuscitauit. Qui nimirum in transmarinis positus, suam, tanquam ad Domini Régis propter Christum peregri-

a *v. c. post modicum nondum.*

rantis iniuriam & dedecus pertinentẽ expulsionem, regnique a Ioanne inuasionem, per nuntios in auribus Domini Papæ Cælestini deplorauit, redditisque sibi vicibus sedis Apostolicæ, quas sub Papa Clemente habuerat, pro coërcendo Ioanne, & reuocando in pristinum statum regni Anglici, rescriptum fortissimũ impetrauit. Verum idẽ rescriptum quadam Episcoporum Angliæ cautela delusum viribus caruit. Vidẽs ergo nihil a se agi posse Ioanne aduerso: per clandestinos nuntios collusit cum eo, ingentique summa illi vel prę stita vel promissa, fauorem eius emeritus, confidenter in Angliam venit. Applicans autem apud Doueram, mox vt malè sibi notum littus attigit, tanquã ad [a] detergendum dedecus, quod ibidem incurrerat, erectis suæ legationis insignibus glorioſus refulsit. Non tamen progressus est, sed apud Germanæ virum sedit, [b] vt agnosceret, vtrum cum metu vel regio, vel Apostolico inclinati reciperent aduersarij, cum iam placauissent maximum omniũ Ioannẽ. Huius rei gratia missis Lundonias nuntiis, litterisq; ad Reginam matrem Regis, quę

[a] *v.c detergendum.*

[b] *v c. donec*

nuper a Sicilia venerat, & tunc fortè cum Rothomagensi & Eboracensi Archiepiscopis, & Ioanne filio aliisque compluribus, tã Episcopis, quàm Optimatibus Lundoniis consistebat, secus quàm sperabat, inuenit. Cum enim Ioannes collusionem, quanta poterat cautela dissimulans, molliùs tum agendo deprehenderetur, atque obiurgaretur a matre & cæteris; tandem flexus generali subscripsit decreto. Itaque vniuersi cum Regina directis ad Cancellarium viris honoratis, eum tanquam regni turbatorem hostemq; publicum Angliæ finibus maturè excedere cum interminationibus præceperunt. Denique territus & confusus recessit, siluitque gemens vsque ad tempus. Quia verò quales, Rege peregrinante, res Anglicæ fuerint, superiori narratione perstrinximus: nunc ad eiusdem peregrinantis acta, prout ab eis, qui intefuêre accepimus, explicanda veniamus.

De processu Regum a Sicilia, & impedimentis Christiani exercitus apud Acram.

Cap. XIX.

Gitvr illustribus Francorum, Anglorumque regibus in insula Sicilia sub exspectatione vernæ expeditionis hiemantibus, regina Alienora anilis oblita ætatis, nec reputans longitudinem seu difficultatem itineris, aut rigorem temporis hiemalis, dum materno duceretur vel potius traheretur affectu: a finibus terræ in Sicilam venit ad filium, secum adducens nupturam illi Regis Nauarrorum filiam, famosæ pulchritudinis & prudentiæ virginem. Et quidem tam ineptum quàm & inusitatum videbatur, vt in præcinctu bellorū de voluptate cogitarent, & quam vxorem duxisset, mox secum ad prælia duceret. Attamen hoc in regnante iuuene non tantùm vtilitatis, verum etiam salubritatis ratio honestebat. Nam & in

illo articulo ſobolem quærere, cum filium qui ſuccederet non haberet, vtile fuit: cumque eſſet pro ætate & vſu deliciarum lubricus, bellorum propter Chriſtum pericula ſubiturus cõtra maximum fornicationis periculum competenti remedio, ſalubri vſus conſilio ſe muniuit. Adductam ergo virginem duxit vxorem, eandem per maris Martiſque diſcrimina ſecum ducturus, vna cum nobili vidua, propria ſcilicet Germana Guillelmi illuſtriſſimi olim Regis Siculorum relicta. Quæ nimirum præclari coniugij ampliſſimã in Sicilia ſiue Calabria, dotis nomine habens mercedem, eadem dote Regi Tancredo abſolutè vendita, vt fratrem Regem ſequeretur, eius in immenſum auxit theſauros. Adeſt tandẽ longis exſpectatus deſideriis menſis Martius. tranquillatur mare. arridet cælum. Chriſtianorum ingẽs numerus, qui relictis ante hyemem propriis, in diuerſis prouinciis, tranſiturus in Syria egerat, cum ſolemni lætitia & alacritate naueis aſcendit. Memorati quoque Reges cum ſuis copiis claſſem ſoluunt. Rex Francorum ſpatio dierum aliquot Regem Anglorũ mox ſecuturũ

præcedens, & ſecundis flatibus circa octauas Paſchæ in Syriam veniens, Chriſtiano exercitui ciuitatem[a] Ptolemaida (vt ſuperiùs dictum eſt) iam fere biennium obſidenti, totis viribus iungitur. Huius autem exercitus tanto tẽpore ſub diuo excubantis ad tantũ negotium tam laudanda quàm miranda deuotio eſt, & illa nullis caſibus ſiue periculis, nullis incommodis, ſiue laborib. laſſata cõſtantia, quo minus hoſtes atrociſsimos vſque ad exterminium debitũ coartarẽt. Ciuitas olim a Chriſtianis ad ſummam claritatẽ & præcipuum robur euecta, poſtquam in manus impiiſsimi Saladini quantò minori negotio, tantò manifeſtiori Dei iudicio incidit, per eiuſdem tyranni prouidam & ſumptuoſiſsimam operam mœnia longè firmiora, & multiplex, tanquam primos Chriſtianorum impetus expertura, munimẽ accepit. Vniuerſi eius defenſores electi, nulluſque in ea remiſſus vel languidus. Et ſi fortè quemquam debilitari contigiſſet, maturè multabatur. Nam propter portum, quo vrbi adiuncto potiebantur Pagani, inhibere non poterant obſidentes Chriſtiani, quin captata flatuum & temporum opportunitate

[a] *v. c Tholomaidam.*

quæque neceſſaria ciuitati inferrentur. Fiebant autem ab obſeſſoribus diuerſi generis machinæ, arte & ſumptu inani. Muris enim admotę, incedebantur ab hoſtibus, quodam ignis genere, quem Græcum dicunt. Denique hoc genus arte confectum miræ eſſe potentiæ dicitur, nec contrario cedere elemento. Cumque vrbs abundaret ſubſidiis, grani plerumque penuria noſter exercitus laborabat. Non enim poterant noſtri ad agendas prædas & [a] comportanda exercitui neceſſaria egredi in regionem Turcorum, iugiter hanc procul obſeruante exercitu, atque omnem illis inhibente excurſum, ſed marino tantummodo commeatu, tantus Chriſtianus exercitus alebatur: & cum fortè parciùs adueheretur ſubſidium, famis incommodo tabeſcebat. Tantus autem numerus per ſingulos dies, vel inedia, vel morbis abſumebatur: vt exercitus ita ſenſim deficiēs in breui totus abſumendus videretur, niſi diuina prouidentia tantis & quotidianis defectibus, in ſingulos dies affluxiſſent, quorū acceſſione deficiens exercitus ſupplebatur. Prętera quædā mala interna, auctore dia-

[a] *malè antea, comportandi.*

bolo, quantùm inter noſtros ſerpebant, tantum & hoſtē iuuabant. Guido enim olim Rex Ieroſolymorum, & Marchio de Monte Ferrato, cauſſa ſuperiùs memorata diſſidentes, ad exercitum venerant, atque in ipſa obſidione ita locis diſtincti, vt animis, multam poſt ſe turbam trahebant: dum potentum plurimi parteis oppoſitas diuiſis proſequerentur fauoribus, in tātum vt religioſa hoſpitalis Ieroſolymitani militia in duo collegia pro ſtudio partium ſciſſa videretur. Principibus itaque in diuerſa nitentibus, exercitus minus agere poterat, & Chriſtianum lente negotium procedebat, nonnullos quoque Principum noſtrorum (vt dicitur) auaritiæ tabes infecerat, clandeſtinis a Saladino pecuniis, cum plurimum poſſent, vt remiſſius agerēt, expugnatos. His igitur cauſis propoſitum impedientibus, exercitus noſter multo tempore circa vrbem expugnādam caſſo labore ſudauit. Verùm cum noua militia Rex Francorum aduenies, feſſorum auxit fiduciam, & de cætero fortius atque efficacius negotio inſtabatur. Denique idem, [a] Marchio propenſius fauorem accommo- [a] *v. c. Marchioni.*

dans, atque eo, qui regnum Christianum perdiderat, illum qui reliquias saltem paruas saluauerat, eidem regno aptiorem pronuntians, partem Guidonis pro tempore infirmauit.

Quomodo Rex Anglorum adquisiuit insulam Cyprum.

[a] Cap. XX.

[a] *huius & insequentis capitis desiderabantur numeri.*

Gitvr Rex Anglorum diebus aliquot post Regis Francorum profectionem in Sicilia demoratus, tādem ipse cum suis copiis & longè maiori apparatu non satis fidis se flatibus credidit, habēs in suo comitatu naueis actuarias atque onerarias plurimas. Quippe in illo hiemali otio otiosus nō fuit: sed congerendis necessariis exercitui subsidiis, & conficiendis machinis bellicis tempus imbelle impenderat. Dei autem ordinatissima prouisione, vt consequenter claruit, oborta tempestas fatigatam compulit classem in Cyprū diuertere, tanquam Christianorū incolarum fideli ac tuto colligendam ho-

ſpitio, atque officiis confouendam. Verùm maiorem in portu optato, quàm in mari turbato turbinem offendérunt. [a] Tyrannus enim, qui eandem inſulam ſæua dominatione annis iam plurimis preſſerat, & imperatorium ſibi in ea nomen vſurpârat, Chriſtiani nominis hoſti Saladino federatus: ipſique quàm Chriſto fidelior, licèt Chriſtianus diceretur, cum exercitu affuit, & primos, fluctuum ſæuitia in portũ coactos, ſæuior ipſe excipiens, indignè tractauit, & bonis omnibus ſpoliatos, vix vita dignos cenſuit. Quoſdam etiam redegit in carcerem inedia conſumendos, Regi mox affuturo [a] non diſſimilia comminans. Quibus ille agnitis, iuſto ad vltionem Zelo inflammatus, cum tota claſſe portum intrauit. Excipitur à tyrãno, & totis hinc inde viribus conſeritur prælium. At non diu Græca mollities impetum ſuſtinuit Latinorum. Victus ergo tyrannus, dum tentaret fugere, incidit in manus hoſtium, diſperſoque eius exercitu, ciuitas portui imminens capta eſt. Rex quidem primò in tyrannum mitiùs agere voluit, & pro ſua liberatione quicquid exigebatur pollicẽtem,

[a] *Monachus Altiſſiod. appellat Pſeudo imperatorem.*

[b] *v. c. addit. ore Turcicrepo.*

celebratis cum eo pactis relaxauit. Verùm ille libertate reddita præuaricator pactorum, malis prioribus perfidiam sociauit. Rex verò præmaturæ clementiæ pœnitens, inuestigare perfidum, & persequi statuit. Ille vires resumere, atque exercitum cogere frustra conatus, fugiebat a facie persequentis: quem tandem Rex in quodam monasterio delitescentem, prodētibus eum quibusdam insulanis, quibus meritò exosus erat, comprehendit, & vinculis iustissimis innodauit. Vinciri autem iussus, dixisse fertur, quod ferro vinctus citò deficeret. Ad quod Rex, bene (ait) loquitur, quia nobilis est, & mori eum nolumus: sed, vt viuat innoxius, argenteis astringatur cathenis. Mox tota insula [a] tyrāni saucia moribus, sponte in eiusdem Principis ditionem deuotionemq; concessit, cunctis illi vrbibus & munitionibus, [b] nec non & opulentissimis tyranni thesauris cum vnica eius filia resignatis. Quibus feliciter actis, per dies aliquot in regno nouo, cum victricibus copiis victoriam cum multa gloria celebrans, præclaras manubias ad Christianæ expeditionis subsidium sollicitus

[a] *v.c. tyrānicis.*

[b] *Append Sigib. add: t cum equo eius mirabili.*

tus ordinabat. Non latuêre ista Christianum exercitum, qui Ptolemaidem obsidebat, atque eius cũ desiderio præstolabatur accessum. Verùm præclari successus audita felicitas, cui congratulandum, non derogandum erat, necessariam eius moram purgauit. Ipse verò paulò plus duobus mensibus in Cypro exactis,& rebus magnis spatio tam breui patratis,hilares copias in Syriam traducendas,ad naueis reuocauit.Ordinata igitur, prout voluit & decuit, insula, cunctisque rite dispositis, arridentibus quoque elementis,portu egreditur, rectoque cursu Ptolemaida properans: trierem maximam onerariam eminus conspicatur, quæ [a] in mare a Saladino missa, obsessis in Ptolomaide multiplicis subsidij copiam deferebat. Quo ille cõperto,iubet eam oppugnari. Verùm cum nõ facilè propter enormem posset magnitudinem & virtutẽ defensorum, desuper tanquam ex arce pugnantium expugnari, rerum, quæ in eo erant dispendio, expugnationis eius compendium, Rege volente quæsitum est. Arte quidem sub aquis perforata, mari per foramina latẽter immisso pondere pau-

[a] *v.c.nimirum: quaque, inquit, append. Sigiber. si ad subsidium paganorum peruenire potuisset sine dubio ciuitas capi non potuisset.*

latim subsedit, & tandem cum omni onere demersa est in profundum. Et res quidem omnes, cum parte hominum nonnulla periêre. Cæteri verò in naueis profiliendo hostiles, [a] consultè hostibus, quàm fluctibus se credere maluêre. Classis verò regia cum salute & gaudio attigit littus optatum.

[a] *Sic omnino v.c. lucèt appareat scribendum consultiùs.*

Quibus causis Reges desidere cœperunt apud Acram.

Cap. XXI.

ILLVSTRIS itaque Rex Anglorum post Pentecosten a Cypro digressus, paucis, ante solemnia beati Baptistæ Ioannis, diebus Ptolemaidæ, quę [b] Acra vulgò nũc dicitur, cum vniuerso comitatu suo applicuit, & a cunctis Principibus omnique exercitu tanto susceptus est gaudio, quanto priùs desiderio fuerat exspectatus. Porro Regem Francorum tanta eius gloria vrere cœperat, & cordis sui æstus tabificos ægre dissimulabat, cum se intueretur viribus, & opibus longè imparem, illum verò

[b] *sic supra 118. l. 3. cõtinu. Sigib. & cap. sucred.*

propter virium opumque magnitudinē & succeſſuum claritatem excellentiùs eminere, & propenſius coli ab exercitu, & ad eius iam agenda omnia pendere arbitrium. Domine Ieſu ſeminator [a] nonne bonum ſemen ſeminaſti in cordibus duorum Principum iſtorum, tanquam in agro proprio? Vnde ergo ager iſte tuus tam citò habuit Zizaniā? Planè inimicus hæc fecit, humani generis: plebis Chriſtianæ tam pio ſtudio inuidens, & tantos pro te ſuſceptos labores caſſare cupiens, bono ſemini ſanctæ deuotionis, quod manus tua ſeminauerat in cordibus Principum, vt opulentiſſima propter te regna relinquerēt, & delicias regias ſummis propter te laboribus atque periculis commutarent, ſuperſeminauit peſtiferam Zizaniam æmulationis, & contentionis, quatam bonum ſemen, & tam bona manu iactum infructuoſum atque inefficax redderetur: te quidem domine, hoc ipſum iuſtè permittente, ſed permiſſionis huius ratio penes te eſt. Cum igitur, vt dictum eſt, Rex Anglorum a Cypro triūphator inclitus ad obſidionem veniſſet, mox inter ipſum & Re-

[a] *v.c. interponit bonæ cæterum hæc inſequentiaque Auctor cōpoſuit ad parabolam Euangelicā Math. 13. exaratam.*

gem Francorum, quem eius iam mordebat felicitas, manifestè dissidendi seminaria, auctore Sathana prouenêrunt. Rex enim Francorum, ratione pacti, inter eos peregrinationem ingressuros solemniter habiti, quod scilicet omnem adquisitionem suam æquali inter se sorte diuiderent: medietatem adquisitionis Cypriæ tam in immobilibus quam & mobilibus, tanquam perspicuo sibi iure competentem exigebat. Ad hoc Rex Anglorum respondebat, medietatem omnium, quæ communibus adquirerent viribus, illi ratione pacti competere, se, propriis Cyprum viribus adquisisse; illum ea, in quibus nec modicè laborauit, exigere nō debere. Adiiciebat etiam, se & illum, cum peregrinationem arriperent, Saracenos, solummodo aggrediendi, & ab eis quantum possent, Deo propicio extorquendi intentionē habuisse, & iuxta hanc intentionem pactum de adquisitione diuidenda constituisse. Porro se Christianam insulam non ex intensione adisse, sed incidenter ad eam, causa vlciscendæ atrocis & adhuc flagrantis iniuriæ diuertisse. hoc modo illi duo altercabantur potentes.

Et Rex quidem Anglorum patratæ adquisitionis consortium Regi Francorũ modis omnibus denegabat: Rex verò Francorum, Regem Anglorum rupti fœderis, & pacti irriti arguebat. Alia quoque inter eos diffidẽdi causa emersit. Rex Frãcorum cum ad obsidionem prior veniſſet: parteis, vt dictum est, Conradi Marchionis contra Guidonẽ olim Ieroſolymorum Regem propensioribus iuuabat fauoribus. Et cum tandem Rex Anglorum poſt factã in Cypro moram neceſſariam iam adeſſet, nisus eſt eum Rex Francorum ad ſuam ſententiam trahere, allegans potiorem eſſe paucularum ſaltem reliquiarũ Chriſtianæ religionis [a] ſaluationem, quàm regni Chriſtiani [b] proditionem. Rex verò Anglorum acquieuit pronior in partem Guidonis, Aquitani ſcilicet hominis, cuius tota propinquitas ſub Rege agebat Anglorum. Denique allegãs pro eo: regnum, inquit, Chriſtianum perdidit non prodidit. Non enim illud ſua vel nequitia, vel negligentia, ſiue ignauia hoſtibus prodidit: ſed aliis nequiſſimè prodentibus, ipſe inculpabilis [c] dedidit, proditus ſimul ipſe perdituſ-

[a] *v. c. ſaluatorem.*
[b] *v. c. proditorem.*
[c] *v. c. hîc rurſus, perdidit.*

que cum regno, & a suis quidem nequissimè in manus hostium traditus; Deo autem propicio liberatus. Aut ergo culpa eius in hac parte declaretur: aut ei, qua nudari, non meruit, prærogatiua seruetur. Ægrè tulit Rex Francorum suam a Rege Anglorum, non approbari, ac per hoc & [a] infirmari sententiam. Et tunc quidem, cum suum nõ posset sancire decretum pro tempore siluit. Porro hæc dissensio maioris, vel indignationis, vel odij fomitem ministrauit. Cumque iam pars Guidonis per fauorem Regis Anglorum præstare videretur: præfatus Marchio eiusdem Regis potentiam veritus, cum suis Tyrum rediit. Sanè post accessum Regis Anglorum, exercitus Christianus contra vrbem obsessam inualuit, atque infra diem tricesimum, tanti temporis, tantique sudoris negotium, eiusdem maximè regis ferueñti, potentique opera egregiè consummauit.

[a] *male antea informari.*

De expugnatione Acræ, & præmaturo discessu Regis Francorum.

CAP. XXII.

GITVR vrbs insignis Ptolemais, quam nunc Acram dicunt, postquam obsidentes Christianos multo & diuturno labore exercuit, tandem ex- 1191.
pugnata est, anno gratiæ M. C. LXXXXI. Quinto Idus Iulij: anno, ex quo in manus Turcorum inciderat, quarto. Denique fortissimi propugnatores eius, cum iam Christianorum machinis cederẽt mœnia, cernerẽtque irruptionẽ instare hostilem: suimet, quod solùm poterant, prouidentiam habuêrunt: pactique sũt Principibus nostris pro vitę suæ redemptione, salutiferæ crucis honorificam, hoc est, cum mille & quingẽtis captiuis Christianis resignationẽ, nec non & pecuniã copiosam. Huic suorũ Saladinus necessitati, qui cum infinito exercitu nõ

longè aberat, & subuenire non poterat: auctoritatem præstitit, & ad hæc omnia persoluenda Christianis diem constituit. Itaque resignatam mox ciuitatem ingressus est cum exsultatione, & solemni gratiarum actione exercitus Christianus. Armorum & variæ supellectilis ingens ibidem copia reperta est: escarũ quoque plurimùm, opumque nonnihil. Illi verò, qui fortiter diu defensam ægrè tandem resignauerant ciuitatem, sub exspectatione diei a Saladino constituti, seruabantur. Tunc Rex Francorum delicati sibi hominis tempore belli notam inurens, æstus caulando molestiam, & quod illius [a] terræ aërem sustinere non posset, publicè protestatus: repatriare disposuit. Quod Christiano exercitui multùm displicuit, & fœda res visa est personæ tanti Principis: præsertim cũ plurimi aliter & fortè veriùs eius interpretarẽtur discessum. Quippe illustris Flandriæ Comes Philippus, qui cum cæteris fidelibus Christo militaturus in Syriam venerat: paulò ante expugnationem ciuitatis ibidem piæ militiæ munus expleuerat. Et quoniam idem Rex vacanti Flandriæ obtinendæ

[a] *Chron. Dionys. nõ hoc tantùm sed & quod reformidaret prodiciones Angli suspecti propter nũcios frequẽter legatos ad Saladinum, variáque munera ab eo recepta.*

inhiare videbatur: vt honestam discessionis causam prætexeret, peregrini aëris mendaciter causari molestiam credebatur. Dicitur etiam, quòd Regis Anglorum, cuius propter opes longè impares non poterat æquare potentiam, non poterat, nisi oculis ægris & animo saucio specialem videre gloriam: præsertim cum illi potissimum, quod iam actum erat ascriberetur: & ex hoc colligeret, quidquid de cætero Christianis viribus in Orientis partibus erat agendum, illi potiùs tanquam potentiori, quàm sibi ascribendum. Denique non omnino insciùs, quid de illo sentirent vel dicerent homines, nihilominus obstinato animo adornabat discessum. Rex autem Anglorum propter recentes dissensiones de beneuolentia eius minùs confidens: coram viris honoratis (vt dicitur) quod terris suis, & hominibus, vsque ad reditum suum foret innoxius, iuratoriam ab eo exegit, accepitq; cautionem. Ita magnus ille Rex Francorum, Christianum, cui serus aduenerat, præmaturè relinquens exercitum, infra quindecimum diem ab vrbe expugnata, cum multo suorum, id est Frã-

corum rubore nauem conſcendit & abiit. Et eorum quidem plurimi, qui illi deeſſe noluêre, cum illo abiêre. Porro Dux Burgundiæ, Comes Campaniæ, & quique nobiliores contemplatione ſuæ vel famæ, vel conſcientiæ, vel etiam ad abolendum proprij Principis dedecus : in terra ſancta pro tempore, & in ſancta militia perſiſtendum duxêre. Quibus nimirum ille (vt dicitur) diſceſſurus præcepit, vt Marchioni aſſiſterent : & quotiens ſe incidens præberet occaſio, Regi aduerſarentur Anglorum. Quod vtique poſtmodum ſiue Regij reſpectu mandati, ſiue etiam propria petulantia, ſiue malitia feciſſe noſcuntur. Vnde nimirum Chriſtianum negotium minùs proſperè geri potuit ; dum a Chriſtianis minus ſyncerè minuſque concorditer ageretur. Cumque idem Rex digreſſus a Ptolemaide proſperis flatibus veniſſet in Italiam : Romanum Pontificem adiit, & abſolui a quodam iuramento, quo ſe contra voluntatem ſuam aſſerebat aſtrictum, importunè (vt dicitur) poſtulauit. Suſpendit ad breue callidè poſtulantem vir altioris inge-

nij, moxque ſuperuenientibus a Syria quibuſdam, integrè rem edoctus: Illud inquit iuramentum, quod præſtitiſti Regi Anglorum, de pace, vſque ad reditum ſuum conſeruanda: quam vtique Princeps Chriſtianus abſque iuramento conſeruare deberes, nullatenus relaxamus, ſed tanquam honeſtum & vtile approbantes, auctoritate Apoſtolica roboramus. Itaque deprehenſus in aſtutia ſua, & obligatior quàm venerat: inglorius repatriauit; vulgatumque eſt apud Francos per quoſdam [a] concionatores mendacij, ad purgandum Regis ſui reditum, quòd eum Rex Anglorum inſidioſè, & nequiter, quærendo animam eius, præmaturè contra propoſitum ſuum redire compulerit.

[a] *v. c. concinnatores, & certè melius.*

Quæ acta sunt a nostris post discessum Regis Francorum, in Syria.

Cap. XXIII.

IGITVR Rege Francorum (vt dictum est) a Syria digresso, Rex Anglorum in vrbe capta, fessum otio necessario recreabat exercitum, nec tamẽ in illo otio otiosus circa reficienda, quę machinis cesserant mænia, sollicitè sa-
a pro die, repositi dies tagebat. Affuit tandem [a] dies a Saladino præfixus, quo sacri vexilli resignatio & compromissa captiuorum commutatio sperabatur. Verùm ille, cum nostros inani expectatione deluderet: Rex Anglorum iusto ignitus zelo captiuorum: qui vrbe expugnata sub prætaxata pactorum forma seruabantur, nobilioribus prouida consideratione retentis, duo circiter milia & sexcentos, pactis a parte Saladini non stantibus, decollari præcepit. Quo facto, Turcorum ingens in Regem proprium indignatio efferbuit, quòd electos iuuenes,

qui pro ipso fortissimè vsque ad propriũ discrimen sudauerunt, ingratus & infidus exposuisset gladio. Deniq; eorum, quibus munitionum custodia credebatur, dum exemplum verèrentur, ita labefactati, & collapsi sunt animi: vt tyrannus, fere cunctis pro recenti exemplo excusantibus, non habens, quibus ipsas munitiones crederet, eadem tanquam consilij inops etiam desereret. Euertebantur ergo & deserebantur indies per omnem prouinciam munitiones nulla vi, nullis expugnabiles machiniš. Sanè post Regis Francorum digressum exercitus Domini paulatim cœpit imminui. Eorum quippe, qui ad obsidionem Ptolemaïdis priores confluxerant, multa milia absumptis opibus, dũ sumptus ad persistendum minùs suppeterent: necessitate magis quàm voluntate repatriandum duxêrunt. Multi etiam sumptibus abundantes, vel laborum tædio, vel periculorum metu, vel solo Regis Francorum eneruati exemplo abiêrunt. Tunc Rex Anglorum proprios thesauros aperiens, plurimos nobiles, Principesque exercitus cum suis militijs, qui aduectas secum opes

mora productiori laudabiliter absumpserant: & declarata inopia sua redire ad propria excusabiliter proposuerant: largis, vt in exercitu Domini persisterent, inuitauit stipendiis. Ex quibus fuit ex Imperio Teutonico Dux Austriæ: qui postea tãti beneficij immemor, [a] scelleratas repatrianti Regi, cuius stipendiarius fuerat, manus iniecit, vt [b] suo loco monstrabitur: & Dux Campaniæ, qui eximiæ virtutis titulo, Christianæ postmodũ acquisitionis Principatũ promeruit, vt infra exponetur. Deniqueexpugnatæ ciuitatis mœnibus instauratis, & sufficienter refecta multitudine: mẽse Septembri Rex Anglorum, cui iam ferè totus deuotè parebat exercitus, ad alias vrbeis maritimas progredi statuit. Procedebãt ergo ordinatè & cautè agmina Christiana. Porro infinitus Turcorum exercitus Duce Saladino æquis haud procul passibus gradiebatur: ancipitem quidem prælijs euentum declinans: extremos verò nostrorum raptim aggrediens, & nonnulla re acta refugiens, vt est illud hominum genus miræ astutiæ ad nocendum, nec minus arte quàm viribus pugnare assuetum.

[a] *v.c. addit Et/ cuiusdã non magnæ iniuriæ plus iusto memor.*

[b] *cap. 29. infrà.*

Itaque exercitus noſter in multo laboris, & periculi experimento peruenit Cæſaream, Chriſtianis olim incolentibus Metropolim inclitam, tunc verò hoſtili deſolatione inanem & vacuam. Cumque ibidem modicè reſpiraſſet, iter propoſitum cum alacritate repetit. [a] Et primo quidem agmine procedente, iamque apud Aſſur caſtra metante, Saladinus captato tempore agmen extremum totis aggreſſus eſt viribus. Idem autem agmen per quatuor mox turmas diſpoſitum irruentis impetum fortiter excipiens, Deo propicio, ipſum cum tremendis ſuis copiis eneruiter fugere compulit: tantáque eo die hoc eſt, ſeptimo Idus Septembris, ibidem nobilium Turcorum ſtrages facta eſt, quantam ab annis retro quadraginta, vt fertur, vno die Saladinus expertus non fuerat. De noſtris verò occubuit Iacobus de [b] Aueniis, vir planè optimus, & meritis præcellentibus vniuerſo exercitui Chriſtiano chariſſimus; qui eiuſdem exercitus præclara per annos aliquot columna exſtiterat, atque in propoſito piè ſuſcepto, ſyncerè & ſtrenuè perſeuerans, nec leuem vn-

[a] *v.c. repetiit.*

[b] *v.c. Duenijs.*

quam maculam dederat in gloriam ſuam. Cuius profectò laudabili deuotioni diuino munere retributum eſt, vt Omnipotentis Dei obſequio glorioſè occumberet, & mediante diſcrimine breui, temporalem felicitatem, vt pium eſt credere, æterna mutaret. Denique luxit vehementer cum omni exercitu Rex Anglorum, aſſumptum tanquam emeritum a Rege [a] Angelorum. Indeque progreſſus vſque ad Iopem, incurſione iam pridem tyrannica Chriſtianis vacuatam ciuibus, tunc verò derelictam & deſolatam ab hoſtibus: loci opportunitate conſpecta, eandem totis cœpit viribus inſtaurare. Audiens autem Saladinus, quod Aſcalonam oppugnare diſponeret: eandem clariſſimam ciuitatem & Ptolemaïda, quæ lõgo tempore exercitũ fatigauerat Chriſtianum, multò firmiorem, ſubita euerſione damnauit. Tantus eum poſt recẽtem ſuorum cladem Chriſtianæ conſtantiæ terror euaſerat: atque ita Turcorum animos, eorum, qui apud Ptolemaidem in manus Chriſtianorum inciderant, recens exemplum perſtrinxerat. Vrbes quoque reliquas, & Caſtella terræ

[a] *ſic S. Anſel. epiſtol. ms. ludit & S. Gregor. Papa. 1.*

terrę illius, præter ſanctam ciuitatem, & munitiones pauciſſimas cõplanauit, totamq; prouinciam, abraſis bonis omnibus inutilem reddidit. Nec iam aliquid audendum putabat [a] aperto Marte, ſed nocebat inſidiis, & inceſſanter abſcondebat tendiculas fraudiũ. Noſtri quoq; poſt tam læta principia, nihil iam magnũ & memorabile agere poterãt, propter internũ diſcordiæ malum, quo languebant. Principes enim non cohęrebãt, ſed mordaci æmulatione diſſentiebãt ab inuicẽ: nec poterant in cõmune conſulere, ſtudiis in diuerſa nitentibus, cõtraria decernentes. Deniq; Conradus Marchio, & Princeps famoſiſſimæ firmiſſimæq; vtbis Tyri, adiuncto ſibi Duce Burgundię & nobilibus Francorũcũſubiectis copiis: Regi ãduerſabatur Anglorũ, æmulanti pro Guidone olim Rege Ieroſolymorũ. Rex verò propter magnitudinẽ animi & viriũ, quos fortè per manſuetudinẽ vnire ſibi nõ poterat, indignãtis animi motibus exaſperabat. Quia ergo in noſtro exercitu nõ idipsũ dicebant omnes, ſed ſchiſmata pullulabant, tantæ expeditionis iam ſtabat negotium, & non procedebat.

[a] *v.c experientia virium.*

a v.c.ne.

Quomodo Conradus Marchio a siccarijs interfectus est.

Cap. XXIIII.

VERVM supradictorum duorum æmulorum, quãtò animosiortanto vanior pro regno incerto contẽtio, postquam motus in exercitu domini plurimos peperit: extremæ demum sortis beneficio conquieuit. Regina [a] quippe Ierosolymorum, quæ, (vt superius plenariè dictum est) memorato Guidoni infeliciſſimè nupserat, sera tandem morte deficiens: illi ratione tantum Regij coniugij de regno contendenti silentium indixit. Marchio quoque nefariè a siccariis [b] necatus, regnum ambire cessauit. [c] Incertum a quo malignante immissi duo siccarij in eius obsequio sub schemate militantium diuscule fuerant: patrandi vel cum proprio periculo sceleris opportunitatem iugiter obseruantes. Qua inuenta: clariſſimum virũ solito paucio-

a v.c.quoq;

b v.c. interemptus.

c male v.c. interim cũ aliquo.

ribus forte ſtipatum miniſtris: in medio propriæ ciuitatis, cum prope tanquam noti aſſiſterent, repente aggreſſi: clandeſtinis cultris extractis mactarũt. Fertur enim eſſe in Oriente agens ſub ditione cuiuſdam potentis Saraceni (quẽ Senem nominant) quoddam hominũ genus adeo ſeductibile, atque in propriam procliue pernicieẽ, vt ab eodem, quem [a] ſcilicet loco prophetæ colunt, artificioſiſſimis fallacium pollicitationum præſtigiis ſollicitatum atque illectum, immortalia ſe poſt mortem commoda percepturos exiſtimẽt: ſi illi imperantiuſque ad mortem obtemperent. Qui nimirum, cũ fortè a quolibet prępotenti infeſtari metuit, ſiue iam infeſtatur, ad eius peremptionem ſubornatos ex illo genere emittit ſicarios. Illi verò [b] exitium tanquam ad ſolemne epulum cum gaudio properantes: nihil aliud ambiunt vel explorant, niſi vt arrepto tempore pro certa mandati impletione: certo ſe diſcrimini exponentes: deſignatum hoſtem commorituri interimant. Denique propter hoc maximè genus Orientales Principes pro-

[a] *v. c. ſimul*

[b] *v. c. aſſe-rit, ad.*

uiſiori ſe cuſtodia muniunt,& pręter familiariſſimos nullius ad ſe;niſi propriis ſtipatoribus mediis, patiũtur acceſſum. Verũ quoniam ijdem peſtilentes plerũque, dum forte minus obſeruarẽtur, ad necem clariſſimorum virorum per medias cuſtodias irrupêrũt:nullus magnorum,qui ſunt in terra tributum, vel obſequiũ quodlibet a memorato ſene per potentiam exigit, vel quietem eius aliquatenus perturbare præſumit. Soli [a] Templarij,dum in Syria res Chriſtianæ florerent tanquam mortis contemptores, auſi ſunt eum impetere,& fœderatum obſequia coëgêrunt præſtare. Sciebat enim parum actum eſſe,ſi fortè per miniſtros proprios, quemlibet magiſtrorum eiuſdem militiæ perderet: quæ vtiq; mox alium ſibi creans,acriùs pro extincti vltione ſæuiret. Ex hoc ſanè funeſtiſſimorũ [b] ſatellitum genere fuiſſe creduntur : qui memoratum Tyri Principem aſtu auſuq; nefario peremérunt,commori non timentes.Comprehenſi autem & ſubtiliter requiſiti, quo id auctore vel incentore egiſſent : ad mortem prompti, & hilares nihil certũ [c] dixêrunt. Itaq; latet adhuc, quis tan-

a Templarij contemptores mortis aggrediuntur Saladinum.

b anteapra nè ſatallitũ

c v.c. inter ſcribit, vel credibile.

to viro necem fuerit huiuſmodi machinatus. Verùm occaſione recẽtis diſcordiæ, qua[a] diſceptauerat cum Rege Anglorum: procliues fuêre plurimi ad ſuccenſendum ſuper hoc eidem Regi, Frãcis maximè illum infamãtibus, qui pro Marchione æmulati fuerant, multamq; illi de morte viri pręclari, inuidiam cõflantibus, per omnẽ fere orbẽ Latinum.

[a] *v. c. diſcrepauerat.*

Quomodo Rex Frãcorum necẽ Marchionis refudit in Regem Anglorum, & de conuentu Pariſiacenſi.

Cap. XXV.

SANE poſtquã percrebuit apud Regem Francorum, quod Marchioni acciderat: de amici quidem indigno exitu doluit: ſed mox hunc dolorem ſuſcepta cũ ingenti gaudio ſugillandi Regem Anglorum occaſio compenſauit. Cumque in propriis eſſet tam longe finibus a Syria cõſtitutus: illius in Oriente conſiſtentis, vel

fruſtra timebat, vel potius ſe, ad augendam inuidiã, timere fingebat inſidias, & tanquam ab eo ſubornati immineret ſiccarij: præter morem maiorum ſuorum, nõ niſi [a] firmata vallatus cuſtodia procedebat, adeo vt quidam familiari auſu propius accedentes, non ſine periculo hoc auſi dicantur. Mirantibus hanc nouitatem Regiam plurimis: vt pro ea ſatisfaceret, gentemque ſuam in Regem Anglorũ accẽderet, Præſulum, Procerumque ſuorum concilium [b] Pariſios conuocauit. Vbi allegans contra eundem Regem plurima tanquam certa; atque inter cætera, quod virum illum nobiliſſimum [c] nequiter per diros ſatellites peremiſſet, litteras quoq; protulit, a quibuſdam potentibus ſibi (vt dicebat) tranſmiſſas, quibus monebatur propenſiorem ſuimet habere cautelam: ſciens quod Rex Anglorũ inſidiaturos animæ ſuæ ab Oriente iam direxiſſet ſiccarios. Quamobrem (inquit) nemo debet mirari, quod præter ſolitũ, diligentiorem mei ipſius curam habeã; quam tamen ſi reputatis vel indecentẽ, vel ſuperfluam; decernite amouendam. Adiecit etiam, cordi ſibi eſſe de mani-

[a] *v. c armata.*

[b] *v c. Pariſius.*

[c] *v. c. nequiſſimè.*

festo proditore proprias maturè vlciſci iniurias. Adhæc plurimi adulatoriè reſpondêrunt, bonum, honeſtumq; eſſe, quod pro cautela faciebat: & quod pro vltione diſponebat. Prudentes vero dixêrunt. Cautelam quidem tuam Rex, qua tibi cõtra incertos caſus forte abũdantiùs proſpicis, non culpamus, præmaturæ vero vltionis propoſitũ minimè approbamus. Nam & ſi verá ſint, quæ de Rege Anglorum dicuntur: non tamen eſt petulanter & [a] præmaturè agendum: ſed reſpectu honeſti ſuſtinendum, quouſque ad propria reuertatur, qui propter Chriſtũ peregrinari noſcitur. Deniq; ſi reuerſus vel obiecta purgare potuerit, vel de exceſſibus ſatisfacere voluerit, bene actum erit: ſin [b] minùs; expetẽdæ vltionis, iuſtitia comite, congruum tempus erit. Quod ſi noſtrũ conſilium minus placet: Romanus Pontifex, qui de rebus modernorũ peregrinantium quietem ſub graui cenſura ſanciuit: ſuper his conſulatur; eiuſq; (vt dignum eſt) ſententia exſpectetur. Hæc dicentes viri cordati, & ſobriis rationibus aſtruentes: ſæuientis impetum ad tempus frenárunt, ne peregrinantis

[a] *v. c. prepopere.*

[b] *autem.*

terras inuaderet. Quieuit ergo ad modicum: non tamen in illo extorto magis quàm ſpontaneo otio, regno deſiit, & Regi Anglorum cruentũ moliri negotium, veteres ſcilicet Anglorum hoſteis Danos ad mortuam olim querelã artificioſè ſuſcitare conatus. Verùm hæc tam maligna molitio, Deo ordinãte, Anglis non nocuit: auctorem verò ſuum næuo [a] inexpiabili denigrauit. Famoſa res eſt & propter claritatẽ perſonæ mundo notiſſima.

a v. c. malè inexpugnabili.

Quomodo Rex Frãcorum duxit ſororem Regis Danorum, & quomodo repudiauit eam.

Cap. XXVI.

Stephano præſule Noviomenſi vt Rigord. in geſtis eiuſdem prodit.

IGITVR Rex Francorum miſſis ad Regẽ Danorũ viris honoratis, germanę eius laudatiſſimę Virginis nuptias ſolemniter expetiuit. Rex autem Dacorum magnificè legatos ſuſcipiens: petitionem quoque [b] Optimatum ſuorum conſilio libenter amplexus eſt. Et quid,

b v. c. inſtitit.

inquit, Dominus vester vult sibi dari dotis nomine? Illi verò, prout in mandatis acceperat, antiquum, inquiunt, ius Regis Dacorum in regno Anglorum, & ad hoc assequendum, classem exercitumque Daciæ [a] in annum. Tum ille, rem inquit difficilem, postulat: veruntamen deliberabo, an concedi debeat. Cumque super hoc regni sui inclitos seorsum consuleret, responderunt, Satis nobis negotij est cõtra Paganam, & nostris vicinã finibus gentem Vvandalorum. Illisne ergo dimissis, hostiliter aggrediemur Anglorum gentem Christianam, atque innoxiam, duplici nosmetipsos periculo immergentes? Nam si Anglos [b] aggrediemur: ferocissimis, qui iuxta nos sunt, barbaris fineis nostros exponimus. Porro Anglorum gens magna & valida, opibúsque famosa, propriæ vel saluti, vel libertati contra omnem vim externam tuendæ sufficere creditur. Proinde aliud petat Rex Francorum, si voluerit dotis nomine: cùm tu Rex non debeas, cum propriæ gentis periculo Germanæ tuæ honorabiles nuptias prouidere. Placuit Regi sobrium consilium, iussitque Legatos

[a] *v.c. annuo.*

[b] *v.c. aggredimur.*

aliud dicere, si quid haberent. Illi verò expirante petitione prima: decem marcarum argenti milia petiêrunt. Ad hæc Rex magnanimus: rem (inquit) Rex Francorum a Rege Danorum nunc petit pertenuem ratione negotij & personarum; petitionem eius gratè susci-pimus, & votum maturè implebimus. Tunc pactis initis, & sacramento a Legatis præstito pro completione pactorum: ornatam (vt decuit) cum summa postulata tradit virginem, de suis honoratos quosdam, qui [a] persequerentur eam, vsque in Franciam direxit. Rex autem Francorum occurrit ei [b] Ambianis, ibique solemniter nuptiali sibi fœdere copulatam, etiam thoro acciuit. Verùm post initi fœderis (vt dicitur) noctem vnam, incertum, vnde offensus abiecit eam: rem plane faciens, non tantũ illicitam, sed etiam personæ regiæ multùm indecoram. Causæ sanè pudendæ leuitatis huius variæ assignantur. Dicunt enim quidam, quod propter fœtidum oris spiritũ: Alij, quòd propter latentem quandam fœditatem repudiauerit eam: vel quia non inuenit eam virginem. Iudignæ procul dubio causæ

[a] *v. c. prosequentur.*
[b] *Rigordus Attrebati.*

Vide notas.

huiuſmodi, atque ad dirimendum coniugium Chriſtianum inualidæ. Verùm cum præcipitati repudij cauſa ſit incerta : incertum tamen non eſt, eum qui fodit foueam, incidiſſe in eam, ſcilicet illum, qui ſub prætextu nuptiarum gẽtis innoxiæ & Chriſtianæ ſitiuit impiè ſanguinem, peſpicuo Dei iudicio ex ipſis nuptiis ſempiterni dedecoris reportaſſe mercedem. Porro, vt infami facto honeſtæ ſpeciei colorem ſuperduceret; &, vel ad homines, quod vtique ad Deum non poterat, contracti matrimonij fœdus abrumperet: Romano Põtifici per reſponſales callidos inſinuare curauit, ſurreptione quadam, propriam ſe duxiſſe affinem, poſtulans, a vinculo minus legitimo eximi. At ille delegauit iudices ex regno poſtulantis, forti tamen mandato aſtrictos: vti in hoc negotio iuxta integritatem canonicæ procederent ſanctionis. Illi autem Regis ſui iniuſto deſiderio plùs æquè fauentes : affinitate, periurio Belluacenſis & Carnutenſis Epiſcoporum, aſſerta, diuortium fieri debere decreuêrunt. Et Belluacenſis quidem periurus Epiſcopus, poſt non multo in manus

Regis Anglorum traditus, eundem satis idoneum expertus est in seueritate vltionis Dei ministrum. Carnutensis verò, qui morum proluuie minùs esse Episcopus dicitur, Dei adhuc patientia sustinet, vt tarditatem, pœnæ quantitate compenset. Sic itaque Rex Francorum in facie Ecclesiæ exosi connubij lege solutus, ad alias paulo pòst nuptias aspirauit, quibus tamen potitus nō est, vt suo loco dicetur.

Quomodo Eboracensis Archiepiscopus præcipitauit sententiam excommunicationis in Episcopum Dunelmensem.

Cap. XXVII.

His diebus Godefridus Archiepiscopus Eboracēsis, & Hugo Episcopus Dunelmensis sua fortiùs, & remissiùs ea quæ sunt Christi, quærētes: cum multo & grauiscandalo disceptârunt.

Ille, vt præesset: Iste, ne subesset: neuter verò, vt prodesset. Ita quippe in diebus nostris pastorale decus euanuit, vt inter pastores Ecclesiasticos admodum rarus inueniatur intelligens : vel requirens Deum: dum fere omnes, quæ sua sunt, quærunt. Equidem paulò ante eiusdem Godefridi electi adhuc Eboracensis pendente fortuna: Clemens Romanus Pontifex intercedentibus obsequiis eundem Episcopum cum suis omnibus ab Archiepiscopi Eboracensis iurisdictione exemerat. Porro successor eius Cælestinus Eboracensis Ecclesiæ iura & dignitates redintegrãs: eandem exẽptionem cassauit. Godefridus itaque de mandato Apostolicæ sedis Turone ordinatus, & ad sedem propriam cũ Metropolitani honore reuersus: de memorato Episcopo, quem ante ordinationẽ suam infestum expertus fuerat, triumphare cupiens, Canonicam ab eo professionem instanter exegit. Ad quam ex more præstandam, cum ille nullatenus inclinaretur: sed appellationis se diffugio, & [a] quodam enormium capitulorum obiectu tueri [b] niteretur: idem Archiepiscopus excommunicationis in

a *v. c. quorundam.*
b *antea mendosè niterentur.*

eũ ſententiã prępropere, & motu magis proprio, quàm prudẽtium conſilio promulgauit. Verùm ſicut hic appellationem & obiecta: ita ille ſpreuit, deriſitque ſententiã. Vterque mox ad ſedem Apoſtolicã inſtructos reſpõſales direxit Hic pro cõfirmanda, ille pro infirmãda euacuãdaque ſententia, quę lata fuerat. Et hic quidẽ cupiens experiri ſyncerităt Romanã vel potius ſufficere iudicans, quod profuſioribus obſequiis pro negotio promõtionis ſuæ paulò antè placaſſet Romanos, ſimpliciter poſtulauit. Ille vero ſagaciùs, prout a Romanis poſtulari oportuit, poſtulandum putauit: tantoque factus eſt in cauſa potior: quantò & pollicendo ponderoſior. Denique non ſolùm pro eo eſt pronunciatum, quod ſententia illa non teneret; verumetiam ei, ſiue pro acceptæ iniuriæ conſolatione, ſiue etiam pro inſolentis aduerſarij humiliatione indultum, vt illi tanquam Metropolitano ſubeſſe vlteriùs non deberet. Sic ergo exemptus a iuriſdictione poteſtatis ſuſpectæ, victoriam ſuam quantò glorioſiùs, tantò & vaniùs oſtentauit. Porro idem Archiepiſcopus poſt ſuc-

cessus præclaros: initium malorum hoc habuit, vti sequentia declarabunt.

Cur minùs sit a nostris in Oriente profectum, & de repatriatione peregrinorum.

[a] a v.c. actiũ.

Cap. XXVIII.

INTEREA exercitus Christianus Regi Regũ in Oriẽte militans, in multo laborum & periculorum experimento agebat. Verumtamen Christianum negotium minùs procedebat: tum propter dissensiones, emulationesque Ducum (vt dictum est) tum propter difficultates plurimas, tanquam Deo minùs propicio, [b] obsistentes. Decernebant quidam adeundam, totisque oppugnandam viribus sanctam ciuitatem, quam impij prophanabant. Aliis verò hoc impossibile videbatur, certis ex causis. Terra quippe, quæ paulò antè fertilissima fuerat, & quasi omnimodæ copiæ promptuarium, maligna & calida Sala-

[b] malè. v.c. obsistens.

dini prouisione tedacta erat in solitudinem: ne scilicet Christianus exercitus quantulumcunque ex ea subsidium caperet, [a] vnde nec poterat a mari ad aliquod maius negotium longiùs progredi, cum solum ei mare nauigiis necessaria ministraret. Rex autem Anglorum exacta [b] hyeme in montanis, cum aliud non posset: vrbes maritimas, quas Turci euersas reliquerant, & maximè Ascalonam summo studio & profusis opibus instaurare cœpit, carpẽtibus eum æmulis, & rumores de illo pessimos per totum fere orbem Christianum spargentibus: scilicet quod Regem Francorum insidiis appetisset, quod Conradũ Marchionem virum Christianissimum nefariè per sicarios peremisset, quod cum Saladino de proditione terræ sanctæ nequissime collusisset, atque ideo ad expugnandam ciuitatem sanctam accedere noluisset. Porro ille cœptis insistẽs, præ animi magnitudine æmulantium maledicta & molimina contemnebat. Sanè post memorati Marchionis interitum, cum & Guido quondam Rex Ierosolymorum, qui cum eo cõtenderat, vxore sublata, solo iam Regis nomine esset

a v. c. tamẽ.

b hactenus hyme.

esset cõtentus: deliberauit Rex Anglorum cum Ducibus & nobilibus vniuersis, cuinam fineis Christianos crederẽt, maturè ad propria reuersurus. Et concordi decreto cõstituêrunt Principem Christianæ adquisitionis Henricum, illustrem Gallicanæ Campaniæ Comitem, vtriusque Regis, Francorum scilicet & Anglorum communem ex communi Germana nepotem, tantis condignum auunculis. Quo facto, & nouo Principi integrè traditis munitionibus Christianis, ordinatisque præsidiis vrbium: Princeps & populi, tanquam expleto militiæ tempore, cum iam sumptus ad moram deficerent, certatim repatriare cœpêrunt, anno ab expugnatione Ptolemaïdis secundo, tempore autumnali. Verumtamen eorum, qui post Christianæ in terra sancta plebis excidium, propter Christum peregrinati fuerant, ne quarta quidẽ pars ad propria rediit. Cum enim ex omni fere orbe Christiano infinita hominum milia ad illam peregrinationem sanctæ deuotionis feruor accendisset: vel morbus, vel gladius, vel inedia, vel laboris intolerantia maiorem longe partem [a] ab- [a] *v c ab sumpsit*

sumpserat. In qua re considerandaest altitudo sapientię Dei, de suorum, quos ad vitam præordinauit æternam, temporali vel salute, vel felicitate minus curantis, & eorum clades temporales ad supernæ ciuitatis completionem subtili prouisione deriuantis. Nō enim est dubium eos, qui relicta patria, atque omni necessitudine carnali tantis se periculis, laboribus & cladibus propter Christum exponentes in hac laudabili deuotione vitam temporalem finiri meruêrunt, illis annumerandos, de quibus dicitur: [a] *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, cum non solum in Domino, sed pro Domino mortui esse probentur. Proinde fidenter dixerim, quod multo clementius superna cum illis pietas egerit, qui in illa peregrinatione vitam terminantes, felici compendio ad æterna migrârunt: quam qui repatriantes cum sospitate corporali ad sordeis pristinas remeârunt. Quippe eos quos ex illa peregrinatione ad propria reuersos cognouimus, etiā ad mores pristinos post tāta propter Christum tolerata incommoda reuersos videmus. Mirum quidē videtur, quod Dominus suæ incarna-

a Apoc. 14.

tionis, passionis, resurrectionis, ascensionis sanctissima loca, a gente sputcissima occupari & prophanari permiserit. Verùm diuinę permissionis huius tũc quidẽ occulta erat, nunc autẽ manifesta est ratio. Quippe occasione eius, tam dolendi, pudendique casus infinitis peccatoribus ad studium pietatis conuersis, tanta piarum [a] milia animarum in quinquennali iam spatio ad æternã requiem superni ordinatoris manus assumpsit, quata per integritatem [b] terrenæ Ierusalem, illa quæ sursum est, quæ est mater nostra, ad suam completionem annis retro plurimis nõ suscepit. Ita ergo Rex noster [c] attingens a fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter: & malis quoque hominum vtens optimè, dum terrenam suam Ierusalem, & fineis eius propter peccata habitãtium in manus hostium tradidit, cælestis suæ Ierusalem vberiora subtiliter lucra quæsiuit.

a *v.c militiam.*

b *imitatur S. Paul ad Galat. 4.*

c *Salom. Sap 8. verba sunt huc reducta.*

Quomodo Rex Anglorum liberauit Ioppen, & de induciis Christianorum & Turcorum.

Cap. XXIX.

Sane repatriantibus cæteris præter eos, qui ordinati [a] erãt ad præsidia vrbium: nec illustri Anglorum Regi, qui iam proprios in sumptibus diuturnę militię thesauros exhauserat, productioris moræ in Syria facultas fuit. Rebus ergo dispositis & datis, nepoti, quem regni exigui Principem relinquebat, mandatis: In Cyprum cum suis rediit, vnde [b] opportunè profecturus. [c] Quibus agnitis Saladinus, super Ioppen minus sufficienti munitam præsidio cum exercitu irruit: eáque celeriter expugnata, & facta Christianorum strage non modica, reliquos in arce conclusos obsedit. Tum nostri eo modo, quo poterant præcauentes, ne vsque ad internecionem reliquiæ delerẽtur, cum immanissimo tyranno pacti sunt dedi-

a *v. c. sunt.*

b *v. c. optimè.*

c *v. c. addit. erat.*

turos ſe arcem, niſi ad diem certum fortè Chriſtianus ſuperueniret exercitus. Et ille quidem noſtrorum, qui abierāt, reditum non metuens: quietus iam erat, tanquam incruēto negotio arcem mature ingreſſurus. Rex autem Anglorum, vbi ſiniſtri euentus nuntium accepit: triſtitia mox in virtutis materiam verſa cum omnibus, quos eum nō ſequi pudebat, ſecundis flatibus in Syriam celeriter rediit, & Turcos inopinato eius reditu impetuque perterritos in fugam conuertit. Qui rurſum conglobati, fretique ingentibus numeris: eum in Ioppe clauſū fruſtra conati ſunt obſidere. Egreſſus quippe in ſpiritu fortitudinis, & nō ſolum optimi Ducis, verumetiam fortiſſimi militis implens officium: per dies aliquot cū eis in campo conflixit, & manu longè impari tremēdas Turcorum copias, tandem Chriſto propicio ita protriuit: vt inuictum eius animum mirantes, & nihil contra eum vlteriùs audendū putantes recederent. Ioppe igitur liberata: apud caſtellum, quod dicitur [a] Cephas, diebus aliquot ægrotauit. Quo audito Saladinus (vt dicitur) non tanquam de hoſte de-

[a] v. Caiphas.

bilitato exsultauit: sed tanqutm de inuictissimi Principis incõmodo doluit: Missisque ad eum nuntiis: Scio (inquit) quod in hac terra etiam sospes prolixiorem morám facere nequeas: te aurem abeunte, quod a Christianis cum tanto labore adquisitum est, certo exponetur periculo, & mediocri negotio [a] incidet in manus meas. Verũtamen propter te, cuius egregiam magis virtutẽ veneror, quàm animum hostilem auersor, trienij inducias Christianis indulgeo. Ascalona tamen nec mihi, nec illis fit, sed destruatur. Rex autem licèt ægrè ferret vrbem euerti, in cuius recenti instauratione sumptuosissimo frustra labore sudauerat, consilio tamen [b] Patriarchæ, & noui Principis, omniũque Christianorum terræ illius, inducias amplexus est: respectu quidem vrbis euertẽdæ minùs honestas, sed fortiori ratione multũ necessarias. Itaque per operam Regis Anglorum [c] solis culpandam æmulis, celebratæ firmatæque sunt inter Christianos in Palestina consistentes & Turcos Saladino subditos inducię, a Paschali solẽnitate proxima in treis annos, treis mensęs, treis septimanas, [d] treis horas.

a *v.e. recedet & quidem aptè si librarius pinxisset, recidet.*

b *v.e. interponit & desiderio.*

c *v.c sed.* d *v c. inserit, tres dies Abbas verò Vsperg scribit fuisse quinquẽnales induciας.*

Indultum quoque, firmitêrque statutũ est a Saladino in gratiãm Regis Anglorum, vt Christiani toto inducíarum tẽpore, securè & liberè sepulchrum Dominicum orandi studio visitarent: nihilque molestiæ a Saracenis in accessu vel reditu patientes, expletis orationum solemnibus cum fructu deuotionis suæ Christianis se finibus redderent. Quamobrem sancitis, prout oportebat, induciis: Christianorum ingens numerus ad sanctam ciuitatẽ contendit, & votis potitus cum longi satisfactione desiderij hilariter repatriauit. Et Rex quidem, [a] qui vnus pro decem milibus computabatur, dum propter casus ancipites de consilio sapientum propriæ cautiùs saluti prospiceret, minùs satisfecit deuotioni. At verò Hubertus Salisbirien sis Episcopus, qui eius in illa expeditione Comes indiuiduus & fidus, prudensque coperator exstiterat: regiæ deuotionis vicem implere curauit. Denique (vt dicitur) pro se & Principe sepulchrum Principis Principum visitans: fuso ibidem piarum profluuio lachrymarum, & sacra hostia immolata suorum pariter & regiorum compos votorum

[a] *quem & ipsi Sarraceni, & populus Christianus & alij timuerunt inquit Abb. Vsperg.*

ad Principem rediit. Quibus actis idem repatriandi propositum declarauit. insulam Cyprum Guidoni olim Ierosolymorum Regi viro strenuissimo mera liberalitate donauit. dilecto nepoti, quẽ finibus Christianis præfecerat, suam (Christo propicio) reuersionem circa induciarum expletionẽ pollicitus, charactere Dominico, quo insignitus aduenerat in argumentum propositæ reuersionis retento, infidis se flatibus credidit.

Quod Deo disponente plus actum sit illa expeditione pro superna quàm terrena Ierusalem, & de morte Saladini.

Cap. XXX.

HVNC exitum occulto Dei iudicio habuit Christiana illa tam sumptuosa, laborioſa, [a] periculosa contra immanissimum sacri & tremendi nominis hostem Saladinum expeditio, magnorum Re-

[a] v. c. periculosaque.

gum, inclitorum Ducum, innumerabilium populorum. Et quidem tantis sumptibus, periculis, laboribus, pro recuperanda terrena Ierusalem parum actum est: pro instauranda vero superna Ierusalem plurimum, vti [a] superiùs ostensum est, Deo enim meliùs, quàm humana erat intētio, disponente, tam multa Christianorum, [b] (suscepta pro Christo tā laboriosa peregrinatione) occumbentium milia; quæ quidem secundùm intentionem pro recuperatione terrenæ Ierusalem frustra sudasse videntur, cum fructu pij laboris tanquam viui lapides in illius, quæ sursum est Ierusalem, ædificium transiêrunt. Verumtamen sicut defectui temporum nostrorum, quibus, vtique abundante iniquitate, refrigescit charitas, imputandum est, quod loca sacra, in quibus redemptionis nostræ celebrata sunt sacramenta, tradita sunt in manus impiorum: ita & illud, quod pro recuperatione eorundem locorum tantis laboribus & sumptibus Christianum minùs processit negotium. Itaque propter nostrorum defectum & dedecus temporum, [c] oportet ciuitatem

[a] *cap. 26. huius libri.*

[b] *v. c. præponit in.*

[c] *v. c. oportuit.*

sanctam conculcari & prophanari a gentibus vsque ad tempus, quod solus Deus nouit. Nam suo tempore procul dubio iuxta morem priscum terra sancta spurcissimos euomet incolas; & fortè per parciorem manum Christianam, vt virtus diuina in negotio clariùs eluceſcat. Vnde veraciter a quodam [a] bellatore fideli dictum est. *Facile est concludi multos in manus paucorum, & non est differentia in conspectu Dei, liberare in multis, aut in paucis.* Quod vtique declaratum est, cum [b] vnus persequeretur mille, & duo fugarent decem milia: cum [c] Gedeon amota multitudine per trecentos viros, qui aquam lamberant, de innumerabilibus populis triumpharet. At non est tentandus Deus: vt Christiani pro eo, quod Dominum potentem habent, petulanter & inconsultè contra multos aduersarios pauci prosiliant. Ita enim suos [d] Deus vult in se credere, vt non negligant prudenter & prouide agere. Vnde scriptum est, quod sancti olim Duces præliaturi prælia Domini, & futuræ victoriæ ipso hanc pollicente non ignari, ipso plerumque iubente,

a *Iuda Macabæo. 3. Macab.*

b *Deut. 32*

c *Iudic. 7.*

d *Deus vult suos sic in se credere, vt non negligant agere prouidè.*

plerumque [a] non iubente, conuocauerint multitudinem; nec se cum paucis vel honestum, vel vtile duxêrunt offerre discrimini; non vtique quod Omnipotenti facilior esset per impetum multitudinis, præstandæ victoriæ copia: sed quia illius saluberrimi præcepti, scilicet [b] *Non tentabis Dominum Deum tuum*, homo non debet esse negligens, & quia melius est, vt multi quàm pauci Deo militent, non planè ex suo numero omnipotenti plùs facultatis allaturi: sed pro [c] numero ab eo, qui sibi nil [d] minuit, quantislibet distribuat, militiæ præmia percepturi. Sanè paulò post exercitus Christiani ex Syria digressum, stillauit Dominus super populum suum misericordiæ modicum, tanquam arram quandam gratiæ plenioris. [e] Virga quippe furoris Domini, formidabilem Christiani nominis malleum confregit Saladinum. Qui nimirum cum in multa lætitia & securitate ageret, tanquam eluſa omni fortitudine magnorum Regum Occidentis: repente incidit in manus Dei viuentis: magnumque illud imperium, quod ex regnis opulentissimis homo

a *v.c. addit etiam.*

b *Exod.6.*

c *v.c. insecrit, suo.*

d *minuerit*

e *v.c. virgam.*

non Regij sanguinis: sed [a] astutia & virtute conflauerat: cum ingenti rixarum, bellorumque materia delicatis hæredibus moriens dereliquit. Denique eo mortuo iuxta numerum succedentium scissum est imperium eius, ipsisque inter se dissidentibus facta est summa confusio in domo eius. Christiani verò sub Principe Henrico in suis vrbibus quietè commorantes expletionem inducia-rum præstolabantur.

a *v. c. astutia singularis arte scilicet &.*

Quomodo Rex Anglorum naufragiũ passus & captus est a Duce Austriæ.

Cap. XXXI.

IGITVR Rex Anglorum a Syria digrediens, duabus Reginis, sorore scilicet vidua, & coniuge cum omni fere familia præmissis: ipse cum paucis expeditioribus agiliori nauigio sequebatur. Impatientior quippe tædij, dum lentum & morosum latissimi [b] aspernaretur pelagi transitum: tutiorem gra-

b *malè ante hac asperne retur.*

uioris nauigij; & ſuo pondere minùs
[a] timentis ſpiritus procellarum, eue-
ctionem recuſauit, quod vtique factum
eſt illi in ſcandalum. Et quidem Regi-
næ cum omni comitatu ſuo, lento ſed
proſpero curſu in Siciliam venientes,
ibidem ſub [b] Tancredo in tuto pro tẽ-
pore ſubſtitêre. Porrò Rex naui, qua
vehebatur, inclementioribus auris [c] a-
brepta tractus eſt ad partes [d] Iſtriæ: at-
que inter Aquileiam & Venetiam nau-
fragium paſſus, ægrè cum paucis æquo-
reum diſcrimen euaſit. Vbi propriam
pro tempore propter caſus incertos
[e] naufragos cælans perſonam: didicit
Regem Anglorum hominibus regionis
illius ob necem Conradi Marchionis,
quæ ipſi imputabatur, eſſe inuiſum, nec
poſſe ſe ibidem tutum habere hoſpitiũ.
Quamobrem imminens inani ſtuduit
illudere cautela periculum. Nam cito
percrebuit inſignem naufragum latere
[f] vel aberrare in terra illa; mox nobili-
bus ſimul & populo ad [g] veſtigandum
eum intentis, quidã Comes [h] Mamar-
dus nomine, ipſo latenter per fugam
elapſo, octo de comitibus eius compre-
hendit. Deinde in Archiepiſcopatu Sal-

a *v. c. tormentis.*
b *v.c. inſerit, Rege.*
c *v.c. arrepta.*
d *v.c. Auſtriæ.*
e *v.c. inter ſcribit inter cæteros.*
f *v.c. oberrare.*
g *perperam legebatur veſtigandã*
h *v.c. Mainardus.*

[a] v.c. Sfrisa rium.

ſburgenſi, loco qui vocatur [a] Friſcarium, ſex de comitibus eius a quodam Frederico detentis, cum tribus tantum comitibus noctu ad parteis Auſtriæ properauit. Humboldus verò Dux Auſtriæ, qui (vt ſuprà dictum eſt) ſtipendiarius eius in exercitu Domini fuerat, profuſam eius circa ſe largitatem, cum egeret, expertus: oblitus beneficij, atque in vltionem cuiuſdam læſionis exiguæ ſæuiens, magis autem opum Anglicanarum, homo auarus & perfidus ſitiens, cautiſſimos per omneis viarum tranſitus & diuerticula, vt inſigni profugo euadendi locus non eſſet, cuſtodes diſpoſuit; quem tandem in ſuburbano quodam, indicio (vt dicitur) cuiuſdam ex comitibus eius, dum eſcas lautiores emeret, cautè notati, & ad prodendum cuinam peregrino talia procuraret, intentata morte coacti, inuentum, per [b] immiſſos ſatellites captiuauit. Denique ingreſſi ad eum ſollicitè occultantem ſe directi a Duce armati, aue, inquint, Rex Anglorum: fruſtra perſonam tuam pallias, facies tua manifeſtum te facit. Cumque vir ingentis animi gladium arriperet: noli,

[b] v.c. præmiſſos.

vide notas.

inquiunt, Rex, vel timere, vel temere agere, non enim morieris, sed potius a morte seruaberis in medio hostium tuorum, propinquorum scilicet Conradi Marchionis, quęrētium animam tuam: in quorum vtique manus si fortè etiam centum vitas habens incideres, ne vna quidem earum salua tibi esse posset. Captus igitur Rex nobilis a Duce nequissimo anno gratiæ M. C. nonagesimo II. mense Decembri, citra decus Regium in vinculis seruabatur. 1192.

Quomodo Rex Francorum delusus a filio Ducis Saxoniæ, speratis nuptijs caruit.

Cap. XXXII.

RExmaturè defertur ad Imperatorem Teutonicum, in Germaniæ tunc partibus constitutum. Qui nimirum vel imperialis, vel etiam Christianę negligēs honestatis, & occasione captiui insignis, diripiendis plurimarū regionum opibus inhians, gauisus

est valde. Moxque Regem Francorum suæ letitiæ fieri volens participem: gratissimum illi super aurum & topazion, quinto Calendas Ianuarij a [a] Rinhuza nuntium destinauit. Ille verò lætatus super infælicitate aliena, sicut qui inuenit spolia multa, siniſtrum Principis euentum ad frangẽdos subditorum animos mox latè vulgauit; animumque hostilem declarans, vt perpetua captiui esset deiectio, modis omnibus agendum putauit. Denique magnis pollicitationibus sollicitare atque allicere sibi curauit Ioannem, captiui Regis Germanũ, in Anglia, Hybernia, Normannĩa, multarum virium [b] opumque virum. Quẽ profectò facilè ad suas potuit parteis traducere, iam pridem quantùm regni fraterni, tantùm & fraterni periculi cupidum. Accepto ergo idem in Anglia constitutus fraternæ captionis nuntio, illico trãsfretauit, & nutanti regno sperans facilè se posse [c] intrudi, si Frãcorum sibi vireis adiungeret, inito cum eis fœdere, & fratris in periculo positi fidelitate exufflata, eius se hostem inuerecundissimè declarauit. Rex quoq; Francorum Imperatorem Teutonicũ, ad

a v. c. Rõhenza.

b abſunt hæc a v.c.

c v.c. ingredi.

ad cuius [a] fortunam, Regis captiui pendebat arbitrium, affinitate sibi cupiens deuincire, consobrinæ eius, vnicæ scilicet filię Palatini Comitis, missis ad eum nuntiis connubium expetiuit. Petitionem Imperator gratanter amplexus: eius cõplendæ gratia Comitem Palatinũ, virũ (vt dicitur) in imperio summæ post Imperatorem amplitudinis, accersiuit, nec latuit ea res matrem puellæ. Quæ vnicam sobolem secretò conueniens, vis, ait, honorabiles nuptias, & thorum regium? Rex enim Francorũ te comparem postulat. Tum illa, audiui, inquit, a multis de Rege hoc, quomodo fœdauit atq; abiecit puellam nobilissimam, scilicet Regis Danorum germanam, & vereor exemplum. Ad quã mater, & quis, ait, in votis tuis est potior? Tum illa, si mea, inquit, vota prosperentur, ab eo certe, cui me didici in annis infantiæ desponsatam, nunquam disiungar: Henrico scilicet Ducis Saxonici filio. Et mater, confide, ait, filia, quia per maternam operam formidato [b] liberata exemplo, optato potieris connubio. Mox eundem Henricum elegantissimum & strenuissimum iuue-

[a] *antè, fortuna.*

[b] *v.c. exẽpta.*

nem, Regis Anglorum ex sorore nepotem, virago mirabilis secretis litteris accersiuit. Qui festinus occurrit, & votis promptissimè concurrẽtibus dilectam Virginem tradente matre accepit; qua nimirum propter euentus ancipites accelerante negotium, illico ritu solemni celebratæ sunt nuptiæ, vt quos Dominus iam coniunxisset, homo separare iam [a] non posset. Interea nouæ nuptæ pater ab imperatore inductus, vt regiis filiam nuptiis honestaret, actæ rei repentè famam accepit. Imperator quoque rem audiens, credensque hoc præter eius conscientiam fieri minimè potuisse: acri contra eum motu excanduit, & ad se vocatum mordaciter increpauit; tum quia iuuenem oderat, tũ quia factum erat aliter quàm volebat. Ille verò stomachanti atque obiurganti satisfaciens, per salutem, inquit, tuam Imperator, mea hoc neque voluntate neque conscientia actum est; sed coniugem meam, consobrinam tuam contemplatione iuramenti, olim a me & illa, felicis memoriæ patri tuo Imperatori, Duci Saxoniæ præstiti, absente me credo patrasse, vnde tua mihi celsitu-

a v.c. addit de cætero.

do ſuccenſet. Tum Imperator, vade, inquit, & nebulone illo expulſo reſcinde quod actum eſt. Et ille, noli ait, ſic loqui Imperator. Nam eo vſque (vt dicitur) res proceſſit, vt abſque ſempiterno filiæ meæ dedecore reſcindi non poſſit. Reuerſus autem idem ad propria, genero blandè locutus eſt, adoptanſque eum, filiam egregiè dotauit. Sic ille, qui propriam paulò antè cum dedecore repudiauerat coniugem, optatis ſperatiſque, Dei iudicio, caruit nuptiis.

Quomodo Rex Anglorum per Ducem Auſtriæ deuenit in cuſtodiam Imperatoris.

Cap. XXXIII.

IGITVR illuſtris Rex Anglorum a Duce Auſtrię, qui paulo ante illi in Syria contra Turcos militauerat, tenebatur in vinculis. Imperator [a] allegans Regẽ nõ debere teneri a Duce, nec eſſe indecens, ſi ab Imper. celſitudine decus

[a] v. c. aſſerit autem.

in [a] Alemanos Turcis incurrit peiores. Imperator quidem auaritiam pallians, & quod fœdissimè faciebat, adumbratę iustitiæ colore obducens, illustrem captiuum concinnatis maculabat mendaciis, & gloriabatur voluntate Dei incidisse in manus suas plectendum seuerius hostem imperij, & terræ sanctæ, in cuius medio Dominus salutem operatus est, proditorem. Denique circa Dominicam palmarum solenniter sibi præsentatum, coram omni frequentia nobilium & populi, grauium obiectu excessuum terrere tentauit. Ille verò hilari fretus conscientia, constanti & libera responsione ita obiecta diluit, vt Imperator quoque non solùm ad misericordiam, verùm etiam ad venerationem eius flecti videretur. Multis enim præ gaudio in lachrymas resolutis, inclinatum Regem dignanter erexit, vberiorem de cætero gratiam, & [b] fusiora solatia pollicens, re autem vera ingenti summę, mediante Duce Austriæ ab ipso Rege pro sua liberatione promissæ, sitibundè inhians. Vnde nec relaxandum duxit, quem sic honorare voluit, nullum commodius iudicans pignus

[a] *v. c. Almaniã Turcos incurrit peiores, & tanto amariorẽ, quantò auariorẽ Saladinũ.*

[b] *v. c. præfusiora.*

promissionis, quàm corpus promissoris. Sanè iam visitabatur, [a] a pluribus nuntiis, & toto detentionis suæ tempore, officiosissimam suorum experiebatur circa se charitatem. Venit autem ad eum Elienſis Episcopus, principalis ab eo, vt supra dictum est, cum ad Orientem tenderet, regni procurator relictus, [b] & de suis expulsoribus regiis malum auribus in susurrans. Venerabilis quoq; Hubertus Salesbirienſis Episcopus, qui eiusdē Regis in Syria comes indiuiduus fuerat, cũ applicuisset in Sicilia: cognito, quod ei acciderat, [c] properauit ad eũ. Quem ille mox direxit in Angliam tum pro necessaria regni cura, tum etiam pro maturando redemptionis suæ negotio. Quippe alium non habebat, [d] de cuius prudentia & fidelitáte tam crebra in variis casibus experimenta sumpsisset.

a v.c à pluribus vinctus insignis.

b v.c. addit sed a potentibus regni propter mores insolentissimos Angliã pridem extrusus, & non discedebat ab eo, negotia quidem eius strenuè administrans sed.

c v.c paenthesim hãc interponit (nam tanti principis casus indignissimus citò insonuit orbi terrarũ)

d v.c vnanimem.

Quomodo Rex Francorum inuaſit Normanniam, & quomodo Ioannes turbauit Angliam.

Cap. XXXIIII.

REBVS igitur ita [a] ſe circa Regem Anglorum habentibus, Philippus Rex Francorum miſſis ad eum in Alemanniam a latere ſuo viris honoratis, hominium, quo videbatur ſibi aſtrictus, ſolenniter refutauit, bellumque victo indicens, hoſtile propoſitum declarauit. Indecorum planè viſum eſt omnibus, homini victo & ſui penitus impoti bellum indicere; *ſed malitia nocendi auida reſpectum honeſti non habet.* Diſplicere viſa eſt Imperatoriæ maieſtati, regiæ perſonę tãta indignitas; eiq;, vt a victi rebus quieſceret, ſupplicandum putauit. Porro ille promiſſis ingentibus, & vel coæquantibus vel etiam excedentibus ſummam a victo promiſſam, Imperatorẽ tentauit

[a] *malè inv. c. ſecreta.*

corrumpere, vt eundem sibi cautiùs custodiendum traderet, allegãs mundum componi non posse; si tantus [a] turbator emergeret. Et Imperatoris quidem animum minùs solidum fortè ad hoc pellicere potuit; sed principes imperij vinctum ingenuè miserantes, nefariæ molitioni obstitêre. Ille verò erumpente malitia quiescere nescius, congregato exercitu inuasit Normanniam, moxque Gisortium castellum nobile munimentis abundans, cuiusdam Gileberti, [b] cuius fidei [c] creditum fuerat, proditione recepit. Consequenter ad quædam alia versus castella, neminem obsistentem inuenit. Ita quippe indigna sors Principis subditorum animos fregerat, atque omnem in eis fiduciam eneruarat; vt tanquam oues non habentes pastorem, vel sponte manus darent, vel a facie fugerent [d] insequentis. Cumque iam Albemarliam, [e] Angum atque alia castella plurima in eius potestatem [f] transissent, Metropolim Normanniæ Rothomagum cum exercitu adiit, minátusque internecionem, ni se dederent, vrbẽ resignari præcepit. At Comes Leicestrensis Regis Anglorum comes

[a] v. c. Virgator.

[b] v. c. addit, & v. c. addit modicæ.

[d] v. c. insistentis.

[e] v. c. Angum.

[f] v. c. adiit, matura deditione.

in [a] Oriente fidissimus, præcognito eius aduentu paulò antè vrbem ingressus, animos ciuium erexerat, atque vt contra hostem immanissimum vtiliter agerent, egregiè roborarat. Ille verò vrbe dies aliquot frustra oppugnata, & iactura maiori accepta, quàm illata, recessit, atque ad faciliora exercitum [b] reuocãs, munitiones nobiles, Pascy & Vviery, absque multa difficultate obtinuit. Tũc ad frænandum eius pro tempore impetum, illi, qui res vncti vt cunque gerebant, inducias ad tempus certum ingẽtis summæ pactione redimendas duxêrunt, & quatuor castella electa loco pignoris tradidêrunt. Nec Ioannes, [c] regni ambitu hostis iam naturæ effectus, illis diebus a fratris infestatione quieuit: Regis Francorum in omnibus cooperator. [d] Quippe illo in finibus Normãniæ debacchante, hic fretus munitionibus regiis, quas fratri in Oriente constituto dolosè subtraxerat, cæteruis improborum vndecumque contractis, Angliæ turbabat prouincias, atque infinita in caput regis maledicta congerebat. Regni autem Optimates fide integri, animisque infracti, collecta manu vali-

[a] *v.c. Orientali expeditione.*

[b] *v.c. interscribit, negotia.*

[c] *v.c. interponit: ex.*

[d] *v.c. subdit, effulgens.*

da vecordissimi iuuenis nephariis se ausibus opposuerunt, & castellum Vvindesoram, quod in eius ditionem diu inciderat, fortiter oppugnantes, ad deditionem coëgêrunt. Nam quum Ioannes videret [a] obsessos, quibus subuenire non poterat, perilitari, pro eorum salute inducias ad tempus [b] petiit, & castellum resignauit, [c] traiectoque Oceano ad Regem Francorum se contulit.

a v.c. addit. suos.
b v.c. addit. diffinitum.
c v.c. præponit, Quo facto.

Quomodo Hubertus Salesbiriēsis Episcopus, factus est Archiepiscopus Cantuariensis, & de quibusdam contradicentibus.

Cap. XXXVI.

d v.c. vinctus insignis.

Eodem tempore [d] Rex salubri instinctu Cantuariensem ecclesiā vacare noluit diutius. Nā venerabili Balduino, qui, vt superiùs dictum est, sub charactere dominico in Orientem secum erat profectus Tyri

[a] decẽte, ſcripſit, Epiſcopis, cæteriſque, ad quos tãtum ſpectabat negotium, vt primæ ſedis pro tempore prouidentiam habentes, Metropolitani electionẽ maturarent. Nec propriæ prouiſionis arbitrium tacuit, ſed virum, in quo ſibi complacebat, vtpote in multis probatum, & præclarè agnitũ electuris cõmendabat. Itaque Cantuarienſes cũ Epiſcopis conuenientes, approbata voluntate regia, Hubertum [b] Salesbirienſem Epiſcopũ ad primæ ſedis regimen concorditer & ſolemniter elegêrunt. Qui poſtulato atque accepto a Romano Pontifice pallio inthronizatus, mox ſumpto apud [c] Meretonam Canonicæ profeſſionis habitu, religioſæ propoſitum mentis cultu exteriori declarauit. Cantuarienſibus ſanè, quos prædeceſſoris ſui feruor paulo indiſcretior exulcerárat, ſaluo defuncti honore moleſtus non fuit. Ille enim Cantuarienſibus (vt dicitur) monachis plus iuſto infeſtus, proprium eligendi Põtificem ius & prærogatiuam ab [d] eis transferre voluit. Huius rei gratia ædem maioris eccleſiæ, in qua monachi miniſtrant, quaſi æmulam Cantuariæ fabricare adorſus, præbendas quoque

[a] *v. c. deceſſerat: nullus adhuc in eiuſdem eccleſiæ ſolicitudine paſtorali ſucceſſerat. Scripſit ergo rex de Almannia.*

[b] *a. c. Saliſbarienſem.*

[c] *Vide notas.*

[d] *malè ante ea, eo.*

clericorum instituit ibidem, vbi videlicet defuncto Cantuariensi Archiepiscopo Suffraganei conuenirent, & simul cum eiusdem clericis loci de successoris electione deliberarent. Cantuariensis verò monachi in suæ dignitatis præiudicium hoc fieri non ferentes, ingentis controuersiæ turbinem suscitârunt, & Priore proprio cum aliis pluribus emisso, sedem Apostolicam interpellârunt. Et Archiepiscopus quidem fauore Regio fortior: subactis & protritis non sine sanguine contradictoribus vrgebat opus, quod tamen aduersariis postmodum per Apostolicæ sedis iudicium, & fortia mandata inualescentibus coactus est intermittere. Denique tam fæda contentio inter pastorem, & oues proprias per annos aliquot, cum multo scandalo tracta est, dum neutra pars cedendum putaret, & vtraque palmam dare alteri ignominiosissimum iudicaret. Quamobrem cum idem Pontifex in hoc planè indiscretior, alias verò vir bonus & prudens, & religiosus, in Oriente tam procul ab Ecclesia propria defecisset, Cantuariensis eum parcioribus lamentis plangẽtes, opus illud

quoque, quod totius dissensionis seminarium fuerat, iam pridem intermissum, subito motu cum ingenti lætitia complanârunt.

De nece Leodiensis Episcopi, cuius occasione pene periclitatus est Rex Anglorum.

Cap. XXXVII.

ILLVSTRIS igitur Rex Anglorum Richardus seruabatur in Alemannia: sed placata Imperatoris auaritia, matura eius liberatio sperabatur. Contigit autem incidenti casu vacillare spem istam, & insignem periclitari captiuum hoc modo. Ducis [a] Louaniensis germano ad Episcopatum Leodiensem electo [b] Imperator est offensus, veritus scilicet, ne fortè Dux fortis, facili occasione contra imperium iunctis sibi fraternis intumesceret viribus. Leodiensis enim Episcopus numerosam habere militiam, & ma-

a *v. c. Luxanienſis.*
b *v. c. Imperatori electio non placuit verenti.*

gnarum esse virium noscitur. Cum itaque electus, Imperatore obsistēte, a proprio consecrari metropolitano nō posset: nihilominus impetrato Pontificis Romani mandato ad Episcopos Franciæ, vt ei manus imponerent, ordinatus est. Et metu quidem iratæ potestatis propriam sedem non adiit, sed motum eius tempore lenitū iri sperans, in Francia pro tempore moratus est. Indignatus autem Imperator in indignissimum scelus exarsit. Quippe ab eo (a vt creditur) subornati quidam audaces, assumpta exsulum specie, eundem Episcopum adiêre: suamque apud eum de natali Alemanniæ solo b expulsionem callide deplorantes, ita irrepsêre incauto, vt miseratione vanissima hostes teterrimos in propriam ascisceret clientelam. Illi verrò patrandi facinoris opportunitatem astu peruigili obseruātes: quodam forte die spaciandi gratia cū pauciſſimis vrbe egressum repente aggressi, cum vno clerico perêmerunt, & dum comites eius in vrbem refugerent, fuga elapsi c euasêrūt. Ad Ducis quoque memorati astu consimili necem patrandam, alij sicarij missi dicuntur, qui for-

a *Rigordus in gestis Philippi, asserit planè.*

b *Rigord. exhæredationem.*

c *v. c. euadere potuerunt.*

te deprehenſi, totum myſterium nequitiæ reuelârunt. Denique propter hoc tã grande piaculũ, Colonienſis & Maguncienſis Archiepiſcopi: Duces quoque [a] plurimi animis effrænati, contra Imperatorem conſpirârunt. Huius autem neceſsitatis articulo Imperator cõſtrictus, vt ſibi Francorum vireis adiungeret, cogitauit rupta fide tradere in manus Regis Francorum Regem Anglorum, & propter hoc, illius ad diem certum apud Vallem colorum ſolemne colloquium concupiuit. Verùm hoc maligniſsimæ molitionis colloquium alio ſaluberrimo prẹuentum & diſsipatum eſt. Viris enim ſapientibus, & turbationi imperij, & periculo Regis Anglorum laudabili prouiſione occurrentibus, inter Imperatorem & Optimates proprios concordia (Deo propicio) celebrata, vniuerſa, quæ inter parteis emerſerat malignandi occaſio, exſpirauit. Poſt paucos autem dies Imperator ad locum vbi Rex Anglorum ſeruabatur, veniens: præſentib. & mediantibus Epiſcopis, Ducibus atque aliis dignitatibus plurimis, per dies aliquot cum eo colloquium habuit, & tandẽ in

[a] *v.c. addit. Saxonicus, Luuanienſis aliique nobiles plurimi animis efferati.*

vigilia beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum [a] omni, quæ inter eos vertebatur, quæſtione deciſa, & ſumma redemptionis regiæ declarata, Imperator Regem de cætero honeſtiùs, id eſt ſine cathena, ſeruari decreuit. Denique iubente Imperatore Epiſcopi, & Duces cum vniuerſa nobilitate, quæ aderat, iurauêrunt in animam Imperatoris, certã Regis liberationẽ poſt ſatisfactionem iuſdem ſummæ, id eſt, [b] C. miliũ librar. argenti: cuius pars tertia Ducis Auſtriæ, qui eundem Regem captiuauerat, competere dicebatur.

a *v.c. communi.*

b *Anongm. Angl contemporan. cl. mille marcæ argenti ad pondus Colonenſium.*

Quomodo afflicta ſit Anglia per captiuitatem Regiam.

Cap. XXXVIII.

EODEM tempore Rex Anglorum diutinæ detentionis oppidò pertæſus, procuratores regni Anglici, cunctoſque fideles, & deuotos ſuos qui alicuius momenti eſſe videbantur,

bantur, frequentibus cõmonebat mandatis, vt redemptionis ſuę precium modis omnibus pręparantes, liberationem ſuam maturarent. Vrgebãt ergo negotium in cunctis Angliæ finibus executores regij, nulli parcentes, nec erat vlla diſtinctio clerici & laici, ſecularis & religioſi, [a] ſed omnes indifferenter, vel iuxta vires ſubſtantiæ ſuæ, vel iuxta redditum quantitatem indictum ſoluere modum pecuniæ cogebantur. Silebant & vacabãt priuilegia, [b] prærogatiua ecclesiarum & monaſteriorum. Omnis dignitas ſiue libertas oppilabat os suũ: nec alicui licebat dicere, tantus ac talis ſum: habeſe me excuſatum. Ciſtercienſis quoque ordinis monachi, quĩ ab omni exactione regia hactenus immunes exſtiterant: tanto magis tunc onerati ſunt, quantò minùs antea publici oneris ſenſerant. Quippe quod illis in ſubſtantia præcipuum eſſe noſcitur, & quod fere pro omni redditu ad vſus ſumptuſque neceſſarios habere videntur, lanam ſcilicet pecudum ſuarum, exacti coactique reſignârũt. Putabatur quidem tanta pecuniarum coaceruatio redemptionis regiæ, ſummã excedere,

[a] *v.c. inter ſerit Vrbani & Ruſtici.*

[b] *v.c. prærogatiuæ, immunitates,*

quam tamen non attigit, cum vniuersæ particulæ Lundoniis conueniſſent ad ſummam, quod accidiſſe creditur per fraudem executorũ. Denique propter hanc primę collationis inſufficientiam, miniſtri Regij, ſecundam tertiamque inſtaurant, quoſque locupletiores pecuniis ſpoliant, manifeſtumque rapinarum dedecus honeſto redemptionis regiæ nomine palliant. Poſtremo, vt nulla vacaret occaſio, & reſiduum erucæ locuſta, reſiduum locuſtæ bruchus, eiuſque reſiduum rubigo abſumeret, ad vaſa ſacra ventum eſt. Et quoniam ea in redemptionem quorumlibet fidelium captiuorum expendi non tantum conceſſit, verumetiam monuit veneranda patrum diſcretio: multo fortius eadem captiui Principis redemptioni debere proficere iudicatum eſt. Itaque per omnem regni Anglici latitudinem traduntur calices ſacri exactoribus regiis, vel indulgenter, id eſt, paulo infra pondus redimuntur. Cumque iam fere exinanita pecuniis Anglia videretur, & laſſatis executoribus regiis, exquirendi quoque pecunias occaſiones langueſcerẽt, tota tamen illa opum coaceruatio (vt

dicitur) ad complendam regiæ redemptionis atque expensarum eius summam minus sufficere potuit. Quamobrem prætaxatæ summæ parte maiori ministris Imperatoris appensa: rex consulte, ne sua supra modum protraheretur relaxatio, pro parte reliqua Imperatori per obsides idoneos satisfecit.

De prodigio ruboris insoliti ter in aëre diuersis temporibus apparentis.

Cap. XXXIX.

EA tempestate per occasionem captionis Regiæ, Anglia sub multiplici & quantam prius nec vereri poterat, attritione gemebat, cuius mali atrocitas recentibus (vt creditur) e cælo prodigiis claruit. Denique illius anni, quo idem Rex in manus hostium incidit, mense Ianuario, signum in cælo terribile vidimus, [a] venturæ procul dubio afflictionis

a *Anonym. ms. huius tantæ calamitatis præsagia exti-terant inũdationes aquarũ ter seu quater in quolibet mense: horrenda tonitrua hyemalia, fulgura, coruscationes, frugum & fructuum infertilitas.*

noſtræ præſagium. Nam circa primam noctis vigiliam media inter Boream & Subſolanum cæli plaga ita rubuit, vt quaſi ardere videretur, cum nec leui obduceretur nubecula, ſed ſydera clarè micarent: eodem tamen rubore igneo, & quaſi albentibus lineis interciſo ita infecta, vt luce quadam ſanguinea rutilarent. Cumque hæc horribilis ſpecies per cunctos Angliæ fineis duarum fere horarum ſpatio, oculos animoſque cum ſtupore intuentium tenuiſſet intẽtos: tandem paulatim euaneſcens, multa ſui quæſtione relicta, diſparuit. Anni verò ſequentis menſe Februario, cum iam Rex Anglorum in Alemannia teneretur, detentionis eius nondũ in Anglia rumore vulgato, ſimillimum plaga cæli non mutata per vniuerſam Angliã ſignum emicuit poſt mediam noctem, cũ viri religioſi conſuetis Domino laudibus concreparent. Quos nimirum in diuerſis prouinciis exhorrendi ruboris [a] repercuſſione per feneſtras vitreas ita territos nouimus, vt plurimi caſum incendij in ædificiis proximis accidiſſe putantes, relicta Pſalmodia exſilirent: & notato ſigno horribili ſtupidi Pſal-

a v. c. repulſione.

modiæ se redderent. Cumque iterati signi non parua esset quæstio: subito captionis regiæ fama percrebuit. Eodem sanè anno cum iam [a] grauis esset in Alemannia Regis detentio, & speraretur matura eius liberatio: quarto Nonas Nouembris ante crepusculum matutinum idem ipsum signum in eadem cæli plaga tertiò apparens, minùs quidem iam illi assuetos intuentium animos terruit: sed quæstionem suspicionémque auxit portenti. [a] *v. c. mo-rosa.*

Quomodo Rex Francorum cum non posset impedire liberationem Regis Anglorum, iterum inuasit Normanniam.

Cap. XL.

CVm igitur illustris Rex Anglorum Richardus redemptionis suæ maiori parte, vt dictum est, auaro Imperatori appensa: pro reliqua ex nobilibus, qui ad eum visitandum

accesserant, obsidum exactum numerum tradidisset, tandem post diutinam detentionem certus dies relaxationis eius designatus solemniter & præfixus est. Quod vbi innotuit Regi Francorũ, atque hosti naturæ Ioanni: desperantes se iam non posse ad perpetuandam insignis captiui detentionem animum Imperatoris corrumpere: modis omnibus nisi sunt, eam saltem in annum sequentem protelare, scilicet vt hoc spatio terras ditionis suæ nullo obsistente liberè occuparent, quo facto inanis foret eius post annum regressus. Cum ergo pro hac re Imperatori per nuntios supplicarent, & non imparem acceptæ a Rege Anglorum pecuniæ summam promitterent, ille supra modum corruptibilis super hoc proprios Optimates consuluit. Qui ninirum imperatoriæ leuitati succensentes, honestioris consilij pondere obstitêrunt dicentes: Sufficit domine Imperator hucusque fœdatum esse indigna nobilissimi Regis captione imperium, ne inexpiabilem imperiali maculam generes honestati. Itaque infecto fœdissimæ molitionis negotio, nuntij redeuntes dominos suos

animis saucios reddidêrunt. Erat autem hyems, & tempus bello omnino inhabile, [a] nec tamẽ erga Regem captiuum flagrantis poterant malitię studia deferuere. Denique Rex Francorum Ioanne cooperatore, ruptis cõcinnata occasione induciis, quarum respectu modicum quieuisse videbatur: iterũ inuasit Normanniam, & ferociſſimorum olim indigenarum languentibus animis, eo quod non haberẽt ducem nec præceptorem; [b] ciuitatem Ebroicenſem cum castellis plurimis minimo & incruẽto [c] negotio occupauit. Verùm post multam debachationem quasi lassatus, suspensa ad tempus reuocatis induciis feritate quieuit. Sanè nec in Anglia illis diebus pax fida vel tuta erat, cum & munitiones Ioannis gentem peccatricem, & prædarum auidam cõtinentes, prouinciarum quietem turbarẽt, & prouinciales accepto ex Alemannia Regis mandato earundẽ munitionũ oppugnationẽ atque obsidionem pararent. Sanè inter Eboracenſem Archiepiscopum & Clerum propriũ fœda illis dieb. cõtentio vertebatur: nata quidẽ ex leui causa, tãquam ex scintillula rogus ingẽs. Cuius tamen

a *v. c. ita legit: nec tamen Regem captiuum flagrantes: poterant malitia studio deseruire.*

b *v. c. addit. nec Principem.*

c *v c insecrit, ferè.*

initium, progressum atque exitum [a] exponere, commodior locus erit.

a *v. c. præponit contextum.*

Quomodo Rex Anglorum de captiuitate relaxatus applicuit in Anglia.

Cap. XLI.

IGITVR Rex Anglorum post Alemannicæ detentionis tædium, quod iam annum excesserat, mense tandem Ianuario solemniter [b] relaxatus est, relictisque apud Imperatorem loco obsidum, Rothomagensi Archiepiscopo, Batonensi Episcopo, & nobilibus plurimis, siue pro expletione summæ nondum persolutæ, siue etiam pro quorundam fide pactorum, portum, qui Svvina dicitur, adiit, inde in regnum proprium Deo propicio transiturus. Verum cum ibidem diuscule demoraricogeretur, siue necessarij apparatus gratia, siue etiam propter flatus aduersos, indultæ ei gratiæ, vt dicitur, Imperatorem pœnituit, & relaxatum ad perpetuam reuocare custodiam cogitauit. Missisque satellitibus suis, vt com-

b *Die Purificationis B Mariæ, inquit Anony. ms.*

prehenderent Principem, Reuocetur, inquit, ad vincula non relaxandus in secula. Non latuit nequissimæ molitionis susurrus quẽdam eiusdem fortè Regis beniuolum. Qui tantæ malignitatis mysterium nihil tale suspicanti festino significans nuntio, cautum eum reddidit, & vt se confestim nauigio in portũ daret, amica sollicitudine monuit. Quod & factum tam celeri quàm salubri cautela. Mox Imperatorij (vt dicitur) apparitores affuêre, atq; [a] non potentes nobilem prædam in arido non inuentam, per liquidum persequi, cum suæ frustrationis excusatione congrua ad præceptorem perfidum [b] rediêre. Qui sera sibi pœnitudine imputans irrecuperabilis captiui elapsum; præcipitem motum in innoxios obsides trãstulit; ac priùs apud se indulgentiùs liberiusque habitos arctiori custodia castigauit. Porro Regem Anglorum a facie hostilium satellitum refugientem in pelagus, secundi flatus ex cipiẽtes, & quasi satisfacientes pro eo, quod illum anno præterito Alemannicæ immanitati prodiderant, saluum atque incolumem cum omni comitatu regno proprio red-

[a] *v. c. impotentes.*

[b] *v. c. irregressibili.*

didérunt. [a] Applicans ergo apud portum Sanduicum menſe Martio, tempore quadrageſimalis ieiunij, tunc primũ captiuitate liberatum ſe credidit, cum naui egrediens Anglicum ſolũ calcauit.

a die dominico poſt feſtum ſancti Gregorij, hora ſecunda Anony. ms.

Quomodo Rex pacificato regno Vuintonæ coronatus eſt.

Cap. XLII.

DIv [b] exſpectatũ & iam ferè deſperatum Principis regreſſum Euro velocior fama vulgauit: qui mox a Prouincialibus congratulatorio exceptus occurſu, venit Lundonias. Quæ nimirũ aduentu eius præcognito, ſumpſêre [b] oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Deniq; ad ingreſſum Principis ita ornata eſt facies ampliſſimę ciuitatis, vt Alemãni nobiles qui cum ipſo venerãt, & redemptione regia exinanitam bonis Angliam credebant, conſpecta opum magnitudine obſtupeſcerent. Quorum vnus in ipſa pompa ſolemni conuerſus

b *v.c. inexpectatum.*

c *Eſai. 41. verba mutuatus eſt auctor.*

ad Principem dixit. Reuera si has opes Anglicas Imperator sciisset, nec te nisi sub intoleranda redemptionis summa dimittendum duxisset. Sanè regresso Regi, Optimatum & Procerum regni admodum pauci occurrerant; quia fere omnes de mandato regio circa oppugnandas munitiones Ioannis, iusta necessitate occupati fuerant. Et quidem ante Principis ad propria reditum, munitionem de Mersebourg fortiter oppugnatam morosa difficilique opera ceperant: tunc vero Notingeham & Tikehil, castella munitissima diuerso exercitu obsidebant. Rex autem post recens captiuitatis tædium, otium & delicias aspernatus, mora exigua Lundoniis facta: Notingeham festinus conscendit. Est autem id castellum natura & manu ita munitum, vt sola inedia, si defensores idoneos habeat, expugnabile videatur. Porro aduersus hoc malum prouisione sagaci habet in annos plurimos reposita ciborum subsidia, armorum quoque & virorum fortium copiam. Verum cũ Rex, qui ab improbis nunquam rediturus putabatur, repentinus adesset: ita illorum, qui in

munitione erant, illius inopinata præ-
[a] *similitudo est tradu-cta ex. Psalm. 67.*
sentia perstricti sunt animi, vt, [a] sicut fluit cera a facie ignis: sic eorum omnis fiducia a facie, quasi gigantis subitò apparentis, liqueſceret, ſtatimque de caſtri & inexpugnabilis, & nulla re neceſſaria ad tolerandam obſidionem diutinã indigentis, deditione, enerues & languidi pertractarent. Cumque apud ferociſſimum Principem honeſtam non poſſent gratiam inuenire, pudendis cõditionibus munitionem cum omni armatura, ſupellectili atque ſubſidio reſignantes, ſua quoque corpora pro declinanda ſeueritate iudicij incertæ atq; inexpreſſæ miſericordiæ tradiderunt. Qui autem in alia munitione erant, quę diſparis eſſe firmitatis noſcitur, paulò excuſabilius in idem periculum & dedecus incidêrunt. Itaque vt leui Rex negotio firmiſſimas munitiones obtinuit, eiſque, qui ſe dediderant, ſub ſpe clementiæ cuſtodiæ mancipatis, Ioanni fratri ſuo, cui per immoderatam atq; indiſcretam largitatem cornua contra ſe dederat, ob enormem culpam ingratitudinis atque perfidiæ omne ius priſtinum ſolemni iudicio Procerum ab-

vide notas.

iudicauit. Sic ergo tanti turbatoris, qui paulò ante regni Anglici Tetrarcha esse videbatur, abrasa potentia, omnis in Anglia, motus hostilis conquieuit. His Deo propicio feliciter gestis: Rex ad superiora remeans, solemnitatē Paschalem Hamtonę in multa lætitia cum Optimatum suorum frequētia celebrauit, atque in octauis Paschæ Vvintonæ regni Diademate fulgidus deterſa captiuitatis ignominia, quasi Rex nouus apparuit. [a] Et huius quidem libri iste sit modus: qui quartus in opere, sumpsit exordium in illustrissimi Regis Ricardi coronatione prima, & explicatis recentis memoriæ casibus, incisionis pausam postulat in eiusdem Regis coronatione secunda, anno regni sui quinto, a partu autem Virginis, M. C. XC. IIII.

[a] *hæc erāt addita in v.c.*

† Quomodo Hugo Cestrensis Episcopus destruxit monasterium Conuentrense.

Cap. XLIII.

Mirandum sanè est tantum virum (venerabilem dico Baldevvinum) [a] qui ex Archidiacono, Cistercienſis ordinis monachus, moxque abbas, & ex Abbate Vigornienſis Episcopus; & ex ſuffraganeo metropolitanus, recipiēs ſcilicet ab eo Archiepiſcopatū pro quo dimiſit Archidiaconatum. Mirandum, inquam, eſt ſpectatæ religionis virum, illud genus, Canonicos ſcilicet ſeculares propagare voluiſſe: cum ſalubrem impendere operam, vt illud genus minùs abundaret, atque in genus religioſum tranſiret, magis eum videatur decuiſſe; quod vtique olim ſancti feciſſe noſcuntur. Quippe in præclaris eccleſiis Cantuarienſi ſcilicet & Vvintoniēſi ſeculares olim clerici miniſtrarunt. Quibus nimirū religioſi illi, Dei nutu

[a] *idem ſed alijs verbis proſequitur Matt. Parquerus in antiq. eccle. Britan. hoc autem cap. cæteraque vt ſuprà ſignata ex v.c. reduxi.*

potestatē habentes, optionem dederūt, vt vel beneficia atq; officia, quibus indigni censebantur, relinquerent: vel in sacræ religionis propositum, laudabili mutatione transirent. Quibus, dū salubriter cogerētur, vel cedētib., vel mutatis: vnitatis decorē domus Dei vsq; in hodiernū diē religiosa meliùs collegia conseruarūt. Religiosus ergo pontifex nostris temporibus illud genus propagare non debuit: cuius vtique per salubrē conuersionē minuendi occasio potius cooperante Christo quærenda fuit. Verū Hugonis Nunantini Cestrensis siue Conuentrensis Episcopi flagrans adhuc maleficiū longè præpōderat, quod silentio prętereundū non est. Conuentrēse cœnobiū vel a nobilibus olim Anglis pia deuotione fundatum, ditatum, ornatum, per annos ferè trecentos inter ecclesias Anglicanas emicuit: & propter suam claritatē Cestrensis Episcopi, vt & Cōuentrensis diceretur multo tēpore, in multa pace sedes fuit. Hunc venerabilem locum, cum quidam satelles diaboli, Robertus scilicet Marmiū sub Rege Stephano spoliatum profanasset: *l. 1. sup. c. 12* diuinæ, vt suo loco dictum est, seueritati

libcram poſtulãs facultatem. Romanus verò pontifex ſub tanta expectatione, ſi fortè aliquis ex parte monachorum adueniens, in contrarium allegaret, per menſes ſex, ſententiam ſuſpendit. Quibus expletis cum nullus pro monachis adeſſet, petentis Epiſcopi voluntatem impleuit. Quippe vt monachi tardiùs aduenirẽt, ſumptuum fecit inopia. Qui tamen vel ſerò aduenientes, & violentæ expulſionis iniuriam multo tempore deplorantes, præualente Epiſcopi vel potentia, vel aſtutia, ſiue pecunia vſque in hunc diem pro reuocanda atque euacuanda ſemel per ſurreptionem elicita, præmaturè lata fruſtrà laboraſſe noſcuntur ſententia. Non enim vlla deteſtandi operis prouenit correctio: ſed monachis pro tolerãda inopia latè diſpenſis, bona eorum ab eodem Epiſcopo in præbendas diuiſa ſeculares clerici ipſo auctore poſſident. Et ipſe quidem in tanti auſus vel patratione, vel defenſione, cooperatore pro tempore vſus eſt Elienſi Epiſcopo: qui ſub nomine cancellarij Regij, eo tempore quaſi regnare videbatur, cum eidem in accepta tyrannide conſiliarius, & coadiutor,

pætulanti nouitati existeret. Post modicum verò solita leuitate ab ipso deficiens, aduersario eius Ioanni Regis fratri adhęsit: eumque, vt dicitur, ad rebellandum contra fratrem pestilentibus consilijs imbuit. Verùm cum idem Rex in Alemannia detentus visitaretur a suis: ipse quoque inter cæteros properauit ad eum, vt eius circa se animum exploraret: seque dissimulatione callida ab infami, quæ illi a plurimis inurebatur, perfidiæ nota purgaret. Et cum principem obumbratæ deuotionis prę-stigiis non posset deludere, desperata eius gratia ad propriam sedem reuerti, minùs sibi tutum esse arbitrans, cauteriata comitante conscientia in Franciam concesit.

GVILLELMI NEVBRIGENSIS DE REBVS ANGLICIS,

LIBER QVINTVS.

QVÆ ACTA SVNT A Rege Angliæ poſtliminio reuerſo antequam transfretaret in Normanniam.

CAP. I.

REexigitur poſt [a] redemptionẽ ſuam, non diu in Anglia demoratus, rerum ſtatum tanquam tunc primùm Rex factus, de nouo curauit diſponere; & fere quicquid illi placuiſſe videbatur [b] in prima regni ſuſceptione, mutandum atque innouãdum duxit in ſecunda. Denique regnũ,

[a] *v. c. coronationis ſuæ ſolẽnia tempore modico.*

[b] *in cui ne-uitate v. c.*

a *sup. l. 4. c. 12.* quod iter Orientale arrepturus, vt [a] suo loco pleniùs dictum est, multifariam sciderat, ad integritatem satagens pristinã reformare, quicquidab illo tunc fuerat vel leuiter datum, vel ponderosè venũdatum, sub nomine repetiit commodati. Nec cuiquam fas erat ratione cuiuslibet vel pacti, vel tituli, vel instrumenti perfunctorium ius tueri, dum omnes magnitudinis Regiæ mole premerẽtur, nec quisquam auderet ei dicere: [b] *Nolo multa fortitudine contendas mecum, nec magnitudinis tuæ mole me premas.* Astu tamẽ molliùs loquebatur, regiarum dicens possessionum emptoribus; Non decet vos sublimitati regiæ fœnerari: si ergo sortem vestram de fructibus rerum nostrarum iam percepistis, ea contenti esse debetis. Sin minus; supplebo de proprio, omnem amputans occasionem retentionis. Nouit enim prudentia vestra, rescriptum sedis Apostolicę, quo prohibeamini Regi proprio sortem vestram excedendo fœnerari: mihi, suo tẽpore si fortè neceſſe sit, minimè defuturũ. Deniq; illi [c] Regis imminẽte metu attoniti, tunc demũ artem intuentes, qua eos in sumptus Ierosolymitanæ profectio-

b. *sunt verba Iob. 24. ab Auctore recomposita ad historiã.*

c *v.c. Regiæ immineutiæ.*

nis nudárat pecuniis, nec leui quidem quæſtione habita de ſorte minùs percepta, vniuerſa reſignárunt. Nec Dunelmenſis Epiſcopus, qui Comitatũ, Scottorum finibus proximum graui ſumma comparatũ iam per aliquot annos poſſederat, in hac parte præcœteris preuilegium habuit. Sed Comes eſſe deſinens, in ſimplicem Epiſcopum rediit, ſicque illi tanta opera, & tanta pecunia periit, quæ vtique non periſſet, ſi piis aptata vſibus in cęleſtes theſauros abiiſſet. Qui nimirum animum Principis minus ſibi arridentis ex vultus mutatione coniectans, non exſpectata repetitione Comitatum reſignauit, nec tamen (vt dicitur) commodis amplioribus inſatiabiliter inhiãtẽ ſatis placauit. Præterea Rex ſiue pro liberandis obſidibus apud Imperatorem relictis, ſiue etiam in ſumptus belli cum Rege Francorũ gerendi, tributum minùs vſitatum vniuerſo regno indixit, a ſingulis ſcilicet carucatis terrę indifferenter geminatum ſolidum exigens, vacãtibus clericorum religioſorum, & quorumlibet aliorum priuilegiis. Præſentibus quoq; ad congratulãdum illi quibuſdam maioribus Ciſter-

cienſis ordinis Abbatibus. Deuotionē inquit, veſtram & liberalitatem circa nos, qua potiſſimum ſubſtantiæ veſtræ (id eſt) vellera ouium veſtrarū redemptioni noſtræ impendiſtis, vt dignum eſt, approbamus, & vberiorem ſuo tempore, ſi vita comes fuerit, rependere gratiam pro gratia iſta cogitamus. Vt autem vobis [a] perpetuò ſimus gratiæ debitores; oportet vt adhuc ſemel veſtrum ad nos declarantes affectum, lanam veſtram anni præſentis nobis non grauemini commodare. Nam cum ab Imperatore dimiſſi in multa paupertate ad propria tenderemus, confiſi de vobis, vrgentiſſima neceſſitate, a tranſmarinis mercatoribus in vſus neceſſarios, eiuſdem lanæ veſtræ precium ſumpſimus, quod procul dubio [b] ad Saccarium noſtrum menſis Octobris probatæ charitati veſtræ cū gratiarum actione reddemus. Hoc modo relioſos illos quaſi blandiendo ſpolians, clariſſimis monaſteriis egeſtatem inſolitam irrogauit. Rebus igitur in Anglia diſpoſitis, & viro induſtrio, Cantuarienſi ſcilicet Archiepiſcopo principali procuratore regni conſtituto: exercitu quoque An-

[a] *v. c. perpetuæ.*

[b] *v. c. Scacarium.*

glico, qui cum eo transfretaret ordinato, [a] discessit ad mare. Vbi accepto de transmarinis partibus nuntio, quod Francorum copiæ irruptionem in Normanniam meditantes conuenissent: cum graui tædio [b] transfretauit, susceptusque a suis cum gratulationibus, sua præsentia post longum torporem ad præclaram fiduciam animos eorum erexit.

[a] *v. c. descendit.*

[b] *v. c. transfretandi opportunitatẽ expectans, sæpiusq; elementa incusans, tandẽ auris ad votum spirantibus.*

Quæ acta sint inter Regem Anglorum & inimicos eius postquam transfretauit.

Cap. II.

INTEREA Rex Francorũ Vernullum oppidum munitissimum, quod olim pater eius obsederat incassum, cũ infinitis copiis paternæ in hac parte sortis hæres futurus obsedit. Rex autẽ Anglorũ opportunè suis in Normãniã redditus, cõtracto paulatim exercitu, non lõgè a Vernullo, apud castellum, quod dicitur Aquila, castra posuit. Cumq; per

dies aliquot ibidem consedisset; Francorum exercitus, conferendi cum eo prælij discrimen declinans, postquam in oppugnatione oppidi multo cassoq; labore sudauerat, soluta obsidione recessit. Porro Rex eorum, tanquam ad detergendum pudendæ recessionis dedecus, vrbem Ebroicensem, quam prius spoliarat, peruicaci furore euertit, nec celeberrimæ in illis regionibus Ecclesiæ beati [a] Gaurini pepercit. Cum enim eandem incendi iussisset, & nullus ex tanto exercitu diuini timoris intuitu nefariæ iussionis executor existeret: ipse (vt dicitur) cum quibusdam perditis ex illo hominum genere, quos Ribaldos vocant, ingressus sacris ædibus ignem immisit. Denique (vt fertur) quod ex eadem Ecclesia sublatum est, Carnutensi ciuitati illatum, eidem clarissimæ ciuitati quasi ignis fuit: quæ nimirum consequenter pæne vsque ad consumptionem fuit in combustionem & cibus ignis. Bellum igitur inter duos reges magnos alternantibus, vt assolet, circa parteis dextris, [b] sinistrisq; casibus agebatur. Verùm Regis Anglorum, quem paulò ante & thesauris dura spoliauc-

a *v.c. Gaurini primi Episcopi Ebroicensis: præcedētia vero succedentiaque scribit Rigor. Maio mēse gesta.*

b *barbarè inuc sinistribus casibus.*

rat captiuitas, & integritate finium ſuorum hoſtilis mutilârat immanitas: feliciores poſt tantam circa eum fortunæ malitiã ſucceſſus fuêre. Quippe in hoc bello nec vnius paſſum pedis de terra poſſeſſionis ſuæ perdidit: de munitionibus autem [a] quas perdiderat, caſtellum nobile, quod Loches dicitur, cum quibuſdam aliis bellica ſorte recepit. Hoſtium quoque fineis ingreſſus, nonnullis fortiter & proſpere geſtis, [b] Vindocinum veniens, ibidem per dies aliquot exercitum recreauit. Rex autem Francorum, cum eum hinc abiſſe putaret: non longè a [c] Vindocino caſtra locauit. Sed hoſtis vicinitate cõperta, de nocte receſſit. Mane facto Rex Anglorum abeuntem exercitum perſecutus, Regis fugientis plauſtra & clitellas cum quibuſdam arcanis & gaza multiplici, variaque ſupellectili comprehendit. Sanè ipſo tempore infeſtabatur etiam a quibuſdam nequiſſimis deſertoribus in Aquitania, Geofrido ſcilicet [d] Ranconenſi, & Comite Engoliſmenſi viris præpotentibus, & Francorum, a quibus inſtigati fuerant in eum, fiducia multùm ferocibus. Sed

[a] *v. c. quæ illi perierãt*

[b] *v c. Vvẽdouerum.*

[c] *v c. Vvẽdono, hinc gallicè Vẽdoſme vrbs in Celtica Ronſardi cunabulis ſplendida.*

[d] *v. c. Xãtonenſi.*

filius Regis Nauarrorum, Germanus [a] Berengeriæ Reginæ Anglorum, cum exercitu Aquitaniam ingressus: terra vtriusque desertoris vastata, cum forte paterni decessus nuntium accepisset, successionis gratia ad propria remeauit. Cumque post modicum fatalis memoratum [b] Ranconensem necessitas sustulisset, Rex Anglorum cum exercitu superueniens famosissimum castrum eius (quod dicitur [c] Tailleburg) matura deditione obtinuit, moxque impetum in alium desertorum conuertens: ciuitatem [d] Engolismam cruenta celeritate expugnauit, Rege nimirum Francorum, dum hæc fierent, mollius agente, quem scilicet spes induciarum, de quibus inter eos iam tractabatur, astutè suspenderat.

a *v.c. Berengariæ.*

b *v.c. Xãtonensem.*

c *v.c. Cailleburg.*

d *malè antea Engoleſmem v. tamen c. habet, vt reposui.*

De induciis inter Reges factis, & de pace prouinciarum, præterquam ab exactoribus regiis.

Cap. III.

ANno a partu virginis M.C.nonagesimo quarto, circa festum [a] Principis Apostolorũ, quod dicitur ad Vincula: post multam conflictationem & casus varios, mediantibus honoratis, induciæ, quas Treugas vocant, inter Reges sancitæ sunt in annum, Regi quidem Anglorum per captiuitatem multùm attenuato ad reparationem virium admodum vtiles: licèt, vt quibusdam videbatur, parum honestæ, cum inter fineis iam breuiores Normanniam possideret. Sed præponderauit ratio vtilitatis, & rebus [b] cũ aliquantula etiam honestatis iactura oportuit consuli. Quo facto modicam laborantes prouinciæ pausam recepêre. Verùm in illa interpolatione malorum, exquirendarum studio pecuniarum vehementiùs excanduit in subditos auaritia Principum, dum cogi- 1194.

[a] *abest a v. c.*

[b] *v. c. addit. præsentibus.*

tarent cogitationes magis belli, quàm pacis, & ad futuros se motus modis omnibus præpararent. Denique in hac re nulla vacauit occasio, & vbi fortè [a] occasio vel imaginaria defuit: mera tamen per exactores regios ad extorquendum violẽtia non quieuit, illis maximè onera insolita frustra causantibus: qui de superiorum religiosa indulgentia Principum ab omni exactione seculari immunes & liberi esse soleant, viri scilicet religiosi. Et memoratorum quidem Regum Christianissimi patres, religiosorũ præcipui patroni & protectores fuisse noscuntur: filios vero in hac parte minùs patrissare dolemus. Et quidem Rex Anglorum, propter inquietam adolescentiam, in regni sui primordiis plus formidabatur tanquam immitior Princeps futurus. Porro de Rege Frãcorum ob patris memoriam & ætatis teneræ mores innoxios in suis auspiciis meliora sperabantur atque omne hominum genus [b] imprecabatur illi prospera: At cũ a patribus Orientis (vt supra memoratum est) ad propria remeasset: implacabili odio Regis Anglorum in virum alterum mutatus est, & tanquam se de illo

[a] *abest av. c. nec absre, vtpote superflua.*

[b] *v.c. interpretabatur.*

in propriis vlturus ſubditis: fere omnibus, & maximè religioſis, clericiſque grauis apparuit. Rex verò Anglorum de captiuitate reuerſus, Deo propicio mitior inuentus eſt. Vnde venerabilis Ioannes Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui ipſo fortè tempore in Angliam venerat, cum Lundoniis conſtitutus ſederet cum viris honoratis, & plurimi coram eo de proprij Principis duritia cõquerentur, nolite (inquit) ſic loqui, dico enim vobis, quia Rex veſter in comparatione Regis Francorum heremita eſt. Et pauca de moribus eiuſdem Principis ſubtexens adiecit, cum ætate [a] proximè exacta ita propriis peperciſſe theſauris: vt omneis ſumptus belli, quod cum Rege gerebat Anglorum, ab eccleſijs maximeque monaſteriis extorqueret.

[a] *v.c. puritia.*

Quomodo tyronum exercitia tempore Regis Richardi esse in Anglia cœperunt.

Cap. IIII.

CVRRENTIBVS igitur inter Reges induciis meditationes militares, ideſt, armorum exercita (quæ torneamenta vulgo dicuntur) in Anglia celebrari cœperunt, Rege id decernente, & a ſingulis, qui exerceri vellent, indictæ pecuniæ modulum exigente. Nec mouit hæc regia exactio alacritatem iuuenum, in arma flagrantium: quo minùs flagrarent, atque [a] exercendo ſtudio ſolemniter cõuenirent. Sane huiuſmodi, nullo interueniente odio, ſed pro ſolo exercitio atque oſtentatione virium, concertatio militaris, nunquam in Anglia fuiſſe noſcitur, niſi in diebus regis Stephani, cum per eius indecentem mollitiem nullus eſſet publicæ vigor diſciplinæ. Porro temporibus Regum priorũ, Henrici quoque ſecundi qui Stephano ſucceſſit, tyronũ exer-

[a] *v.c. exercendi.*

citiis in Anglia prorsus inhibitis, qui fortè armorum affectantes gloriã exerceri volebant: transfretantes in terrarum exercebantur confiniis. Considerans igitur illustris Rex Richardus [a] Gallos in conflictib. tantò esse acriores, quantò exercitatiores atque instructiores: sui quoque regni milites in propriis finibus exerceri voluit, vt ex bellorum solemni præludio, verorum addiscerent artem vsque bellorum, nec insultarent Galli Anglis militibus, tanquã rudibus & minùs gnaris. Sciendum vero huiusmodi armorum exercitia tribus generalibus conciliis sub tribus venerabilib. Romanis Pontificibus esse prohibita. Vnde in Concilio Lateranensi Alexander Papa; [b] *felicis memoriæ, Papæ* (inquit) *Innocentij & Eugenij prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, detestabiles nundinas, quas vulgo Torneamenta vocant, in quibus milites ex conducto conuenire solent, & audacia temeraria congrediuntur, vnde mortes hominum & pericula animarum sæpe proueniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamuis ei poscenti pœnitentia non negetur: Christiana tamen careat sepultura.*

[a] *etiam aduersarij testimonio, Galli sunt in præliis acres, & exercitati.*

[b] *mirùm certè quod superiùs suo nõ reposuerit loco.*

Cum ergo ſolemnem illum tyronum concurſum tanta ſub graui cenſura vetet auctoritas: feruor tamen iuuenum, armorum vaniſſimè affectantium gloriam, gaudens fauore Principum probatos habere tyrones volentium, eccleſiaſticæ prouiſionis vſque in præſens ſpreuit decretum.

De reditu Ioannis ad fratrem.

Cap. V.

EODEM tempore Ioannes frater Regis Anglorum cum multo dedecore contra fratrem militabat Regi Francorum, a quo ſcilicet dum frater in Alemannia teneretur, abſtractus erat atque illectus, vt ruptis naturæ legibus fraternis hoſtibus iungeretur. Qui nimirum dum plurimùm potuit, Regi Francorum honorabilis fuit. Vbi verò captis munitionibus, quas in Anglia patris vel fratris profuſa largitione acceperat, tanquam nihil habens ad nocendum fratri, factus eſt impotẽs:

ſpreuit

spreuit eum Rex Francorum, tanquam opera eius non indigens. Ille autem videns fratrem non modò saluum ad propria remeasse, verùmetiam prosperari tandem dignatus est ei reconciliari. Itaque mediante matre supplex ad fratrem rediit, a quo satis fraternè susceptus ei de cætero contra Regem Francorum fideliter & fortiter militauit, priores excessus nouis officiis expians, & fraternam in se charitatem ad plenum reformās. Hugo quoque [a] Viuantinus, Cestrensis Episcopus, vir inconstans in omnibus viis suis, qui a facie Regis Anglorum, pungente mala conscientia in Franciam fugerat, eundem Regem non modica summa placauit: & Episcopatu suo recepto, Regiis magis negotiis, quàm sollicitudinis pastoralis officiis, de cætero inseruire curauit.

[a] v. c. Neuantinus.

De Stephano procuratore Andegauensi deluso a Dæmone.

Cap. VI.

LIBET hoc loco commemorare quod Stephano procuratori Andegauiæ cõtigisse fertur paulò ante reditum ab Alemannia, Regis Anglorum. Idẽ enim Stephanus ex statu mediocri ad tantæ administrationis culmen a Rege Henrico subleuatus, ipso superstite, prudentiam atque modestiã in suis actibus ostentans: filio quoque eiusdem, Regi Richardo sic placuit vt eandem illi administrationem crederet, vt peregre profecturus. Porrò ille coniectans debilitati corporis principem ex lõgissimæ & laboriosissimæ peregrinationis magnis certisque periculis vel non, vel difficillimè posse reuerti: inductiua absentia eius cœpit creditæ sibi potestatis fines excedere, atque [a] ambulare in magnis & mirabilibus super se. Volens autem certissimè di-

[a] *Verba sunt Dauidis Psal. 130.*

gnoſcere vtrùm idem princeps ad propria foret reuerſurus: ſuadente quodam familiari quondam Toleti cõſiſtente in artib. curioſis famoſum, ſuper hoc credidit conſulendum, habens diuinationis pretium in manibus. Ille verò aſſumens deludendum hominem in locum ſecretum, caput illi quoddam abhorrẽdum exhibuit: *Quære, inquiens ab hoc & pauca & breuiter: nam ad multiloquium & ad plura non reſpondet. Tunc ille: num*, inquit, *viſurus ſum Ricardum?* Et reſpondit Spiritus nequam: *Non.* Et ille: *Quandiu durabit mihi adminiſtratio ſuſcepta a Regibus?* Reſpondit Spiritus: *Vſque ad mortem tuam.* Tertiò quæſiuit vbi eſſet moriturus. Et reſponſum eſt: *In pluma.* Nec licuit ei vlteriùs quærere. Sed dimiſſus a vate, lætus abſceſſit, concinnatam dæmonis fallaciam experturus. Denique præcepit ſuis, vt malis omnibus præcauerent, ne quid ſibi plumeum occaſione qualibet applicarent ſiue ſubſternerent: hac ſibi [a] cautela vitam longiſſimam pollicens, cum non eſſet moriturus niſi in pluma. Cœpit ergo de cœtero tanquam præſcius futurorum cõfidentiùs agere, conculcare ſubditos,

[a] *incauta cautela hominis a diabolo iam decepti.*

& maximè quendam ex nobilibus, quẽ ſuſpectum atque exoſum habebat, vrgere: Qui viribus impar in quandam munitionem ſuam fugit à facie inſequentis. Ille verò munitionem caſtris circumdedit, vt eam oppugnaret: & cum fortè circa eam cum paucis negligentiùs oberraret qua parte faciliùs capi poſſet, explorans: repentè vir ille, quem ad audendum deſperatio ſtimulabat, cum per poſticum erumpens raptum hoſtem, & quaſi iudicio Dei in manus ſuas traditum, nimio cum gaudio intulit, & fruſtrà offerentem plurima pro anima ſua crudeliter laniatum trucidauit. Munitio verò illa dicebatur Pluma: patuitque cauillatio ſpiritus illuſoris prædicentis quòd infœlix ille moriturus eſſet in pluma. Simile eſt quod olim contigiſſe noſcitur Gere-
Vide notas. berto Pſeudoprophetæ: qui nimirum magicis ſacrilegiis deditus quæſiuit ex eo quando foret moriturus, & reſponſum eſt ei: *quando debebis celebrare Miſſam in Hieruſalem.* Credens itaque reſpo[illegible]m vacillare non poſſe, & cogitans ſe nunquam viſurum ſanctam Ciuitatem Hieruſalem: cœpit viuere

ſecurus tanquam numquam moriturus, vel ſaltem longiſſimè victurus. Porro ignorabat a Dęmone dignus illudi, Romæ eccleſiam eſſe Hieruſalem, vbi Romanus Pontifex ſingulis annis conſueuit ſacra myſteria celebrare, Dominica qua cantatur, *Lætare Hieruſalem.* Cùm ergo & ab ipſo pro tempore, exigeretur debitum conſuetudinis: tandem vel ſerò fallacis reſponſi exhorruit, & expertus eſt veritatem. De Alberico quoque Comite Nothamhumbrorum ſimile narratur: qui cum eſſet magnus & potens, proprio ſtatu non contentus, & conſulto Dæmone per quemdam nefariæ artis ſectatorem audiuit, quod Græciam eſſet habiturus. Denique relictis omnibus quæ habebat partes adiens Orientis Grætiam ingreſſus eſt pro fide oraculi. Cumque in Græcia multam incaſſum moram feciſſet, & auditum fortè eſſet à Græcis quod ſuper eos Regnaturus aduenisſet: nudatum à bonis omnibus, finibus ſuis exturbarunt vix animæ eius parcentes: Poſt annos [a] quinque feſſus laboribus & erumnis Normanniam rediit, & benignè ſuſceptus eſt pro agnitione

[a] *in v. c eſt verò, pro quo reſtitui, quinquo deſignans tempus ſuæ in Græcia more: alias enim oratio fuerit obſcurior.*

veteri ab Henrico Rege: qui fesso nolens in reliquum prouidere, viduam ei nobilem cum omni patrimonio suo despondit. Cui mulieri cum ei solemni benedictione a Sacerdote diceretur: *Domina Græcia complacet tibi in homine isto?* sic enim illa dicebatur. Tunc demum agnouit astutiam illusoris spiritus, qui mentem eupidam in spem vanam exerat prædicendo quòd Græciam esset habiturus.

Quomodo ceciderit Regnum Normannorum in Sicilia.

Cap. VII.

His diebus florentissimum Siciliæ regnum, quod a Vvilcardo incipiens, plus annis centum statum immobilem habuisse dignoscitur: casus magis malitia quàm vi externa expu-

gnatum cũ annexis Prouinciis, ſcilicet Campania, Apulia & Calabria in Imperatoris Teutonici ditionem tranſiuit. Quod vt competentiùs exponatur, narrationis exordium altius ſumendum eſt. Tempore igitur Vvillelmi ſenioris Vviſcardus mediocri loco ex Normãnia oriundus, cum eidem Regi militans minus proficeret, propriæ virtutis confidentia neſciret humili contentus eſſe fortuna: relicta patria cum paucis comitibus Apuliam profectus eſt. Cumque ibi pręclarè militaret: exemplo eius incitati paulatim ad eum confluxere ex gente eius viri inopes, & commodis amplioribus inhiantes: facileque eorum princeps, illos quoque, quibus paulò antè militauerat, cum malignari & fraudare inciperent, in breui ſubiugauit: vſuſque procurrente fortuna inualuit, vt opulẽtiſſimis prouinciis Apulia & Calabria in poteſtatem redactis, mira ſucceſſuũ fœlicitate, Regno quoq; Siciliæ potiretur. Nec cõtẽtus hac gloria Græciam hoſtiliter ingreſſus, Imperatoris Cõſtantinopolitani prouincias occupauit: eundẽ bello congreſſũ, fuſis eius copiis ingloriũ fugere cõpulit. Quo

reparante bellũ, & latissimi cõtrahente iuris Imperij, ilic à Romano Pontifice, qui à Teutonico imperatore infestabatur, accepto mandato vt B. Petri Ecclesiæ sub omni celeritate subueniret, assumpta parte militiæ, concitus in Italiam rediit. Factum est supra modum arridentibus prosperis vt vna die de vtroque Imperatore, fœlicitate non dispari triumpharet: De Imperatore quidem Teutonico, per semetipsum in Italia, de Imperatore verò Constantinopolitano per filium in Græcia. Verùm non multò pòst sollicitatæ ab eodem Imperatore vxoris absumptus veneno, quàm vanum sit omne, quod seculare est, tantæ fœlicitatis in fœlici exitu declarauit. Reliquit autem filiis, amplissimæ acquisitionis ius vniuersum: qui & egregiè post ipsum in multa fœlicitate & gloria imperasse noscuntur Græcis Afrisq; terribiles: Imperatoribus quoque Teutonicis inaccessi. Denique cucurrit clarissimæ successionis series vsque ad Vvillelmum filium: qui cum illustrissimi Regis Anglorum Henrici filiam duxisset vxorem, non susceptis ex ea liberis, immatura morte

præreptus est : cui succesſit arbitrio & electione optimatum, Tancredus nothus cunctis aſpernantibus ditionem Teutonicam. Quippe Conſtantia defuncti Regis amica, cui defuncto ius ſucceſsionis competere videbatur, Hẽrico Friderici Imperatoris filio nupſerat, Qui nimirum patre, vt ſuprà expoſitum eſt, in expeditione Orientali defuncto, imperatoria ſucceſsione legitima nactus potentiam, ius vxorium in Imperium Teutonicum redigere ſtuduit. Contractis igitur Imperij viribus Campaniam Apuliamque inuaſit: ciuitates nonnullas cum caſtellis plurimis per deditionem obtinuit. Cumque inclytam in vrbibus Neapolim obſideret, exacta in caſtris peſtilentia, numeroſiſsimi exercitus partem non modicam abſumpſit : Ipſe verò cum reliquis ægrè euaſit. Interim verò vxor eius Conſtantia Salernæ incidit in manus hoſtiles : ciuibus quippe, vt dicitur, annitentibus ſuperueniens claſsis Tancredi, profligata manu militari, quæ ibidem Reginæ aſsiſtebat, ipſam comprehenſam traduxit in Siciliam. Verùm a Rege Tancredo honorificè tractata, a l. 4. ca. 13.

marito quoque post modicum resignata est. Cumque Imperator in Germaniam reuersus secundam expeditionem in Apuliam pro abolenda priori
a in ms. male macula me ditaretur.
[a] macula meditaretur, & ex errore proprio sumptus bellici minùs suppeterēt: occasione fortè reperta, vt futuræ expeditionis promoueret negotium, næuo inexpiabili fœdauit imperium. Imperatoriæ quippe honestatis oblitus, & ex Imperatore Christiano alter Saladinus effectus, illustrem Anglorum Regē à partibus Orientis (vbi multùm pro Christo sudauerat) ad propria simpliciter redeūtem (vt [b] suprà plenius relatū est) instigante auaritia captiuauit: sicq; Anglia vsque ad sacros Calices exinanita satis infames bello Apulico [c] expulsus parauit. Rege autem tandem relaxato, sed retentis eius obsidibus, eo quod auaritiæ ignis æstuans in pectore inuerecundo nondum diceret sufficit: infinitas ex omni imperio contraxit copias, hostium fines ingressurus. Verùm ante irruptionem bellicam contigit Regem Tancredum cum filiis in fata concedere: nec iam aliquis masculus supererat ex semine regio, qui vacanti

b l. 4. c. 29.

c sic quidē v. c. sed melius & necessario, expensas.

præſumeret regno irrepere, præſertim cum imperiali potentiæ hæreditaria coniugis eius iuſtitia inſereretur. Aduẽniens ergo cum exercitu Imperator nomine corporis ſui haud difficulter opulentiſſimas Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ prouincias obtinuit. Cum cæteris quidem, vt dicitur, qui ſub Tancredo obſtiterant, veniam dederit: ciues verò Salernitanos percutiens caſtigatione crudeli ipſam clariſſimam ciuitatem euertit. Quod & victor olim Vviſcardus eiuſdem vrbis ciuibus feciſſe dicitur; hoc ipſo eis, palmam perfidiæ tribuens, & punitionis exemplo diſciplinam impoſterum ſanciens. Sic igitur regnum nobiliſſimum, quod virili ſucceſſione diu immobile ſteterat, per fœminam hæredem deficiens concidit, atque in prouinciam Imperatoris Teutonici tranſiuit anno a partu Virginis. M. C. XCIIII.

De horrenda morte Ducis Austriæ.

Cap. VIII.

1195. ANNO a partu Virginis M. C. LXXXXV. ingresso illustri Anglorum Regi post grauium experimenta malorum fauor cœpit arridere diuinus. Cum enim plusquam viginti marcarum milia præparasset Duci Austriæ, cum multo periculo transmittenda: illi, quos eidem Duci pro satisfactione summæ exactæ obsides dederat, repentè affuêre, habentes mel & lac sub lingua sua: hostem scilicet immanissimum diuini pondere iudicij obrutum nuntiantes: & pro fide nuntij, seipsos cum gaudio ostentantes. Referebant autem eiusdem potentis terram ante eius interitū flagello multiplici ita diuinitus fuisse attritam: vt ex his posset [a] agnoscere, sibi quoque non lento iam pede appropinquare iudiciū, nisi maturiùs faceret fructus dignos pœnitentiæ, homo tantorum reus malorum: quæ procul dubio in regnis

a vo. c. agnoscit.

Christianis proueniſſe noſcũtur, ex infeliciſſima illa captiuitate regis Anglorum. Denique (vt dicitur) ciuitates terræ illius incertam prorſus cauſam habẽtibus incendiis conflagrarunt. Danubius fluuius maximus tanquam ad vltionem egreſſus, adiacentia quædam loca cum [a] ingenti hominum exitio occupauit, æſtate media tota illa regio [b] præternaturali atque inſolita ariditate deficiens intempeſtiuè, viroris ſui gratia caruit, ſemina frugum terræ mãdata cum deberent erumpere, degenerarunt in vermes, nobiliores quoque terræ illius, tanquam effuſa peſtis morbus abſumpſit. Non terruêrunt iſta cor nequam & auarum, quo minùs opibus Anglicanis inhiaret adhuc, cum plurima iam marcarum milia a Rege captiuo ſumpſiſſet. Et quidem a Romano [c] Pontifice: pro his quæ in eundem Regem [d] commiſiſſet, anathemate innodatus: auaritia [e] tantum fortiùs perurgente ſuperbè deriſit ſententiam. Iã poſita erat diuinæ animaduerſionis ſecuris ad radicẽ arboris malæ. Sed quia [f] ſcriptum eſt, *contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus*: de

a *Anony. ms. decem millibus hominum.*
b *v.c. innaturali.*
c *Celeſtino.*
d *v.c. commiſerat.*
e *v.c. tum.*
f *Prou. 16.*

[a] abest a v. c.

insignis captiui [a] quasi manubiis inclitus, conuocatis nobilibus terræ, Dominici natalis solemnitatem in multa ostentatione & gloria celebrare voluit. Et die quidem primo gloriosus effulsit: in crastino vero gloriam Deo dedit. Cum enim in natali beati Stephani iam pransus exisset, vt in campo cum suis militibus luderet: fortè equus eius decidens, sessorem quoque deiecit, pedemque eius ita comminuit: vt ossa hinc inde confracta, rupta cute exteriùs prominerent. Acciti mox medici [b] adhibuêre quæ expedire credebant. In crastino verò pes ita denigratus apparuit: vt a medicis incidendus decerneretur. Quod cum ipse præ vitæ amore fieri postularet: non est inuentus vel medicus, vel familiaris, vel filius, qui hoc patraret. Tandem accitus cubicularius eius, & ad hoc coactus [c] pedem abscidit. Mediciverò appositis medicaminibus, cum eum in crastino visitarēt, signis haud ambiguis mortem esse in ianuis cognoscentes, vultu & voce dixerunt: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Desperatus igitur accitis Episcopis, qui ad solemnitatem inui-

[b] v. c. addit tantæ læsionis curādæ habuere, atque adhibuere.

[c] v. c. addit dum ipse Dux dolabrā manu propria tibiæ apponeret, malleo vibrato vix trina percussione.

tati venerant, in conſpectu Optimatum a vinculo anathematis, quo cum Romanus innodauerat Pontifex, petiit relaxari. Reſponſum eſt ab vniuerſo Clero, quod nullatenus poſſet abſolui, niſi ſub iuratoria cautione, quod ſuper iniuriis Regi Anglorum illatis iudicio eccleſiæ ſtaret, Optimatibus quoque pariter iurantibus, quod forte ſi iudicium eccleſiaſticum minus procederet: ipſi modis omnibus procurarent, ne quid ex his, quæ [a] ſtatuerentur in irritum cederet. Hac cautione ſolemniter præſtita, abſolutionis munus promeruit, moxq; obſides Regis Anglorum liberari præcepit. Verùm cum poſt modicum ingraueſcẽte moleſtia exſpiraſſet, ſuccedens filius, paternæ quoque auaritiæ hæres eſſe voluit; & ne vltima patris defuncti voluntas impleretur, adiunctis ſibi quibuſdam nobilibus obſtitit. Vnde factum eſt per laudabilem [b] Cleri zelum, vt tanti Ducis corpus diebus aliquot inhumatum inobedienti filio maculam irrogaret. Qui tandem conſternatus: memoratos obſides abſolute relaxauit: eiſque quatuor marcarum milia, Regi Anglorum

a *repoſui ex ms. ſtatuerentur.*

b *atque in victum ex v.c. repoſitum.*

reportanda contradere voluit. At illi propter viarum pericula expediti repatriare maluerũt,& tanto velociùs, quãtò & alacriùs reuertentes suæ liberationis nuntij primi exstiterunt. Gauisus rex, nuntio gratias egit Deo, & ex eo correctior vixisse dicitur.

Quid Dei ordinatione euenerit in pago Cenomannensi ad coronationem Regis.

Cap. IX.

ALIVD quoque ipso tempore in pago Cenomannensi accidisse fertur,quod eundem Regem non frustra territum suæ propensius salutis admonuit. Res pluribus nota est, quam nostræ simpliciter narrationi inserimus: prout nobis viri venerabiles, & fide digni tradidêre, à Cenomannensi Episcopo idipsum se accepisse protestãtes. Vir quidam ex eiusdem Episcopi clientela piæ deuotionis instinctu profectus in Hispanias ad memoriam beati Iacobi Apostoli,cum sospitate

pitate ad propria remeárat. Qui poſt modicum calore [a] fidei & deuotionis fortiùs igneſcens, longè laborioſiori peregrinatione ſepulcrum inuiſere Dominicum voluit. Valedicens ergo ſuis iter opportunè arripuit. Et cum fortè ſolus graderetur, repente in iſta via obſtitit ei quidam enormi corpore & vultu terribili. Pauefactus homo, eleuata manu Chriſtianam ſumpſit armaturam. Ille verò tanquam non reputans ſalutare ſignaculum: nequaquam, inquit, hoc modo tueri te poteris, quin meus ſis. Porro ſi [b] procidens adoraueris me, faciam te locupletem & inclytum valdè. Ad hæc homo pauorem fiducia ſuperans, cum libertate reſpondit. Liquet te eſſe partis ſiniſtræ, ſint tua tibi; nam mihi ſufficit omnipotentis Dei largitio, quem ſolum adoro. Et ille, oportet (inquit) te vel inuitum aliquid habere de meo. Et proferens tanquam pallium ſubtilis materiæ, iactauit ſuper caput hominis, quod mox a [c] tractu igneo capillis exuſtis cutem quoque capitis denigrauit. Proſilienſque hoſtis, hominē periculo anxium per brachium apprehendit. Homo verò cum tanta perur-

[a] *perperam antea, fideli cum & v.c. & ſeries orationis aliter velint.*

[b] *malè procedens reſpexit enim Auctor ad dictum diabolis Luc 4. Chriſtum tentantis.*

[c] *v. c. tactu*

geret necessitas: sanctum Iacobum ex recentis obsequij conscientia fortiter inclamauit. [a] Qui beatus Apostolus in specie reuerenda manifestè mox affuit, & potentiverbo inuasorem improbum increpauit. Vt autem homo de manu inimici furentis ereptus, tuto iam audi-tu perciperet, quorum (vt creditur) audiendorum gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat: Apostolus ad nequam illum, dic (inquit) quis sis, vel quid negotij habes. Qui constrictus imperio: dæmon (inquit) sum generi humano infestus, & mille nocendi artibus instructus. Ego enim grande illud scandalum & Christianæ possessionis iacturam in Oriente patraui: ego inter Reges Christianos in terra promissionis, vt nil ab eis ageretur, nec prosperaretur opus Dei in manibus eorum: detestabilem discordiam seminaui. Regem Anglorum a Syria digressum per ministrum nequitiæ meæ, Ducem scilicet Austriæ captiuaui, multimodam exinde malorum occasionem regnis Christianis concinnans: eundem quoque Regem de captiuitate [b] propria reuertentem comitatus, in partibus istis

a in appēd. Sigib. anno 1140. habes simile quidd̄ relatū ex Hugone nostro

b v.c. addit ad.

nunc consisto, cubili Regis tanquam familiaris minister frequenter assisto, & circa thesauros eius apud Chinonem repositos peruigili cautela obseruo. His dictis, malignus disparuit. Apostolus etiam confortato homine in suæ se claritatis secretum recepit. Homo verò ad vrbem Cenomannensem maturè reuersus, Episcopo [a] vrbisque prudentibus cuncta per ordinem replicauit, in argumentum fidei caput depilatum, & brachium, manus pestiferæ contactu vstulatũ [b] indicauit. Quibus actis post dies aliquot propositum iter repetiit, [c] nec latuit hoc Regem Richardum. Qui nimirum eius, qui tangit montes, & fumigant, timore compunctus; salubrioris instinctu consilij cubiculum suum, vt (accepimus) de cætero castius esse voluit, & de thesauris suis largiores indigentibus eleemosynas erogare.

[a] *v.c. virisque.*

[b] *v.c. mandauit: sed insulsè.*

[c] *v.c. nec diu istud latuere.*

De morte Hugonis Dunelmenſis Epiſcopi.

Cap. X.

His diebus Hugo, Dunelmenſis Epiſcopus extrema ſorte defecit, anno ſacerdotij ſui quadrageſimo ſecundo. Et quidem electorum Pontificũ, quibus dignus non erat mundus, paucos rarò legimus tanto tẽpore officio functos: noſtri autẽ tẽporis Epiſcopis [a] mũdus non eſt crucifixus, ſed infixus, neſciẽtibus cũ Propheta dicere: [b] *Heu mihi quia incolatus meus prolõgatus eſt*, quibus etiam productius, in illa excellentia tempus breue videtur, rantuſq; hos, cum ſuas vel diuitias, vel delicias deſerere coguntur, torquet dolor: quãtus illis, dum affluerent, hæſit amor. Dicitur autem Epiſcopus ille, neſcio vnde deceptus, dum in proſperis ageret, tam annoſam ſibi prophetaſſe ætatem: vt audientibus plurimis pronuntiaret, ſe, oculis ſenio caligantibus, annos

a *v.c. quibus mũdus, &c.*
b *Pſal 99.*

decem in cæcitate acturum. Quamobrem mundo [a] securus incubans, extremis tandem ex improuiso vrgẽtibus huius [b] fatuæ suæ prophetiæ certum dat experimentum. Sanè vtrum in hoc aliquis eum quasi diuinando deluserit, an ipse abundans in sensu suo, ex consideratione bonæ valetudinis suæ, vitam sibi lõgiorem pollicitus fuerit, incertum est. Quippe vsque ad septuagesimum annum, quo decessit, [b] sospes & vegetus vixisse perhibetur; Homo in terrenis disponendis prudentissimus, & sine multis litteris eloquentissimus: pecuniarum sitientissimus, earumque scientissimus quærendarum. Spirituali potentia siue excellentia Episcopus non contentus, secularem ambiuit, & multa ecclesiasticæ pecuniæ religiosis potius vsibus applicandæ iactura, quæsiuit sibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Castellorum instructioni, atque insignium in locis plurimis ædificiorum fabricæ deditus: quo plus studuit ædificare in terra, eo remissiùs ædificare curauit in cælo. Hic nimirum ob solam generis nobilitatem ex secularis vitæ illecebris in ætate mi-

[a] *v.e. securè*

[b] *v.e. sententiæ vel sermõ agnouit mendacium*

[c] *v.c. addit morbumq; quo assumptus est, fore semper indolens.*

nus canonica ad Episcopatum assumptus: studiosè impleuit illud Salomonis;
Eccles. 11. *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui illis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Cumque opibus plerumque non parceret sed multo studio congesta, ne quid magnis animi sui conceptibus deperiret, indiscretè effunderet: aliàs tamen multo plus erat congregans, quàm dispergens. Leprosis indulgentior: nobile illis Xenodochium, non longè a ciuitate Dunelmensi, profusa quidem, sed tamen ex parte minùs honesta largitione construxit. Alieni quippe iuris non modicum huic deuotioni per potentiã applicans, dum propria sufficienter impendere grauaretur. Sanè cum post plebis Christianæ in Oriente excidium, Christiani Principes, multusque populus characterem Dominicum suscepissent: ipse quoque eiusdem pię deuotionis consors esse voluit. Deniq; in capite ieiunij signum Domini solemniter sumpsit, & pro castigandis peccatis suis sub veste exteriori[a] durum cilicium cælauit, quo tamen diu vsus non est. Porro vt abiiciendi etiam sacri characteris occasio non deesset: te-

[a] *v. c. mollia cilicio mutauit.*

pidè rogatus a Principe, publicę administrationis sollicitudinem, (vt suo loco plenius [a] dictum est) minimè recusauit, ac deinde ab eodem callidè inductus, appensa illi vniuersa pecunia, quā in sumptus longissimę peregrinationis congesserat, Comitatum Nortumbriæ comparauit. Quo facto, & Rege in Orientem profecto, a sacro tandem charactere humerum liberauit, ac geminato honori Episcopus senior, Comesq; nouitius incubans, potentiam suam & gloriam vsq; ad eiusdem Principis reditum magnificè ostentauit. Cum autem eius de captiuitate Alemanica in regnum regressi faciem minùs sibi arridētem notasset, non aliter eum, quàm resignato Comitatu, quem graui summa emerat, & spatio breui possederat, placari posse credidit. Non tamen vel sic placare eum potuit, quem nimirū exactionibus importunis postmodum grauem sensit, credentem scilicet tanti Episcopi sacculos non facilè posse exhauriri, præsertim cum ille pro redimendo Comitatu, quem olim frustra emerat, in multa quātitate pecuniam nouā offerret. Proinde Regi in partibus transma-

[a] *lib. 4. c. 3.*

a v c. immi nentia.

rinis constituto, & oblatam quidem pecuniam [a] auctoritate Regia exigenti, non tamen Comitatum reddenti, per respõsales & munera supplicauit, vt vel mediãte ipsa pecunia Comitatum redderet, vel non reddens ab exactione cessaret. Rex autem callidè, vt olim, hominem palpans litteris reuerentia plenis, mandauit: vt oblatam summam appẽsurus, Lundonias accederet, & tanquã Pater patriæ cum Archiepiscopo [b] Cãtuariæ, totius regni moderator de cætero resideret. Qua gratia exhilaratus Episcopus Lundonias iter arripuit. Venienſque ad villam propriam, quæ dicitur [c] Craet, dominica, qua mos est sacerdotibus [d] caput quadragesimalis ieiunij solemni esu carnium præuenire: ibidem supra virtutem corporis senilis ingurgitauit se epulis, dum miser, cui nil sapit venter, per saporum illecebram de numerositate ferculorum vsque ad grauamen proprium suscipere cogeretur. Cumque per vomitum vitio crapulæ mederi voluisset: eo ipso afflictus est magis. Ab illo ergo die sensim deficiens, obstinato tamen animo progressus est itinere dierum aliquot vsque

b v c. Cantuariensi.

c v. c. Creic

d die dominico scilicet quinquagesimæ sacerdotes præueniunt ieiunij quadragesimalis caput.

Doncaſtrum. Nec vlteriùs exercente incommodo [a] reluctari valens: itinere liquido circa primã Dominicam quadrageſimæ delatus Houedennam, ibidem decubuit. Et cum ingraueſcente moleſtia iam deſperaretur, amicis qui aderant ſuadentibus, teſtamentum condidit, & pro tempore faciens fructus vel ſeræ pœnitentiæ: ſenſu quidem doloris modico, ſicut fatebatur, ſed defectu paulatim ſerpente, & tandem præualente, vitam finiuit. Illo autem mortuo, & Epiſcopatu illico per miniſtros regios in fiſcum redacto: iidem omnia ſecreta eius ſcrutantes, quicquid repertum eſt Regiis applicuêre commodis. Sed nec miniſtri & familiares eius euaſêre quæſtionem, qui nimirum iuſſione regia tanquam ſubtractores bonorum eius diſtrictæ diſcuſsioni addicti: pro viribus [b] quiſque ſubſtantiæ ſuæ ſatisfacere ſunt compulſi.

[a] *v.c. obluctari.*

[b] *v.c. quique.*

De tribus spuriis eiusdem Episcopi, & quis ei successerit.

Cap. XI.

ANE memoratus Episcopus, dum adhuc Eboracensis Ecclesiæ esset Thesaurarius: paulò ante Episcopatum diuersis ex matribus tres spurios fuderat; nec tamen hoc vel ipsum diuini respectu iudicij ab Episcopatu ambiendo terruit: vel electionē eius, quòd & canones remissius, & homines indiscretiùs agerēt, impediuit. At enim beatus Gregorius [2] scribens Clero & nobilibus ciuitatis Neapolis; *Ioannem Diaconum, qui ab altera parte electus est, paruulā habere filiam quorundam relatione cognouimus. Vnde si rationem voluissent attendere: nec alij eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc longam sui corporis continentiam (filiola teste) conuincitur non habere?* Si ergo iste propter vnā filiolam

al. 8. Epist. 40.

ad Episcopatum non debuit aspirare, vel eligi: multò minùs ille propter tres [a] filios. Episcopatum tamen nactus, susceptam quidem ante Episcopatum sobolem per illecebram carnis affectus studuit ad diuitias & nomẽ grande prouehere. Porro in Episcopatu sobolem minimè procreauit. Primogenitus eius nobiliori matre procreatus: secularem militiam plus amauit. Sequens vero cũ Archidiaconatu Dunelmensi ecclesias plurimas ad vsum magis deliciarum, quàm vtilitatẽ animarum paterna prouisione possedit. Tertius autem, quem pater teneriùs dilidebat, multa eius opera & impensa Regis Francorũ Cancellarius: immatura morte paternũ verberauit affectum. Medius quoque filiorum [b] paterni superstes relictus in multa felicitate terrena, ab eius decessu mẽse sexto eiusdẽ felicitatis vanitatem atque fallaciã, patri, sepuendo, probauit. Sane anno, a morte eiusdem Episcopi expleto: & Episcopatu per officiales regios multifariam spoliato: accepit eandem sedẽ nutu regio Philippus, genere Aquitanus. Cum enim esset idem circa Principẽ multo tẽpore sedulus, laborũ

[a] v. c. filiolas.

[b] v. c. a patre.

Quomodo Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Eboracenſi eccleſia nomine Legati celebrauit Concilium: & de lite, quæ vertitur inter Cantuarienſem & Eboracenſem de prioratu.

Cap. XII.

DEFVNCTO igitur Dunelmenſi [a] Archiepiſcopo ad placãdam Regis iram, quæ aduersùs eum vehementer excanduerat, in tranſmarinis partibus conſtituti, Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus, vices, non tantùm regias in regni moderatione, verumetiã Apoſtolicas in Eccleſiaſtica ordinatione per totam habens Angliã, oſtentaturus gloriam vtriuſque poteſtatis, Eboracum Metropolim adiit: Prælatos totius prouinciæ, vti ſolemniter ſibi occurrerent atque aſsiſterent, præmiſſa auctoritate imperauit, ſuppreſſo pro tempore Primatis nomine,

[a] *v. c. Epiſcopo, atque Eboracenſi.*

ipsam Ecclesiam Metropolitanam nomine Legati Apostolicæ sedis cum pōpa ingressus, potestatem in ea magnam exercuit: & nullo obsistente vel reclamante, eo quod omnes vel terrore eius perstricti, vel Metropolitano proprio minus essent deuoti, Concilium magnificè celebrauit. Quibus actis, & seculari quoque pro tempore ibidem iurisdictione expleta, propriæ se prouinciæ reddidit. Hic commemorandum puto, qua ratione vel occasione duo Metropolitani Anglorum per longa iam tempora de prioratu cōtenderint. Eboracensis quidem perspicua se beati Gregorij auctoritate tuetur. [a] Scribens enim Augustino Anglorum Episcopo: *Eboracensem* (inquit) *Episcopum tuæ fraternitatis dispositioni volumus subiacere: post obitum verò tuum, ita Episcopis, quos ordinauerit, præsit*: vt Lundoniensis Episcopi nullo modo ditioni subiaceat. & adiecit: *Sit verò inter Lundoniæ & [b] Eboraci Episcopos in posterum honoris ista distinctio: vt ipse prior habeatur, qui priùs fuerit ordinatus.* Cantuariensis vero Episcopus (quem beatus Gregorius Lundoniensem vocat) asserit huic au-

a l. 12. Reg. Epist. 25.

b v. c. Eboraca.

ctoritati posteriori tempore abrogatum: quando scilicet Romanus Pontifex doctissimum virum Theodorũ (vt venerabilis Beda refert) Cantuariensis Ecclesiæ ordinauit Episcopum: quem & præfecit vniuersis Angliæ Episcopis, tanquam primatem. Cuius successores per multa tempora eadem prærogatiua insignes fuisse noscuntur: vnde constat eam non personæ, sed ecclesiæ fuisse concessam. Respondetur a [a] parte Eboracẽsis, quod beatus sanciuit Gregorius, manifesti & solidi esse iuris: quod nullo quidem tempore abrogatum, sed quodã tempore, ratione ipsius temporis in vsu non fuit, tanquam soporatum, & suo tempore excitandum. Anglis siquidem nuper ad fidem Christi conuersis iuxta [b] venerabilis Bedæ historiam, rudes & indocti ex ipsa gente Episcopi præesse cœperant: quibus necessariò informãdis Romanus Pontifex pia prouidentia doctorum præfecit Theodorum, non quidem euacuans decretum beatissimi patris Gregorij, sed tantùm consulens tempori. Successores verò Theodori, aut similiter tempori consulendum duxerunt, aut tem-

a *v. c. ex. Id verò cæteraque huius argumenti latè prescribit in initio Antiq. Eccles. Bri. Mat. Parq.*

b *v. c. Veracis.*

poribus meliùs se habentibus præsumptores fuerunt : cum Angli Episcopi Eboracensi ecclesiæ præsidentes simplicitate quadam rustica de prærogatiua minùs curarent: & vsum quoque pallij a diebus Paulini Episcopi per tẽpora multa negligerent. Ad hæc dicit Cantuariensis : quia & post quam vsus pallij Eboracensi ecclesiæ est redditus: plures eiusdem ecclesiæ Pontifices Cãtuariensis ecclesiæ, siue Pontificis, tanquam proprij Primatis iurisdictioni subiacuisse. [a] Respondit Eboracensis, quia sicut ratio necessitatis temporalis, iuri Eboracensis Ecclesiæ, quod non perfunctorium, sed solidum & perpetuum esse beatus Gregorius voluit, prę-iudicium generare non potuit, ita nec simplicitas siue negligentia Antistitum eiusdem Ecclesiæ. Denique ista de prioratu tã vana contentio, Anglorum Metropolitanos longo & sumptuoso labore exercuit. Vanissimè autem vterque illorum se scribit totius Angliæ Primatem, cum neuter habeat significatã hoc nomine potestatem. Inde est, quod memoratus Cantuariensis, vt susciperetur ab ecclesia Eboracensi, tanquam Apostolicæ

a v.c. addit noscuntur, addendum necessario.

stolicæ sedis legatus, supprimendum putauit nomen Primatis: quod vtique non simpliciter est suppressum, sed, cum aliter non posset suscipi, quod non tanquam primas aduenirет, expressum. Verùm nec legationis suæ ratione facilè suscipi potuisset: si Clerus eiusdē ecclesiæ priuilegio ante annos aliquot a sede Apostolica impetrato vti voluisset, quo scilicet a iurisdictione cuiuslibet legati in Anglia instituti cum suo eximebatur Pontifice. Quem nimirùm, quoniam non frustra velut terribilem, formidabant: pro eius prærogatiua tepidè æmulandum duxit, & legato potius, quem amicum & patronum optabat, maluit subijci: quàm illius non frænandam potentiam experiri.

De exercitu Saracenorum, qui ex Aphrica Hispanias intrauit.

Cap. XIII.

Isdem diebus, hoc est, anno m.c. lxxxxv. a partu virginis, Christianis adhuc Regibus, Francorum & An- 1195.

glorum, execrabilis in alterutrum odij morbo laborantibus, atque ægrè sustinẽtibus expletionem induciarum, quibus eorum, vel ad modicum malitia nocendi auida frænabatur: Saracenorum ex Aphrica tremendus exerditus, Duce (vt dicitur) quodam suæ superstitionis Pseudophiloſopho grãdia pollicente, Hiſpanias intrauit: iunctuſque Saracenis indigenis, Chriſtianis ſe finibus pernicioſus immerſit. Æmulantes quippe Aphri Orientalium Saracenorum feruentem adhuc fortunam, qui ſub principe Saladino regnum Ieroſolymitanum inuaſerant, & Chriſtiani nominis titulum ex Arabia funditus, ex Syria verò vſque ad contemptibiles reliquias exturbârant, coſque fortitudine & gloria æquare cupientes, vicinas gẽtes Chriſtianas moliti ſunt vel expellere, vel delere, totaſque ſpurciſſimæ ſectę ſuæ Hiſpanias applicare. Augebat autẽ eorum fiduciam, quòd tempus eos iuuare videretur, diſſidentibus ſcilicet inter ſe fere totius Europæ Principibus Chriſtianis: atque ita circa nepharios cupiditatum ſuarum motus explendos intentis, vt vix aliquis eorum pro fidei

Christianę vel propagatione vel defensione in Hispaniam accingẽdus ad militiam crederetur. Itaque fretum quod Aphricam Hispaniamque disterminat transmeantes, iunctis Hispanorum infidelium copiis cruenta & effræni audacia [a] debacchabantur in finibus Christianis. Nostri verò primo repentina infinitæ multitudinis irruptione attoniti: mox resumptis animis discrimen experiri bellicum statuerunt. Denique a Regib. Christianis eiusdẽ terrę, quę nimirũ adeo spacioſa est, vt extra partem sui nõ modicam, quæ a Saracenis possidetur, quinque non ignobilibus regnis Christianis sit inclyta: [b] varia cõtra perfidos illos sorte pugnatum est. Et multùm quidem vtrinque sanguinis fusum est, sed tandẽ Deo nostris propicio, hostilis exercitus plurima sui parte mutilatus: ad propria cum dedecore rediit, minus forte de cætero de vana sui Ducis philosophia præsumpturus. Sanè rumor irruptionis hostilis late discurrens: totamque in breui percurrens Europam: atrociora nuntiauit, populis Christianis altè gementibus, & Principes suos iusta querela incusantibus, qui

[a] *v. c. delectabantur.*

[b] *primo enim die fuit æquo pugnatum marte: secundo verò pars Christianorum fugauit Saracenos, inquit, Appe. Sig. ad annum 1195. vexillum Mummilini Ducis perfidi Romam missum & in Ecclesiam S. Petri locatum. Rigord. Auctor est.*

non se, zelo igniti diuino grassanti perfidiæ opponerent: sed iuxta Apostolũ, mordendo & comedendo inuicem, [a] consumerentur ab inuicem. Non minùs enim animauit atque adiuuit contra nos hostem sacræ Religionis Saladinum propriarum fiducia vel potentia virium, quàm nostrorum, qui terram sanctam regere videbantur, callidè explorata discordia Procerum. At hoc parum est veterum respectu damnorum, quæ profecto ex nostrorũ discordiis robur eneruantibus Christianum, profluxisse noscuntur. Cum enim florente olim Republica Romana tantus, immo & latior esset orbis Christianus, quàm orbis Romanus: qui nimirum præter Europam, clarissimas, maximasque Asiæ prouincias cum tota fere Aphrica intra suos limites cohibebat: intestinis Christianorum Principum & populorum bellis actum est, vt Agarenis, qui & Saraceni dicuntur, inualescentibus, & secta nepharia replentibus mundum, Christiana Religio extra fineis Europę modicum posslideret. Quin etiam Europæ ex Aphrica priùs infecta idem pestilentissimus error irrepsit, at-

[a] v. c. addit, atque ita bellãdo vires atterẽt Christianas: quas vtique contra hostes Christiani nominis integras oportet se. uari. Nec terræ Hierosolymitanæ recens commouerẽtur exemplo: quam vtique nostris inter se dissidentibus noscitur in manus Agarenorum infœlicissimè incidisse.

que vsque in hodiernum diem partem Hispaniarum non modicam maculauit. De origine autem huius spurcissimæ sectæ, & quomodo in tantum inualuerit, vt tot genteis, regnaque corrumperet: propter eos, qui fortè nesciunt, iuxta maiorum traditionem paucis perstringere libet.

De Mahometo Pseudopropheta, & de lege, quam per spiritum erroris introduxit, & quomodo eadem lex plurimas genteis infecit.

Cap. XIIII.

POST tẽpora beati Papæ Gregorij cum Romanum Imperium, quod olim ab Oceano Britannico vsque ad fineis Persidis porrigebatur, tyrannicis motibus, bellisque ciuilibus ita esset attritum, vt propriæ aduersus genteis exteras defensioni iam minùs sufficeret: paganus

exercitus Perſarum in Chriſtianos efferatus minimo negotio quaſdam Orientales Romanæ ditionis & Chriſtianæ religionis prouincias, militiæ vacuas occupauit. Secuta eſt è veſtigio Iſmaëlitarum, qui propriè quidem Saraceni, ſed veriùs Agareni dicuntur, peſtis edacior: quæ nimirum iuxta quod [a] ſcriptũ eſt, *reſiduum erucæ comedit locuſta*: Chriſtianas in Oriente reliquias fere vſque ad internecionis extremum perſecuta eſt, agens ſub Principe [b] Mahometo Pſeudopropheta. Sanè hic in adoleſcẽtia negotiandi gratia plurimas peragrans regiones, crebra cum Chriſtianis & Iudæis conuerſatione, cum eſſet acer ingenio, vtriuſque religionis ritus, cultuſque addidicit: & vt ad explẽda, quę iã animo conceperat, nequiſſimorum ſibi ſpirituũ familiaritas & cooperatio non deeſſet: magicis quoq; artib. imbui curauit. Quib. inſtructus homo mirè callidus & facundus, nationi ſe propriæ (nam Iſmelita erat) auſurus ingentia, reddidit: ſimiliſque illi malæ beſtiæ de [c] Apocalypſi, quæ habebat duo cornua ſimilia agni, & loquebatur quaſi draco, vt ſeduceret plurimos innocen-

a *Ioel.1.*

b *v.e. Macometo, Paulus Diaconus lib. 18. Rer. Rom. Muhammat.*

c *cap.13.*

tiæ & ſimplicitatis mendaci ſpecie, peſtilẽtium virus adumbrabat verborum. Denique ſuæ gentis [a] Dominam (quippe moris erat eam gentem regi a feminis) ita verbis ad ſeducendum cõpoſitis & nefariæ artis præſtigiis dementauit, vt eum tãquam ſummum Dei Prophetam coleret, atque eius nuptias exoptaret. Cuius coniugio nactus eiuſdem gentis Principatum, multò fortiùs populos ſeducebat, dum non tantum mouerentur reuerentia Principis: verùmetiam motum diuinũ ſe incurſuros crederent, ſi ſũmo eius Prophetæ in aliquo remiſſiùs obtẽperarent. Quippe in omnibus, quæ ſeductis vel ſeducendis a ſe populis præcipiebat, perſonam tanquã loquentis in ſe Dei aſſumens: fallaci verorum imitatione Prophetarum præmittebat, *hæc dicit Dominus*: Et quia in traditione ſacræ legis ſcriptum eſſe nouerat, [b] *locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens*, vt ſcilicet diuinum, non humanum eſſe intelligeretur, quod per hominem tradebatur: Ipſe quoque ſuis libris inſerendum putauit. *Locutus eſt Dominus ad Mahometum Prophetam ſuum dicens*, vt ſcilicet di-

a *Eadigã nomine, mulierem locupletem ſuamque cognatam, inquit, Paul. ſup.*

b *Exod.* 20

uinæ auctoritatis pondus habere crederetur, quod ab eo seductore fingebatur. Cumque non tantum subditi, verum etiam alij plurimi ad eum sponte inclinati ad eius in omnibus penderent arbitrium, accensus libidine latiùs [a] dominandi sub prætextu propagandæ Religionis, tanquam ex præcepto Dei finitimas genteis bello aggressus est. Et Christianas quidem in Oriente prouincias primò inuasit: consequenter verò ad perfidæ ditionis terras arma conuertit, arte & astu perficiens, quod armis minùs [b] potuit. Vt autẽ in omnibus Religiosus videretur: subactos populos patriis ritibus abdicatis in suã superstitionem quacunque ratione traducere studuit: paganis quidem, quos subgerat, idolatriam inhibens: Christianos verò vsque ad sacri nominis exterminium atterens: Hoc modo in Ægypto & Lybia, Mesopotamia & Syria regnis clarissimis, aliisque prouinciis Orientis, in quibus olim Christianæ Religionis cultus excelluit: vsque ad reliquias modicas, prævalentibus Agarenis, defecit. Cumque idem pestifer dimissus a Deo secundum desideria cordis sui iret prospere

a *Arabia inquit Ptol. cap 13. contra sectam Mahum.*

b *v. c. poterat.*

in inuentionibus suis, & iuxta formam nouissimi Antichristi dolus in manus eius dirigeretur: excogitato per seductorem spiritum modo, quo seductionis virus diffusius spargeret, & seductos a se populos, quibusdam quasi sacramentis incorporans irretiret: nouas viuendi leges, nouosque sacrorum ritus astuta vanitate composuit, & vt tanquam diuinæ sanctiones suo tanquam prophetico ministerio susciperentur, artificiosissimè procurauit. Camelum nãque elegantis formæ in secretis suis à tenero nutritum, & solis eius manibus assuetum: suspenso ad collum eius sacrilego codice ante lucem emisit. Qui nimirum insolita libertate gaudens, atque omnium accedentium contactus refugiens: spaciabatur per campos. Fama mox nuntiat apparuisse Camelum speciosissimum collo gerentem mysteria. Concurrit populus ad inusitatæ rei spectaculum, ad ipsum quoque nefariæ molitionis artificem res defertur, egreditur, tãquam visurus miraculum. Animal eminus conspecto nutritore occurrit, & [a] notissimas manus allambit. Acclamat populus clarere Prophetæ meri

[a] v. c. addit procumbēs.

tum; rogat codicem ſacris eius manibus accipi, & quid in eo myſterij contineretur, aperiri, quo aperto: *Ecce*, aiit, *hæc eſt lex ſcripta non atramento hominis, ſed manu Angelica: quam genti noſtræ Deus omnipotens perpetuis ſeruandam temporibus, per hoc animal mittit de cælo. Hic liber docebit vos, quomodo Deum colere, & quanta ab eo,* [a] *ſeruata lege eius, ſperare debeatis.* Hoc modo ſub nomine religionis ſacrilega cordis ſui commẽta promulgans: diem quoque, quo hæc facta ſunt, annis ſingulis ſtatuit eſſe ſolemnem, qui a Saracenis (vt [b] accipimus) Feſtum cameli dicitur, atque vnius menſis ieiunio prę-uenitur. Sanè quoniam Chriſtianas pariter & Hebræas traditiones didicerat: ex vtriſque nonnulla propriis figmentis inſeruit, ne ſcilicet omnino inuſitata prædicanti vel ſancienti fides difficiliùs haberetur. Nempè vt Iudæos mulceret, ſuillæ carnis eſum inhibuit: & propter circumciſum ſuæ gentis patriarcham Iſmaëlem, circumciſionis ritum admiſit. Noſtri quoque baptiſmatis quadam ſacrilega imitatione crebras in aquam ſingulorum tinctiones membrorum, quaſi pro expiatione inſtituit.

a v.c. addit pro.

b v.c. accepimus.

Illius Apostolicæ sententiæ, [a] *Non in commessationibus, & ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitijs* : partem primam amplexus est, & docuit : reliquam verò [b] grata lasciuis indulgentia relaxauit. Cum enim ipse esset [c] flagrantissimæ libidinis, ne aliter videretur facere quã docere, omnem suis impudicitiam carnalis voluptatis indulsit, impudenter mentiens; Deum pro talibus non irasci, atque hac fœda pudendaque licentia animos sibi concilians gentis obscœnæ. Gulosos verò atque ebriosos orbi terrarum graucis abominatus, sobrietatem docuit, [d] vini vsum, præterquam paucis certisque diebus solemnibus interdixit. Inde est, quod cum Saraceni in luxu libidinum de sui (vt dictum est) seductoris indulgentia probentur esse spurcissimi ; nostris (proh dolor) in frugalitate superiores esse videntur; nobisque (proh pudor) commessationum, & ebrietatum sordeis improperant. Denique Malleus Christiani nominis Saladinus ante annos aliquot, cum nostrorum mores explorans, audisset, quòd pluribus in prandio ferculis vterentur,

a Rom. 13.

b *scilicet, non in contentione & emulatione*

c *vt Iacob Vitriac. c. 5 histor. Orientat. notat.*

d *v.c. inter seritia ciborũ delicias frugillauit immensum.*

dixisse fertur, tales terra sancta indignos esse. Vnde constat, quod luxus nostrorum conspectus, Agarenos, de frugalitate gloriantes contra nos inciter, animetque tanquam dicentes; Deus dereliquit crapulatos ipsos; persequamur & comprehendamus, quia non est qui eripiat. De eodem autem Saladino rem memorabilem, quam a viro veraci audiui, paucis perstringam, quo eluceſcat quàm argutus fuerit ad propriæ sectæ commendationem, nostræ religionis sugillator. Præsentati sunt ei aliquando duo monachi Cistercienſis ordinis capti a Turcis prædonibus. Quos ex schemate inusitato intelligens esse de genere philosophãtium Christianorum: per interpretem sciscitatus est, quinam essent, & cuius conditionis, vel professionis. Respondẽrũt se esse monachos, regulam beati patris Benedicti professos. Ille de institutis eiusdẽ regulæ plura percunctatus, cum inter cætera de cælibatu eorum audisset, tandem quæsiuit an vinum biberent, & carnibus vescerentur. Respondẽrunt se omni tempore certum vini modulũ habere ad vsum, esum verò carnium non nisi ratione

necessitatis seu infirmitatis admittere. Tunc iussit eos indulgentiori custodiæ mancipari; & per duas decentis formę mulierculas ad eorum ministerium deputatas, solas eis carnes cum potu aquę ad victum ministrari. Qui carnibus vsi & aqua madentes, exemplo beati Iob fœdus [a] pepigêrunt cũ oculis suis, vt ne cogitarent quidem de turpitudine, sed sobrietate comite, solliciti pudicitiæ suę custodes, orationi vacabant. Quod vbi comperit Saladinus; carnes & aquam, piscibus ac vino iussit mutari. Et quidẽ si hæc eo animo feciſſet, quo a Salomone dictum est, [b] *Date vinum ijs qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscantur egestatis suæ*, [c] benevolè vtique actum fuisset. At insidiabatur callidus, vt simplicitatẽ arte deluderet, & ex hoc religioni calumniam concinnaret. Vinum ergo sumentes, dum blandientibus mulierculis tristitiam suam paulò indulgẽtiori hausto lenirent, illam Apostolicã regulam, [d] *Modico vino vtere propter stomachum tuum*, minime tenuêrunt. Nam quod stomacho sat est, hilaritati minus est. Vbi autem [e] in hilaritate honestatis irrepsit obliuio, Salomonicę de vino

a *Iob.* 31.

b *Prou.* 31.

c *v.c. benevolenti, vt referatur ad animũ.*

d 1. *Tim.* 5

e *v.c. cum*

sententię veritas claruit. Quippe ingressum est blandè, sed in nouissimo momordit vt coluber. Denique incidêrũt in fœminas idipsum molientes. Manè digesto vino & reatu agnito, fleuêrunt amarè, & lachrymis madidi producti sunt iubente molitionis artifice. Quibus ait, cur solito tristiores estis? Quia, inquiunt, peccauimus grauiter vino absorpti. Et ille; cum carnibus, inquit, vescemini & aquam biberetis, propositum vestrum cautè custodistis. Porro absque esu carniũm vino madentes, regulæ vestræ, & propositi vestri præuaricatores inuenti estis. Ex quo apparet quod ille vestrę philosophiæ auctor Benedictus minùs sapiens fuerit, esum scilicet vobis carnium inhibens, quo animi status nequaquam turbatur, & vini vobis vsum relaxãs, quo etiam integerrimæ rationis vigor eneruatur, quod tã recenti vestro probatis exemplo. An non ergo prudentior philosophus noster & legislator, qui nobis animi turbatorem vini vsum inhibuit, & semper innoxium carniũ esum indulsit? Sed vobis est quid expiationis apud vestros, cum propositum soluitis? Et illi, pœni-

a hactenus quidem legebatur, no stri: sed sensus & v. c. vt restituerem, vestri voluerunt.

tentia, inquiunt & ſatisfactio, pro arbitrio ſenioris noſtri. Ergo, inquit, nō poteſtis apud nos expiari, redite ad veſtros, pro ritu veſtro expiandi. Dimiſitque eos liberè ad propria reuerſuros, homo inueterata peſte imbutus, & ad ſugillandum, quod ſapere non valebat, argutus; ita quidem cum noſtris illis viſus eſt ludere, qui tamen magis ſtuduit ſanæ doctrinæ, cuius ignarus erat, illudere, cæca vanitate carpens virum ſpiritu Dei plenū; de quo [a] ait Beatus Papa Gregorius, quòd ſcripſerit Monachorum regulam, diſcretione præcipuā, ſermone luculentam. Nam re vera præcipuæ diſcretionis fuit, quòd ad ſacram militiam tranſeuntibus, ciborū delicias, quæ animū emolliunt & reſoluūt, curaret reſtringere, iuxta formā Apoſtolicā; [b] Modicū vini vſum, quo & caro infirma refocillatur, & animus non grauatur, voluit relaxare. Sanè peſtifera ſecta illa, quæ nimirum per ſpiritum erroris, & filium illum perditionis (vt dictum eſt) initium ſumpſit, cum plurimas arte & armis auctoris ſui prouincias infeciſſet, poſt mortem tamen eius operatione Sathanę fortiùs inualuit, orbiſque

[a] *l. 2. Dialog. cap. 36.*

[b] *1. Tim. 5.*

partem plurimam occupauit. Siquidē pestifer ille in fata, vel serò cedens, reliquit [a] discipulos artis & potentiæ successores. A quibus postea debellati potentissimi tunc omnium gentium Persę, cum tota imperij sui latitudine in Arabum ditionem cessērunt, eorumque superstitionem, religionis sę nomine, & pietatis sę specie adumbrantem, subacti seductique recepērunt. Processu verò temporis Agareni, qui & Saraceni, propagandæ suæ, vel ditionis, vel superstitionis causa alias orbis parteis hostiliter adeuntes, Constantinopolim [b] obsedērunt; qua nimirū cum Græcię Thraciæq; prouinciis ęgrè defensa, in Aphricam transiērunt; & amplissimas in ea Romanæ ditionis prouincias, ciuilibusque bellis exhaustas, haud multo negotio ingressi potius quàm aggressi eas vsque in hodiernum diem cum sacræ religionis exterminio possident. Nam a tempore Constantini Magni latè in Aphrica Christiani cultus iura viguerant; & fortissimi fidei nostræ propugnatores, gloriosus scilicet doctor, martyrque Cyprianus, & clarissimū Christianæ vas sapientiæ, Augustinus ibidē

[a] claruē-

[a] *nempe Beberce Hamar vel Homar & alios quos perstringit Guil. Tyr. l. 19. c. 21.*

[b] *malè antea obsiderunt, quod etsi deriuetur à sedeo: doctorum tamen iudicio discrepat ab obsideo.*

[a] claruêrunt. Nec tantis ſucceſſibus contenta gens perfida, Hiſpaniam, quã ab Aphrica medium non multæ latitudinis fretum diſterminat, peruicaci furore inuadens, partem eius non modicã occupauit, quam ſpurciſſimæ ſectæ applicita poſſidet vſque in præſens. Pyrenæos quoque monteis, quibus Hiſpaniæ Galliæque dirimuntur, tranſgreſſa: Gallicam feritatem eſt aggreſſa, ſperans & moliens procurrente fortuna totam Europam, ſicut & cætera, in ſuum ius erroremque conuertere. At huic tam vndoſo mari omnipotens Deus, cuius iudicia abyſſus multa, cum voluit, poſuit oſtia, & vectim, & dixit: [b] *Huc vſque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Graſſanti quippe veſaniæ regni Francorum, deficiente Romano imperio, ad hoc ipſum paulò antè præparato, impenetrabilem oppoſuit obicem. Ab his enim nõ proceſſuri ampliùs, in Hiſpaniam ſunt repulſi. Expoſito igitur quomodo Agarenorũ nephanda lues [c] partibus Oriẽtis, Aphricæ atque Hiſpaniæ primò irrepſerit, quorum diebus noſtris obſcœna progenies Orientalium exemplo

a *v. c. claruerant.*

b *Iob 38. verba ſunt Dei mare liquidum alloquentis.*

c *v.c. addit a.*

perfidorum aduersus Christianos in Hispania consistentes nouo motu incanduit, ad ordinem historiæ redeamus.

---

v. c. de rediuiua guerra Regum nostrorum.

De rediuiuo post expletionem inducia-rum bello Regum nostrorum.

Cap. XV.

scilicet anno 1195. mense Iulio, Rigord.

IGITVR expleto inducia-rum tempore, illustres Francorum & Anglorum Reges cum nulla ratione fœdera pacis susciperent, licèt vtriusque regni maiores seminandæ paci plurimùm studuissent: mense Iulio, totis viribus bellum instaurant. Huius autem tam infelicis peruicaciæ causa hæc fuit, quòd Rex Francorum nullo vel consilio, vel honestatis respectu flectebatur, vt Regi Anglorum ea resignaret, quæ de iure eius, cũ in Alemannia teneretur, nullo iure gentium vsurparat, & eidem Anglorum Regi cum tanta finium suorum mutilatione pacem facere indecorũ videbatur. Pace igitur in reliquum despe-

rata, conuênere cum suis copiis invallẽ, quæ Ruly dicitur. Quę vallis non longè a Rothomago aberat; eratq; de iure Regis Anglorum: sed cum eundem fortuna Alemanica premeret, cum sua munitione inciderat, sicut & alia plurima, in manus Regum Francorum. Cumq; ibidem exercitus vterq; sub meditatione pugnę per dies aliquot excubaret in castris, interuallo modico atq; amne interlabente discretus, visum est Regi Frãcorum munitione diruta, quod difficulter defendi posse videretur, discedere, vireisque integras ad opportunioris pugnæ tempus seruare. Itaque arci & mænibus suffodiendis die noctuque instabat, aduersæ interim partis impetum [a] callidè suspendens, tractando dolosè de pace. Verùm Rex Anglorum ex repentina suffossæ arcis ruina dolum intelligens, ingenti animo turmas suas ordinauit ad pugnam. Porro Francorum exercitus non exspectato pugnæ discrimine abiit, compositis tamẽ ordinibus, vt prudẽter cedere, non turpiter fugere videretur, Rex vero Anglorum cum suis copiis amne trãsmisso cedentibus insistendum non

[a] v. c. callidum.

duxit; sed pro tempore incruenta fortuna contentus, reformandæ munitionis studium habuit. Sanè Rex Francorum, vt accepimus, in hoc bello nihil memorabile gessit. Regi verò Anglorũ fortunę hilarioris fauor arrisit. Quippe Rex per stipendiariam militiam, quam Rutas vocant, expugnato & capto Isonduno, cum quibusdam aliis munitionibus, fineis suos in Bituricensi prouincia egregiè dilatauit, Normanniæ damna compensans. Comitẽ quoque Aluernensem, qui pridem ab ipso desciuerat, per eosdem stipẽdiarios captum, cum suis munitionibus in potestatem redegit. Tunc studio bonorum virorum, cum vindemiales feriæ agerentur, & plurimi, qui prius in arma flagrauerant, iam molliùs vrerentur, bimestres [a] factæ induciæ, vti hoc spatio deliberaretur de ipsis [b] induciis, vel in solidam pacem Deo propicio conuertendis, vel saltem in annos aliquot protelandis.

vide notas.

a *v.c. interuenere.*

b *quas Rigordus tribuit mero Dei cõsilio.*

Quomodo Rex Anglorum de nece Marchionis purgatus sit per litteras senis Montani.

Cap. XVI.

His diebus ad Europę Principes Epistolæ senis [a] Mõtani venêrunt, sic enim non pro ætate : sed quasi pro sapientia & grauitate per successiones se nuncupat Princeps cuiusdam gentis Orientalis, quam Hãsesisios vocant. Cuius Principis vel gẽtis [a] supra pleniùs notitiam fecimus, cum interitum Conradi Marchionis de monte Ferrato, qui ab eis interfectus creditur, exponeremus. Erant autem eædem Epistolæ scriptæ litteris Hebraicis, & Græcis & Latinis, erantq; scriptæ, non atramento, sed re multùm inusitata, sanguine scilicet muricis, sicut ipsæ indicabant. Has nimirum se vidisse atque legisse vir fide dignus mihi protestatus est, cum Regi Francorum [b] Parisiis solemniter fuissent oblatæ, qua-

a *Rigordus ad annum 1192. appellat vetulũ Arsacidarum.*

b *l. 4. c. 24.*

c *v. c. Parisius constituto.*

rum continentia hæc erat. *Vetus de monte Principibus, & omni populo Christianæ religionis salutem. Quoniam audiuimus illustri Anglorum Regi Sichardo necem Marchionis de monte Ferrato a pluribus imputari, tanquam eius* [a] *machinatione ob quandam inter eos exortam simultatem interfectus sit, cum vterque esset in Orientis partibus cõstitutus: nostræ honestatis interest ad purgandam eiusdem Regis famam falsi criminis suspicione denigratam, huius rei veritatem, quæ hactenus* [b] *vos latuit, declarare. Nolumus alicuius innocentia, nostri operis occasione laborare: cum nulli immerito & insonti malı quippiam irrogemus: eos verò qui in nos deliquerint, Deo auctore, non patimur diu de illatis simplicitati nostræ iniuriis gratulari. Significamus igitur vniuersitati vestræ, ipsum testantes, per quem saluari speramus, quòd nulla memorati Regis machinatione Marchio ille interfectus sit: qui profectò, pro eo, quod in nos deliquerat, & admonitus emendare neglexerat, nostra voluntate* [c] *vel iussione per satellites nostros iustè interiit. Consuetudinis quippe nostræ est eos, qui nobis vel amicis nostris in aliquo iniurioſi extiterint, primò, vt nobis satisfaciant commonere, quod si contẽpserint, per ministros nostros, qui tanta nobis*

[a] v. c. machina.

[b] v. c. penes nos.

[c] v. c. Et.

deuotione obtemperant, vt se a Deo glorioſe remunerandos eſſe non dubitent, ſi mandatum noſtrum exequendo [a] *occumbant, ſeueritatem vltionis expetere. Audiuimus etiam de prænominato Rege vulgatum, quod nos tãquam minus integros & conſtantes induxerit, vt de noſtris aliquos Regi Francorum inſidiaturos emitteremus. Quod procul dubio falſum & vaniſsimæ ſuſpicionis commentum eſt; cũ nec ipſe Deo teſte tale aliquid circa nos attentauerit, nec nos homini immerito malum moliri reſpectu honeſtatis noſtræ ſineremus. Bene valete.* Has denique litteras cum coram ſolemniter recitatas Rex Francorũm audiſſet, dixiſſe fertur, Regem Anglorum de tam infami nota præclarè purgatum; ſeque cum illo haud difficulter de cætero poſſe fœdari, cum in eũ nulla cauſa alia fortiùs quàm concepta ſuſpicione de nece amiciſſimi Marchionis exarſerit. Hæc dicens cauſam ſubticuit, qua nimirum propenſiùs eo tempore ad ineundum cum Rege Anglorum fœdus mouebatur. Quippe, vt dicitur, ad Germanæ eius, quæ Siculi Regis compar exſtiterat, nuptias aſpirabat: quibus tamen potitus non eſt. Plures enim fœminæ nobiles, [b] Danæ puel-

[a] antea male occubant

[b] v e. reĝis Dacie.

læ (cui post vnam noctem initi fœderis turpiter abiectæ cum multo scandalo libellum repudij dederat) exemplũ verẽtes, eius aspernabantur coniugium. Deniq; præter filiam Comitis Palatini, de qua superiùs memoratum est, etiam alterius nobilissimæ virginis de imperio Teutonico exoptatis exspectatisq; fraudatus est nuptiis hoc modo. Cum eam alius vir potens expetisset, parẽtibus, regiam magis petitionẽ admittẽtibus, ad Franciam pompaticè ducebatur: transiensque per fineis proci prioris, eius se manibus sponte iniecit. Aquo volens retenta & solemniter ducta, regia vota delusit. Præterea Rex Danorum repudiatæ sororis dedecus ægrè ferẽs, diuortium non rite celebratum, sed [a] cõcinnatum mendaciter, in gratiam Regis Francorum per responsales idoneos in audientia sedis Apostolicæ allegauit, & digesta præcedentium temporum serie, astruens Reges Francorum & Danorum nulla se consanguinitate vel affinitate contingere, de concinnato in fraudem diuinæ sanctionis diuortio iudicium fieri pertinaci instantia postulauit. Verùm id frustra: cũ Regis Franco-

[a] *v. c continuatum.*

rũ vel metus vel gratia plus valeret. Denique postmodum idem Rex absque omni diuini timoris, vel Ecclesiastici vigoris obstaculo, cuiusdã Ducis Teutonici filiam duxit vxorem, si tamen vxorem: cum pellex potius fuisse videatur, & superducta magis quàm ducta.

De bellico post inducias motu Regum, & quomodo apud Isondunum fœdus iniêrunt.

Cap. XVII.

INITIS igitur iudiciis cum corda Regum ad cõcordiam facile emolli posse crederetur, causis rursum ingraueſcentibus, eorum, instigãte diabolo, rediuiuus furor excanduit, elanguitque omnis spes pacis. Erat autem hyems, & dominici natalis solemnis exspectatio, quæ aduentus Domini dicitur, erat in ianuis. At neque rigor, neque religio temporis, quicquam aduersum malitiam nocendi auidam valuit, a *v.c. Initis.*

rapinis, cædibus, incendiis populus atterebatur Christianus, poteratque apud Dominum Dominorum de suis Principibus iustissime conqueri & dicere, Quemtu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addidêrunt. Eo namque tempore sub disciplina Domini desudabat, & nondum auersus [a] fuit furor Domini, sed adhuc manus eius extenta. Denique famis validæ, quæ totam fere premebat Europã, annus iam tertius, duobus præcedentibus grauior agebatur. Cũ ergo hic inde hostilis immanitas debacchari cœpisset: Rex Francorum explorato, quod Rex Anglorum [b] aliis esset intentus, [c] Isondunum oppidum obsedit, sperãs se eo expugnato potiturum, antequam honestis remotior posset accurrere, sed spe sua frustratus est. Inuenit oppidum cibis armisque sufficienter munitum. Cumque muris imminens, vt defensorib. terrorem [d] iniiceret: se non inde nisi expugnato oppido discessurũ: petulanti vanitate iuraret: viri virtutis stantes super murum, clara fiducia, vt dicitur, nõ sunt cunctati iurare in contrarium. fit [e] per dies aliquot expugnatio vehe-

a *v. c. erat.*
b *v. c. alias.*
c *v. c. Isendinium.*
d *v. c. incuteret.*
e *v. c. fitque dies.*

mens, sed expugnantibus damnosa magis. Interea Rex Anglorum accepto nũtio impiger aduolat: iussas sequi copias cum expeditioribus antecedens. Oppidum securus ingreditur, obsessore [a] ne tentante quidem illi prohibere ingressum, sed potiùs adornante discessum, mox turmas ad pugnandum dispositas ingenti animo educit in cãpum. [b] Francivero, [c] cum se viribus impares cernerent, [d] animis elanguêre. Poterat sanè dies illa longi certaminis declarare victorem: nisi Francorum sibi prudentia cautiùs prospexisset. Cũ enim ad dimicandum minùs sufficerent, & fugam ingenuè detrectarent hostẽ quoque ferocem, si fortè vel cũ fugæ dedecore tentarent euadere, in propriis finib. a tergo vrgẽtem vix possent effugêre: Dominũ suum salubriori cosilio impulére, vt vel in arcto positus certo belli discrimine declinato honestam dignaretur pacem amplecti. Qui nimirum in sui exercitus, qui facies cõuersas tanquã recedens habebat, extremo agmine erat, quod fortis cautiusque instructũ erat cõtra faciẽ insequentis. Porro Rex Anglorũ in frõte sui exercitus gradiebatur. Cuius col-

[a] *v. c. nec saltem attentante.*
[b] *v. c. Francis.*
[c] *quod.*
[d] *v. c. animi*

loquium cum Rex Francorum per viros nobiles expetiſſet, ſicut erant armati in equis, occurrêrunt ſibi mutuo inter duos exercitus modico interuallo diſtantes, & colloquij exitum ſtando præſtolantes. Itaque ſoli abſque arbitris diuſcule collocuti, in conſpectu vtriuſque exercitus capitibus exarmatis ſeſe in mutuos dedêre amplexus. Concordiam principum ingens incruentorũ exercituũ lætitia ſequitur, pacis dulce nomen ſonoris vocibus inculcatur. Facta ſunt hæc Deo propicio Nonis Decembris: & populi cum gaudio redîêre in ſua, intentionem bellicam, ad pacis ſtudia Dominici natalis inproximo celebranda ſolemnia conuertentes. Principes verò formam pacis quam inter ſe ſecreto ſtatuerant, apud ſe continebant, ſuo tempore declarandã. Quippe non poterant, prout decebat, ad tantæ rei confirmationẽ, niſi iã expletis natalis Dominici gaudiis, iterum ſolemniter conuenire.

Quomodo Principes fœdus initum declarârunt, quod diu ſtetit & de motu Britannico.

Cap. XVIII.

ANNO a partu virginis M. C. nonageſimo ſexto, iam ingreſſo menſe Ianuario, iidē Principes cum magna nobilium frequentia in terrarum confiniis ad ſolemne colloquium conuenêre. Vbi declaratum eſt & conſenſu publico confirmatum, quod inter ſe ſub clypeo egerant. Rex enim Francorum reſignauit Regi Anglorum Archas, Augum, Albemarlam, Caſtellum nouum, & cætera, quæ de iure eius tempore Alemānicæ detentionis vſurpârat, excepto Giſortio, cum quibuſdam aliis caſtellis, pro quibus, Rege Anglorum conniuēte retentis, Rex Francorum ſponte remiſit Regi Anglorum, quicquid de iure eius ſorte bellica occupârat, ſcilicet Burgum Turonenſe, beati Martini cor- 1196.

pore insigne, Isondunum oppidum, aliasque in Bituricensi [a] prouincia munitiones plurimas. Statuta quoque pœna præuaricatoris pactorum, cautè prouisum est, ne quod in posterum inter Principes scandalum oriretur. At [b] omnis cautela minor fuit ad pacis propositum solidandum, [c] vti post modicum claruit. Denique Rex Francorum pœnitentia ductus, & succensens suis, qui pacis ei consilium dederant: ad rescindendam, quàm tenendam pacem procliuior fuit. Rex quoque Anglorum pro suorum finium vel modica mutilatione, nulla compensatione contentus: irritandi Regem Francorum, vt pacem infringeret, ex ipsa (vt dicitur) præscriptæ pacis formula occasionem, artemque inuenit. Rursus ergo bellicæ intentionis inter Principes rabies exarsit, cuius tamen motibus, vel quadragesimalis & Paschalis religio temporis, vel solito maior & diuturnior aëris inclementia, vel fames per prouincias supra modum desæuiens obstitit, vt iidem Principes amicis suadētibus refractum pro tempore furorem suspenderent: & tempus, quo solent Reges ad bella pro-

[a] v. c. siue in Aluernensi.

[b] v. c. cuius.

[c] v. c. ita.

cedere, mediantibus induciis exſpectarent. Acuebat autem Regem Francorum, ad experiendam iterum belli fortunam tumultuantium eo tempore cõtra Regem Anglorum turbatio Britonum, qui puerulum ſibi Arturum ſub magno huius nominis omine nutriebant. Cum enim idem Rex eiuſdem nepotis ſui tunc decennis vſque ad annos legitimos tutelam expoſceret, quo ſibi Britanniam aduerſus caſus externos arctiùs obligaret: primi Britonum magis quadam ſuſpicione, quàm cautela idipſum non ferentes, & pro ipſo puero fortiter æmulantes: cum eo a facie patrui imminentis ad interiora Britanniæ ſeceſſerunt. Verùm huius Britannici tumultus progreſſus, & exitus ſuo loco pleniùs exponetur.

De improuisa morte Abbatis Cadomensis in Angliam missi.

Cap. XIX.

a perperam Cadomiẽsis antea. est enim Abbatia Cadomi inferioris Normaniæ oppidi, condita à Guillelmo Notho, & S. Stephano dicata.

IPso tempore Rex Richardus de partibus Transmarinis misit in Angliam Abbatem Cadomẽsem; indulta ei potestate in iis, quæ fisco competerent, subtiliùs atque districtius exquirendis. Erat autem idẽ Abbas mediocriter quidem litteratus, sed in temporalibus egregiè prudens & eloquens. Prudens (inquam) iuxta illud, b *filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua*, quippe ex claustrali disciplina assumptus ad monasterij regimen, cum iuxta c Apostolum *nemo militans Deo implicet se negotijs secularibus*, actionem muneris secularis suffugiendo lucis esse filius debuit: quam vtique ambiendo & amplectendo, filiũ se huius d lucis declarauit: dum vel minus

b Luc 16.

c 11. Timo.

d v. c. seculi.

nus attenderet, vel nollet intelligere, vt bene ageret, quantum peccatrix illa actio à professione monachi & Abbatis officio discreparet. Denique frequentibus obsequijs nactus amicitiam Principis: sub prætextu fidei & deuotionis, vt dicitur, suggerendum ei putauit, fraude officialium Regiorum ærario eius plurimum deperire: qua nimirum deprehensa & castigata, absque omni prouincialium grauamine duplicia possent fisco accedere. Quibus verbis Princeps aurem libenter accommodans: rogauit eum hanc operam sumere, & cum [a] potestate in Angliam transfretare. Ille regiam vel petitionem vel jussionem deuotè amplexus, monasterij cura postposita, venit Lundonias: vbi Cantuariensi Archiepiscopo, qui regni curam gerebat, & regiam voluntatem, & suam in executione voluntatis regiæ potestatem intimauit. Quæ nimirum licet idem Cantuariensis minus approbaret: refragandum tamen non duxit, quo minus ille munus exequeretur injunctum. Mandato igitur regio per vniuersam Angliam discurrente, vti prouinciarum præsides ad diem certum Lun-

[a] *v.c. potestate præditum.*

donias occurrerent, de administrationibus suis rationem coram memorato Abbate reddituri: ipse interim gloriosus & potestatem ostentans quadragesimali tempore sedit Lundonijs, Paschalia gaudia non visurus, nec cum eis, quos euocauerat rationem post Pascha positurus, sed ante Pascha rationem supernō judici de proprijs actibus redditurus, quantò paratior ad rationem cum alijs ponēdam, tantò imparatior ad rationem pro se reddēdam. Paucis quippe diebus elapsis, postquam Angliā introijt de mundo exijt. Perro illi, qui introitum eius expauerant, exitum eius non fleuerunt.

De conjuratione Lundonijs facta per Guillelmum, & quomodo idem pœnas suæ audaciæ luit.

Cap. XX.

Sane Lundonijs inter memorati Abbatis exitū, & cujusdam, qui nuper emerserat [a] gaudia molientis [b] exitium, pauci admodum

a *v.c. grādia.*
b *v.c. exiaum.*

fluxêre dies. Neuter enim fatis vrgentibus Paschalia gaudia vidit, dum sors extrema modico interualio diuideret, qui similitudine vel causæ, vel propositi consanare videbantur. Abbas enim, vt commoda regia cum quiete prouincialium quæreret: fraudem atque effrænẽ auaritiam officialium Regiorum castigandam esse censebat. Iste verò, cum ciuis esset Lundonienſis, sub obtentu quasi fidelitatis Regiæ causam se agere pauperum ciuium, contra insolentiam diutum astruebat, fortiter allegans (nã facundissimus erat) quod ad omne edictum regium diuites propriis fortunis parcentes, pauperibus per potentiam omne onus imponerent, & ærariũ Principis multa summa fraudarent. Hic nimirum Lũdoniis oriundus Guillelmus dicebatur, agnomen habens a barba prolixa: quam ideo nutriebat, vt hoc quasi insigni in cœtu & concione magis conspicuus appareret: qui, cum esset ingenio acer, mediocriter litteratus, eloquens supra modum: & viua quadam animi & morum petulantia nomen sibi grande facere volens, moliri noua & audere ingẽtia cœpit. Denique inhumana

a v c inn. 14.

& impudens actio eius in propriũ germanum, signum est [a] vesaniæ nequitiæque eius in cæteris. Erat autem ei frater senior ciuis Lundoniensis: a quo, scholis dum vacaret, consueuerat ad vsus necessarios petere atque percipere solatia sumptuum. Cumque iam grãdior atque in expensis [b] profusior, ea sibi quereretur remissiùs ministrari: precibus, quod minus poterat, comminationum terroribus tentauit elicere. Vbi hoc frustra tentatum, eo quod frater circa domus suę curam occupatus, illi satisfacere minùs sufficeret: tanquam in vltionem sæuiẽs exarsit in scelus. Post tanta quippe fratris beneficia fraterni sanguinis sitiens proditionis regiæ crimen illi opposuit. Aditoque Principe, cui se pridẽ vel arte, vel obsequio commendârat, quòd frater suus in animam eius coniurasset corã eo proposuit: tanquam suam in hac re circa Principem deuotionem declarans: qui nec fratri pro fide eius parceret. At hoc derisum est a Principe, inhumanissimi hominis malitiam forsitan exhorrente, & tanta naturæ iniuria pollui iura non sinente. Hic nimirum fauore quorundam nactus in vrbe

[a] *v.s.enim.*

[b] *v.c pro illa vocula ad oram repositа habebat in ipso textu superior.*

locum aliquem inter magistratus: cœpit paulatim concipere dolorem, & parere iniquitatẽ. Quippe duobus magnis vitiis stimulantibus, superbia scilicet atque inuidia: [a] quarũ prima est appetitus excellentiæ propriæ: Secunda verò, odium felicitatis alienæ: quorundam ciuium siue optimatum, quibus se imparem cernebat, fortunas, gloriamque nõ ferens: dum aspiraret ad grandia, sub prætextu iustitiæ & pietatis in ausus impios conspirauit: denique clandestina opera, & venenatis susurris apud plebẽ insolentiam diuitum & potentum, per quam ipsi indignè tractarentur, fugillans, inopesque & mediocres ad immoderatæ libertatis & felicitatis amorem inflammans: adeo sollicitauit plurimos, & quibusdam, [b] quasi præstigiis fascinatos ita sibi deuinxit, vt ad eius in omnibus nutum penderent: ipsi, tanquam omnium prouisori, quæcunque iuberet, incunctanter in omnibus obtẽperare parati. Facta est igitur Lundoniis, tanquam zelo pauperum contra insolentias potentum cõiuratio valida. Fuisse autem fertur coniuratorũ ciuium [c] numerus, ascriptis (vt postea clarauit

[a] *superbiæ definitio: quam S. Tho. 1. 2 e. art. 2. probat.*

[b] *v. c. ostẽ giis.*

[c] *v. c. innumeris.*

penes ipsum nefariæ molitionis artificē) nominibus singulorum, quinquaginta duo milia. ferramentorum quoque ingens copia, ad effringendas domos munitiores præparata, penes eundem latebat, quæ postea reperta malignissimæ machinationis argumentū fuit. Tanto itaq; fretus conscriorū numero, tāquam zelando pro plebe pauperū, & nihilominus sub prætextu regij cōmodi cœpit in omni cœtu nobilibus in faciem resistere, & quod eorū fraude fisco plurimum deperiret; potenti eloquio allegare. Cūque [a] propter hoc cōtra eum indignarentur, & fremerent: deploraturus apud Principem, quod pro eius fide potentū inimicitias atque calumnias pateretur, tranfretandum putauit. Reuersusque ad suos, calliditate solita cœpit de cætero, tanquam regio fauore subnixus fiducialius agere, & proprios cōplices fortius animare. Cuinque iam initæ conspirationis suspicio rumorque crebresceret: Dominus Cantuariensis, cui principaliter regnum erat commissum, non vlterius dissimulandum ratus, conuocatā plebem blandè alloquitur, natos rumores replicat, ad omnē [b] suspicionem

a v.c. addunt illi.

b v.c. addit sinistrā.

tollendam obsides pro fide Domino Regi, & pace seruanda dari monet. blãdiloquio eius populus placatus obtemperat, obsides dantur. Nihilominus homo [a] illis cœptis insistens, vallatus turbis pompaticè procedebat: conuentus publicos auctoritate propria faciebat. Regem se, vel Saluatorem pauperũ, arroganter vocitans, & frænandam a se in breui perfidorum insolentiã granditer intonans. Sanè ex eo, quod viri veracis narratione didici, dicentis se ante dies aliquot concioni eius interfuisse & concionantem audisse, fastus sermonũ eius elucet. Sumpto enim vel themate vel testimonio de scripturis sacris ita exorsus est. [b] *Hauriens aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*: quod ad se deriuans: *Saluator* (inquit) *pauperũ ego sum. Vos pauperes duras diuitum manus experti, haurite de fontibus meis aquas doctrinæ salutaris, & hoc cum gaudio: quia venit tẽpus visitationis vestræ. Ego enim diuidã aquas ab aquis.* [c] *Aquæ populi sunt. Diuidam populum humilem & fidelem a populo superbo & perfido: diuidam electos a rèprobis, vt lucem a tenebris.* Itaque cum datum illi esset os loquens ingẽtia, [d] habẽsque cornua similia agni, loque-

a *v.c illi.*

b *v.c. haurietis. locus extat Esai. 12.*

c *Apoc 17.*

d *bestiæ secundæ apparentis Apoca. 14. cornua appingit huic tauro.*

retur vt draco: memoratus regni moderator de consilio Procerũ euocauit eũ satisfacturũ de obiectis. Qui opportunè affuit turbis ita vallatus, vt euocator eius territus molliùs ageret, & pro declinãdo periculo cautè iudiciũ protelaret. Explorato igitur per duos ciueis nobiles tempore, quo inueniri posset sine turbis: præsertim iã cũ populus propter periculum obsidum quietiùs ageret, cum eisdẽ ciuibus ad capiendum eum armatã manũ emisit. Quorũ vnum propiùs insistentem ipse arrepta bipẽni
Eccl. 10. mactauit.[a] Illico cum paucis suorum & concubina inseparabiliter adhærẽte in vicinam ecclesiã beatę Mariæ, quæ dicitur de Archis, cõfugit: eaque ad tempus, non tanquã Asylo, sed tanquã castello tueri se voluit frustra, sperans populum maturè affuturum: qui nimirum & si de ipsius periculo doluit, tamen vel respectu obsidum, vel metu loricatæ multitudinis ad ereptionem non accurrit. Audito enim, quod Ecclesiam occupasset, militares eò copias ex vicinis paulò antè Prouinciis accersitas regni administrator direxit. Iussus ergo egredi & iudicio sisti, ne locum oratio-

nis ſpeluncam latronum facere videretur: coniuratorum accurſum fruſtra exſpectare maluit, donec oppugnata eccleſia igne & fumo cum ſuis egredi cogeretur. Egredienti autem filius ciuis, quem peremerat, prior occurrens, in vltionem paterni ſanguinis cultro illi ventrem diſſecuit. Captus itaque & iuri exhibitus, iudicio Curiæ regiæ priùs equis diſtractus, ac deinde patibulo appenſus eſt cum ſociis nouem, qui illi deeſſe noluerant. Sic iuxta quod ſcriptum eſt: *Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber;* tantorum incentor, artifexque malorum dictante iuſtitia periit, & nefariæ conſpirationis cum ſuo auctore rabies exſpirauit. Et illi quidem, quibus ſanior, cautiorque mens fuit, lætati ſunt, cum viderent, vel audirẽt vindictam, lauantes manus ſuas in ſãguine peccatoris. Porro coniurati & nouarum aucupes rerũ, extinctum planxêre vehementer, diſciplinæ publicæ circa eum vigori derogantes, & regni prouiſorem, tanquam homicidam pro ſupplicio peſtilentis & homicidæ lacerantes. *Eccleſ. 10.*

Quomodo vulgus voluerit hominem illum, tanquam martyrem honorare, & quomodo error iste extinctus sit.

Cap. XXI.

QVANTVM autem homo ille audendo & moliendo ingentia, animos sibi conciliauerit [a] impiorum; & quantum [b] etiam plebem deuinxerit, tãquam pius & prouidus pro ea æmulator, etiã post interitum eius claruit. Quippe vt ab eo puniti per leges dedecus coniuratoris abstergerẽt, & damnatores eius impios comprobarent; arte, illi martyris nomen & gloriam quæsierunt. Denique (vt fertur) quidam sacerdos propinquus eius cathenam, qua vinctus fuerat, febricitanti [c] suppositit, & salutem mox consecutam impudenti vanitate confinxit. Quo vulgato, populus insipiens hominem digna passum, pro iustitia & pietate occubuisse credidit, &

a *v. c. improborum.*
b *v. c. addit sibi.*
c *v. c. superposuit.*

tanquam martyrem venerari cœpit. Patibulum, quo ſuſpenſus fuerat, vt [a] occultis honori haberetur, de loco ſupplicij, furto nocturno ſublatum eſt, terra quoq; ſuppoſita, tanquam ſanguine cõſecrata ſuſpenſi: veluti aliquod ſacrum in vſus curationum vſq; ad foſſam non modicam per minutias a fatuis eſt abraſa. Fama mox latè diſperſa, ſtultorum, *quorum*, vt [b] ait Salomõ, *infinitus eſt numerus*, & curioſorum greges confluebant ad locum; quibus etiã aggregabantur, qui fortè ex diuerſis Angliæ prouinciis prõ negotiis propriis Lundonias aduentaſſent. Excubabat itaque ibidẽ iugiter inſulſa multitudo: quantũ honoris defuncto impendens, tantum etiam criminis illi, per quem abſumptus videbatur, impingens. Tantumq; inualuit error vaniſſimus, vt etiam [c] prudentes, tãquam faſcinatos rumoribus irretire potuiſſet, niſi ea, quæ de homine illo compererant, cautiùs ad memoriã reduxiſſent. Excepto enim eo, quod paulo ante exitiũ (vt ſuprà expoſitũ eſt) homicidiũ perpetrauit; quod vtique, vel ſolum ad hoc, ne pro martyre, propter ſuppliciũ haberetur, cordato cuilibet ſufficere

[a] *v.c. inſerit in.*

[b] *Eccleſ. 1.*

[c] *v. c. imprudentes.*

debuisset, ipsius sub ipsa morte confessio: eorum frontes, qui talem sibi martyrem fecerāt, iusto, si haberent in corpore sanguinem, debuit rubore perfundere. Quippe vt a viris fide dignis accipimus in ipso supplicio, quo absumptus est, cum a quibusdam moneretur, vel serò humili peccatorum cōfessione dare gloriam Deo, confessus est se ecclesiā illam, quam a facie insequentium cum propria concubina fuerat ingressus, in illa mora, quam ibidem sub inani expectatione auxilij fecit, semine polluisse: & quod longè maius est, ipsoque dictu horrendum, cum iam hostes nullo subueniente irrumperent: [a] diabolum, vt vel ab ipso liberaretur, inuocasse. Inficiabātur quidē [b] iustificatores eius, atq; in præiudicium sui martyris malignè conficta dicebant. Porro hanc litem diremit fabricatæ vanitatis in breui occasus. *Veritas quippe solida est, & tempore conualescit, concinnata verò falsitas nil habet solidum, sed in breui euanescit.* Igitur regni administrator in sacerdotem illum, qui totius superstitionis caput exstiterat, digna ecclesiasticę seueritatis præeunte vindicta, armatorum globum

a *v.c. negato Mariæ filio, quod eū non liberaret, inuocasse.*
b *v.c. addit hæc.*

emisit, qui & rusticã multitudinem fugarent, & si qui fortè ibidem persistendum ducerent, comprehensos Regis carceri manciparent. Armatam quoq; in ipso loco custodiam iugiter obseruare præcepit, quæ non solum ad supplicationes aduenientes vulgus arceret insulsum: verumetiam curiosè diuertentium inhiberet accessum. Cumque hoc per dies non multos fieret: tota illa cõcinnatæ superstitionis machina funditus concidit, & popularis opinio conquieuit.

De prodigio mortui post sepulturam.

Cap. XXII.

In diebus in pago Bukingamẽsi prodigiosa res accidit: quam priùs a quibusdam ex parte; postea verò a venerabili Archidiacono illius prouinciæ Stephano pleniùs didici. Quidam in fata concedens, iuxta morem, honesta vxoris & propinquorum cura †

in vigilia Dominicæ Ascensionis, sepulturæ est traditus. Sequenti verò nocte cubiculum vxoris quiescentis ingressus excitatam non solùm terruit: verùm etiam pene obruit importabili sui pondere superiecto. Altera quoque nocte attonitam, pari modo afflixit. Territa periculo mulier aduersus tertiæ noctis agonem & deinceps se vigilum consortio munire in somnis ipsa curauit. Affuit tum ille: sed pulsatus exclamationibus vigilum, cum nocere non posset abiit. Sic repulsus a coniuge fratres proprios in eodem vico habitantes similiter fatigauit. Illi verò iuxta cautelæ muliebris exemplum, parati ad excipiendum repellendumque periculum, noctes cum suis ducebant insomnes. Aderat tamen ille tanquam desiderans præoccupare somnolentos: sed repulsus solicitudine & virtute vigilum: inter animalia, quæ vel in domibus, vel circa domos erant, debacchabatur: quod ipsorum animalium efferatio & motus insoliti declarabant. Tunc amicis quoque & vicinis, pari molestia grauis, eandem omnibus necessitatem nocturnæ solicitu-

dinis ingerebat. Erantque iam in ipso vico per omnes domos vigiliæ generales, dum singuli ad improuisum essent ipsius accessum suspensi. Cumque aliquandiu hoc modo solis fuisset noctibus debacchatus: luce quoque diurna oberrare cœpit, formidabilis quidem omnibus, sed visibilis quibusdam. Pauefacti homines supra modum, consilium ab ecclesia quærendum duxerunt: remque integrè ad memoratum Archidiaconum conuentui sacerdotũ solemniter præsidentem cum questu lachrymabili detulerunt. Qui confestim venerabili Episcopo Lincolnienſi Lundoniis tunc constituto cuncta per ordinem scripto insinuans, eius in re tam inusitata sententiam & auctoritatem meritò censuit expectandam. Episcopo verò stupente super hoc, & habente tractatum cum suis; fuere qui dicerẽt talia sæpius in Anglia contigisse, & crebris clarere exemplis, quietem populo dari non posse nisi miserrimi hominis corpore effosso & concremato. Indecorũm nimis atque indecorum hoc visum est venerando pontifici: moxque

chartulam absolutionis manu sua conscriptã Archidiacono dirigens, vt quomodo illius hominis omne corpus haberet, oculata fide clarecceret. Sepulchrũ eius aperiri, & supposita pectori eius eadem chartula, rursum sepulchrum claudi præcepit. Aperto ergo sepulchro corpus ita inuentum est, sicut ibidem fuerat collocatum. Pontificalis verò absolutionis chartula pectori eius apposita, & clauso rursum sepulchro; nec oberrare deinceps visus est, nec alicui molestiam vlteriorem inferre permissus.

absolutionis Pontificiæ virtus.

De re consimili quæ accidit apud Berevvik.

Cap. XXIII.

† IN Aquilonaribus quoque Angliæ partibus, aliud non dissimile & æquè prodigiosum eodem tempore nouimus accidisse. Est vicus nobilis ad ostiũ Tindi fluminis, qui Berevvik dicitur de iure Regis Scotorum. Ibi quidam vir pecuniosus, sed pessimus, vt postea claruit,

claruit, poſt fata ſepultus, operatione, vt creditur, Sathanę, noctibus egrediebatur ex tumulo: & canum, cum ingenti latratu, proſequente turba huc illucque ferebatur; & multo, cunctis accolis incuſſo terrore, ante lucem tumulo reddebatur. Cumque hoc per dies fieret plurimas, & nullus iam auderet poſt veſperam foris inueniri: dum omnes exitialis monſtri formidarent occurſum: quidnam agendum eſſet, vicini inter ſe maiores ſimul & mediocres habuere tractatum, metuentes ſcilicet ſimpliciores ex ipſis, ſi fortè negligentiùs ageretur, ab exanimi prodigio maturiùs ſugillari: prudentiores verò cautè reputantes ne fortè tardante remedio ex crebro peſtiferi cadaueris circumactu infectus corruptuſque aer, morbos & mortes gigneret plurimorum: quod vtique præcauendum crebris in re conſimili clarebat exemplis. Conduxerunt itaque decem iuuenes audacia inſignes: qui corpus nefandum effoderent, & membratim exſectum redigerent in combuſtionem, & cibum ignis. Nam & ipſum mon-

ſtrum, dum circumferretur a Sathana, ſicut dictum eſt, quibuſdam fortè obuium dixiſſe perhibetur, quòd eo incombuſto populus requiem habiturus non eſſet. Eo ergo combuſto data quidem videbatur populo requies: ſed exorta conſequenter lues maiorem illius populi partem abſumpſit. Nuſquam enim alibi tam dirè deſæuiit, cum in cunctis ipſo tempore extiterit Angliæ finibus generalis, vt ſuo loco pleniùs exponetur.

peſtis generalis.

Sanè quòd mortuorum cadauera de ſepulchris egredientia neſcio quo ſpiritu ad viuentium vel terrorem vel perniciem circumferantur, & ad eadem ſepulcra ſponte ſe illis aperientia reuertantur: non facilè in fidem reciperetur niſi & crebra noſtri temporis exempla ſuppeterent, & teſtimonia abundarent. Mirum planè ſi talia olim contigêre, cum nihil in libris veterum tale reperiatur: quibus vtique ingens ſtudium fuit memorabilia quæque literis mandare. Cum enim quædam modica conſcribere nequaquam neglexerint: quomodo rem tanti ſtuporis ſi-

mul & horroris, si fortè illo seculo contigit, supprimere potuere? porro si velim omnia scribere huiusmodi, quæ contigisse temporibus comperi: nimis operosum simul & onerosum erit.

Videtur hic desse uo stra vel similé quidda.

Duo tantùm recentis memoriæ suprà memoratis annectere, & nostræ historiæ, quoniam se præbet occasio, ad posterorum cautelam inferere libet. Ante annos aliquot, cuiusdam illustris fœminæ capellanus exuens hominem, apud nobile illud cœnobium, quod Mailros dicitur, sepulturam accepit. Qui nimirum sacri ordinis, quo pollebat, in modico habens respectum, supra modum secularis extiterat, & maximè quòd diuinorum confectorem sacramentorum denigrabat, adeo venatoriæ deditus, vt infami elogio a plurimis *Humdepreſt*, ideſt Canum presbyter diceretur: Et quidem hoc dubium, post mortem verò ex euentu, reatus eius claruit. Noctibus siquidem tumulo exiens, in ipso quidem monasterio, obsistentibus habitantium sanctorum meritis non pote-

Sanctorum corporea præsentia compescit ea codæmonũ malignitatem.

rat quenquam terrere vel lædere. Porro extra monaſterium oberrabat & maximè circa cubiculum propriæ quendam dominæ cum ingenti ſtrepitu & horrendo murmure ferebatur. Quod cum ſæpius fieret, illa ſupra modum anxia, magnitudinem ſui vel pauoris vel periculi, venienti ad ſe pro cauſa monaſterij cuidam ex fratribus intimauit, lacrymabiliter poſtulans vti ſolicitò impenſiores pro ea tamquam in agone poſita preces Domino funderentur. Cuius anxietati frater ille (nam de ſancto loci illius Collegio crebris beneficijs optimè merita videbatur) piè iuſtéque condoluit, & citum remedium de miſericordia ſummi prouiſoris ſpopondit. Reuerſus quoque ad monaſterium, alium ſibi æquè conſtantis animi fratrem, & duos iuuenes validos ſociauit: cum quibus cœmeterium vbi ſepultus erat infœlix ille presbyter, peruigil cuſtodiret. Hi ergo quatuor armis inſtructi, mutuo tuti ſolatio pernoctabant in loco. Noctis iam medium fluxerat, & verè monſtrum apparuit, vnde factum eſt, vt relicto ibidem ſolo illo, qui

cæteros sibi aggregarat, tres in proximam ædem secederent, vt frigus nocturnum, quod cauſabantur, igne leuarent. Cum ergo ſolus ille in loco perſiſteret: aptum ſe tempus vt fiduciam hominis frangeret, inueniſſe diabolus æſtimans: illico vas proprium, quod ſolito diutius quieuiſſe videbatur excitauit. Quo eminus conſpecto ille pro eo quod ſolus erat, primò diriguit: ſed mox reſumpta fiducia, cum locus non eſſet effugij, impetum peſtis cum terribili murmure irruentis fortiter excipiens, bipennem, quam manu geſtabat, altè corpori eius infixit. Accepto illa vulnere, ſonorè ingemuit: & conuerſa, non ſegnius quàm aduenerat, abijt, cum homo mirabilis fugientem à tergo vrgeret, & ſepulchrum proprium repetere cogeret. Quod illi ſe vltro aperiens ſuſcipiénſque hoſpitem à facie inſequentis eadem facilitate mox clauſum apparuit. Quibus actis, qui nocturni frigoris impatientes ad ignem ſeceſſerunt, vel ſerò accurrerunt, & auditis quæ acciderant, ad effodiendum tollendumque de medio cadauer ma-

perperam v. c. accepit.

vide notas.

ledictum sommo mane necessarij cooperatores fuerunt. Quod cum egesta humo nudassent: ingens in eo vulnus, quod acceperat, & cruoris plurimum, qui ex vulnere fluxerat, in sepulcro repererunt. Sublatum igitur extra septa monasterij comburentes, cineres quoque dispersserunt. Hoc nimirum a viris religiosis accepi: simplici narratione digessi. Iterum aliud non dissimile sed perniciosius contigit apud Castellum quod Anantis dicitur, prout accepi à religioso, qui clarus & potens in partibus illis extiterat, & in sua hoc præsentia factum memorabat. Quidam vir malæ actionis, vel legum vel hostium metu ex Eborensi prouincia ad Dominum memorati castelli, cui notus erat, confugiens ibidem resedit: fortius ministerium suis moribus aptum, augere magis proprias quam corrigere studuit prauitates, Vxorem duxit, in propiam sanè perniciem, vt postea claruit. Audiens enim de ipsa quædam, spiritu zelotypiæ vexabatur: cupiensque an vera essent dignoscere, finxit se longiùs

iterum nec rediturum nisi post aliquot dies. Reuersus vespere, atque cubiculum clanculò per ancillam conscium intromissus, super trabem cubili vxoris imminentem latuit, oculis probaturus siquid ibi contra thori fidem ageretur. Videnſque vxorem cum vicino iuuene fornicantem, præ ira immemor sui effectus decidit, grauiterque, iuxta seipsos cubantes ad terram elisit. Et mœchus quidem exiliuit: vxor verò callidè factum dissimulans, molliter erigere curauit iacentem. Ille ad se modicè reuersus, stuprum improperat, pœnam comminatur. At illa: signa inquit, te Domine mi: aliena loqueris: quæ non tibi, sed morbo imputentur quo teneris. Quassatus ergo ex casu & toto fere corpore stupidus, tanquam morbo decubuit. Quem vir memoratus, qui hæc mihi detulit, pietatis officio visitans monuit eum de peccatis suis confessionem facere, & Eucharistiam iuxta morem sumere Christianum. Ille verò quid sibi accidisset, & quid vxor diceret, replicans, quod salubriter monebatur,

incraſtinum diſtulit', craſtinum in corpore non viſurus. Nocte enim ſequente Chriſtianæ expers gratiæ, meritis malis vrgentibus ſoporem mortis ſociauit: & Chriſtianam quidem ſepulturam indignus accepit, quæ illi non profuit. Noctibus enim operatione Sathanæ de ſepulcro egrediens, proſequente eum cum latratu, horribili Canum turba per plateas & circa domos oberrabat, cunctis oſtia obſerantibus, nec exire præſumentibus ad aliquod negotium ab incipientibus tenebris vſque ad ortum ſolis, nequis fortè ab oberrante monſtro ſugillandus occurreret. Verùm hæc cautela nihil profuit. Nam circumactu tetri corporis infectus aer æſtu peſtilenti vniuerſas morbis & mortibus domos repleuit: iamque vicus, qui populoſus paulò antè fuerat, pene exinanitus videbatur: dum cladi ſuperſtites, ne & ipſi morerentur, ad alias partes commigrarent. Hanc nimirum ſuæ deſolationem parœciæ dolens vir ille ex cuius ore hæc accepi, in ſacra Dominica, quæ Palmarum dicitur, viros ſapientes & religioſos accerſire ſtuduit,

malè v. c. baſtu.

v. c. malè, coniungerēt

qui in tanto discrimine salubre darent consilium, & consolatione vel modica miseras plebis reliquias recrearent. Facto igitur sermone ad populum, & rite expletis venerandæ diei solemnibus, religiosos hospites cum cæteris honoratis, qui aderant, viris vocauit ad mensam. Quibus epulantibus, duo fratres iuuenes, qui patrem clade illa amiserant, sese mutuo cohortantes; monstrum, inquiunt, istud patrem nostrum perdidit, & nos citò dispertet, si negligamus. Agamus ergo aliquid virile cum propriæ salutis cautela; tum in vltionem paternæ necis. *Adolescentum pectus virile.* Non est qui impediat, & cùm domo sacerdotis conuiuium celebretur, & totus hic vicus sileat tanquam vacuus. Effodiamus pestem illam, & comburamus igni. Arrepto itaque ligone satis retuso cœmeterium adeuntes fodere cœperunt. Cumque se altius fossuros esse crederent, repentè cadauer non multa humo egesta nudauerunt enormi corpulentia distentum, facie rubenti turgentique supra modum. Sudarium verò quo obuolutum fuerat, con-

ciſſum penitus videbatur : nec terrorem iuuenes, quos ira ſtimulabat, exanimo corpore retulèrunt : ex quo tantus continuò ſanguis effluxit, vt intelligeretur ſanguiſuga fuiſſe multorum. Trahentes autem illud extra vicum, rogum celeriter conſtruxerunt. Cumque vnus ipſorum diceret cadauer peſtiferum ardere non poſſe niſi corde extracto, alius crebris ictibus retuſi ligonis, latus aperuit, & manu iecta cor maledictum extraxit. Quo minutatim diſcerpto & corpore iam ardente nunciatur conuiuantibus, quod gerebatur ; & accurrentes rei geſtæ teſtes in reliquum eſſe potuerunt. Porro infernali illa bellua ſic deleta, peſtilentia quoque, quæ graſſabatur in populo, circumuenit, tanquam ille, qui durum cadauer abſumpſerat, aërem eſſet purgaturus, qui eius fuerat peſtilenti motu corruptus. His itaque expoſitis ad hiſtoriæ ordinem redeamus.

a v c. intulerunt.

De signo quod visum est in Cælo & expugnatione quorundam castellorum.

Cap. XXIIII.

IN octauis Pentecostes hora diei prima apparuere in cœlo duo soles, sol scilicet verus atque alius tanquam eius æmulus. Nec facilè discerni poterat vter illorum esset sol verus nisi ex solito processu, alius verò paulò eleuatior quasi sequi videbatur, malorum fortè, quæ subsequuta noscuntur, præsagium. Quod signum oculis meis vidi cum aliis quibusdam, qui mecum erant. Cumque suspensi & stupidi diusculè stetissemus, rem tam inusitatam intuentes, repentè dum oculos, tædio victi deflectimus, æmulus ille veri solis euanuit. Nec multò post expleto induciarum tempore, quod laborantes populos modicè recreabat, cruentus rursum principum furor excanduit. Totis in arma viribus ruitur : igne

ferroquè, florentes paulò antè prouinciæ corrumpuntur. Et Rex quidem Francorum cum suis copijs Albemarliam obsedit. Rex verò Anglorum castrum, quod Nonanciortis dicitur, sui quidem olim iuris, sed a Rege Francorum iampridem occupatum. Quo maturè potitus & propulsandi hostis, & soluendæ obsidionis operam sumere rogabatur à suis: sed dissimulauit, siue pugnam, quæ supra modum cruenta foret exhorrens: siue propensius de suorum, qui castellum obsessum defendebant, virtute confidens. Conuersus ergo ad depopulandos fines hostiles sollicitè satagebat absque mutui sanguinis discrimine auertere obsessorem. Verùm ille peruicaciter cœptis insistens cum multo tandem sui exercitus sudore &. sanguine castellum deditione obtinuit & euertit. Sanè hoc damnum minus contristauit Regem Anglorum, quod castelli clarioris receptio compensabat. Verùm hoc non multo post sine sufficientibus munimentis inuentum est, recidit in manus Regis Francorum. Inimicitijs igitur prin-

cipum magis magisque qnieſcentibus reformandæ paci a bonis & ſapientibus inaniter ſtudebatur. Cum ipſi ad omne conſilium pacis obſurdeſcerent, Nam, vt ſcriptum eſt: *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocẽ incantantium.* Quanquam in his Regis Angelorum ius proprium repetentis cauſa potior, & ira proculdubio iuſtior fuerit, vt ſupra oſtenſum eſt. Pace itaque deſperata cum nec ille, ad reſignandum quod illicitè occuparat, nec iſte ad quieſcendum niſi iure ſuo redeunte, vlla potuiſſet ratione induci, quantùm inter ſe ſuperbi principes fremebant, tantùm & miſerè plebs gemebat. Quicquid enim delirant Reges, innoxiæ plectuntur plebes.

apparet pro magis repo nendum mi nus minuſque.

Pſalm. 57.

imitatus eſt notum illũ Lyrici verſum epiſtol. 11. l. 1.

Quicquid delirãt Reges, plectũtur Achiui.

De fame & peste per Angliam.

Cap. XXV.

AGGRAVATA est ipso tempore etiam manus domini super populum Christianum vesanie scilicet principum vastãdi prouincias, iũgens famem & pestem, vt pene illud in nobis propheticum cõpletum esse videatur: *Nuga inimici percussi te, castigatione crudeli.* Et quidem fames intempestiuis edita imbribus per annos aliquot Gallię Angliæque populos vehementer attriuerat: sed Regibus intrò debacchantibus plus solitò inualuit. Cumq; vulgus pauperũ passim inedia deperiret, secuta est eueſtigio tãquã ex pauperum mortibus aere corrupto, pestis sæuissima, quę & illis, quibus alimẽta abundabant, minimè parceret & indigentibus longũ famis cruciatũ breuiaret. In aliis sanè regionibus, quomodo illius se tẽporis res habuerint, minùs nobis cõstat: de Anglia verò, quod scimus, loquimur: & quę vidimus eo tẽpo-

Hiere. 34.

re, teſtamur. Serpſerat effuſa lues vno tantum morbo, febre ſcilicet, quæ acuta dicitur, per ſingulos dies tammultos corripiens, tammultos conficiens, vt vix inuenirentur, qui curam languidis, vel ſepulturam mortuis exhiberent. Cõſuetus funeris apparatus ceſſabat: & quacumque hora diurna quis obiiſſet, mox matri terræ reddebatur, niſi cum fortè aliquis nobilior, vel ditior deceſſiſſet. In pleriſque etiam locis receptui cadauerũ fiebant foſſæ non modicæ, cum propter morientium multitudinem facultas non eſſet ſingillatim ſingulos iuxta morem humare. Cum ergo tam multi cotidie morerentur etiam incolumes, non languebant & vultu pallebant, & moribundis ſimiles incedebant tanquam continuò morituri: in ſolis autem monaſteriis eadem labes minimè graſſabatur; quæ nimirum poſtquam per quinque vel ſex fere menſes paſſim deſæuiit, tandem hyemali rigore conſopita quieuit. Porro hac tam crudeli clade altercantium principum duriores animi fuere, qui in ſtudio belligerandi hyemem æſtate, & autumno iunxere.

Quomodo Alemanni secundo signum Dominicum susceperunt.

Cap. XXVI.

SANE Rex Anglorum paulò antè obsides suos apud Teutonicum Imperatorē relictos absolutos receperat, persoluta illi pactæ redemptionis summa. Quibus receptis dixisse fertur a captiuitate Alemannica tunc primò sibi se redditum. Liberatus itaque ab exactione tam graui: intentione integra bellicis negotiis insistebat, de reuersione in Syriam, cui se inde rediens deuouerat, nihil vel tepidè cogitans. Sed nō illi hoc imputetur. Necessitate siquidem, quam primò per Imperatorem Teutonicum, ac deinde per Regem Francorū patiebatur, apud sobrios iudices facilè excusatur. Porro idem [a] Imperator, vt quasi expiaret, quod in Christianum Principem ab Oriente reuertentem, tam fœdę auaritiæ instinctu commiserat, & pecunias, quibus

a *Abb. Vsperg. scribit tantùm eo curante hanc expeditionē susceptam.*

quibus Angliam nudauerat, piis vſibus applicaret: Oriẽtalis eccleſiæ miſerãdis reliquiis ſubuenire decreuit. Conſiderabat etiam per ſe actum, quod duo illi magni Reges relictis, quæ Chriſti ſunt, ſua tantùm quærerent, & ferabilibus in alterutrum odiis debacchando vireis more tyrannico frangerent Chriſtianas. Cupiens ergo hanc iacturam religioſa opera compenſare: anno a partu ſacræ Virginis [a] M.C.XCV. circa ſolemnitatem beati Andreæ Apoſtoli, conuocatis apud [b] Vvormaciam primis imperij eccleſiaſticis pariter laiciſque perſonis, & deuotione propria cunctis declarata, ad æmulandum prò Chriſto ſublimi exẽplo prouocauit plurimos. Denique ſedente eo ſolemniter in Cathedrali eccleſia continuis octo diebus & [c] cõſedente, qui ad hoc ipſum venerat, Apoſtolicæ ſedis legato, cum omni frequentia inclytorum. His [d] qui ſapientia, dignitate & facundia præcellebant, per dies ſingulos in auribus Chriſtianæ multitudinis potẽti eloquio declamantibus: tantus fidei & deuotionis in animis audientium feruor incanduit, vt fas eſſet, dicere, *digitus Dei eſt hoc.*

1195.

a. *maiè v. c.* 1125. *veſper.* 1197.

b *v. c. Gormaciam.*

c *v. c. obſidente.*

d *v. c. interiecit quoque.*

Magnis Præſulibus, & præclaris Ducibus cum multitudine virorum fortium Dominicum characterem per dies ſingulos certatim ſumentibus: ipſe quoque Imperator paratus fuit eodem ſigno cum cæteris inſigniri. Verùm hoc ab omnibus altiori conſilio diſſuaſum eſt, allegantibus Chriſtianæ expeditioni conducere, vt in imperio manens, de victualibus progreſſo exercitui pro tẽpore tranſmittendis, propenſiori cura ſatageret; &, cum res poſceret, laborantibus ſupplementa militiæ mitteret. Itaque ſecunda in Syriam Germanicarum atque Italicarum gentium expeditio totis viribus parabatur, cum Reges noſtri nil ſanum aut ſobrium meditantes, proprio tantùm [a] in multorum diſcrimen indulgerent furori.

a *v.c. ad.*

De Dissensione Regis Richardi & Rothomagensis Archiepiscopi.

Cap. XXVII.

His diebus orta est dissensio inter Regem Richardum & Galterium Rothomagensem Archiepiscopum: tantò fœdior, quantò maiori prius videbantur amicitia cohærere. Idem enim Pontifex eidem Principi, & ante Regnum, & in regno deuotus semper & fidelis exstiterat, eiusque sibi animum multis & præclaris obsequiis obligârat. Denique ipso Orientalem expeditionem ingrediente, domi pro officio residere non passus, ne illi vel ad tempus deesset, animo subeundi quælibet cum eo discrimina, vsque in Siciliâ vna progressus est. Rex verò [a] idem audiens tyrannicos mores Elienſis Episcopi, cui regni custodiam regimenque crediderat, remisit eum in Angliâ, datis

[a] v. c. Ibidē & certè melius.

memorato Episcopo mandatis, vt eum in administratione regni per omnia collegam asciscceret. Verùm ab homine singularem gloriam amante ad collegium non admissus, sustinuit siluitque ad tempus. Illo verò post modicum a regni nobilibus fastum eius non ferentibus, fortiter debellato atque ignominiosè expulso : iste voto & decreto generali susceptam regni curam laudabili moderamine gessit. Cumque [a] post diutinam in Germania detentionem, pactis tandem cum Imperatore celebratis maturè liberandus speraretur: deuotum sibi Præsulem accersendum putauit: eumque non inuitum apud Imperatorem pro summa non modica obsidem reliquit. Rege verò in regnũ regresso, belliciscque intento negotiis, idem Pontifex in gratiam eius Imperatori de proprio (vt dicitur) satisfaciens, ad propria cum gloria remeauit. Verũ Princeps bellica quadam necessitate, quæ plerunque & amicis non parcit: minorem illi gratiam, quàm sperabat, [b] impendit : præsertim cum Elienſis Episcopus ad auriculam Principis frequenter pro officio positus (nam Can-

a ex v.c. Rex necessariò restitutum.

b v. c. rependit.

cellarius erat Regius) illi apud Principē plurimùm derogaret. Infestus quippe illi erat causa superiùs memorata. Exasperatus ergo Pontifex propter quædam de iure ecclesiæ suæ a Rege præsumpta, cum Rex bellicam necessitatem obtendens. nequaquam illi ad præsens satisfaceret, sed bellis cessantibus satisfactionem promitteret: Apostolicæ sedis iudicium appellauit, & suspensis in sua Diœcesi diuinæ laudis organis Romam [a] conscendit. Responsales quoque regij eueſtigio secuti, in conspectu summi Pontificis in faciem illi restitere: ea quidem quæ ab eo contra Regem proponebantur, minimè inficiantes: sed necessitatem Regiam verbis ad deprecandum compositis excusantes. Tum summus Pontifex fertur. Nota est orbi terrarum iniusta Regis Anglorum vel captiuatio ab Oriente (vbi Christo militauerat) cum signo eiusdem militiæ reuertentis, vel spoliatio, graue & diutinum sub cathena Alemānica tædium patientis. Debuit ergo tua discretio pro tempore dissimulare: etiam si maiora, quàm proponis, ratione necessitatis bellicæ attentasset. Hæc

[a] *v.c* comtendit & certè germanius.

dicens Principi quidem tanquam fatigato iniuriis, & iustum bellum gerenti morem gerere studuit. Pontificem verò aliàs delinitum atque placatum ad propria remisit.

De morte Helienſis Epiſcopi, qui Cancellarius meruit appellari.

Cap. XXVIII.

SAnè inter eos, quos idem Rex pro ſua cauſſa Romam proficiſci voluit, clariores fuiſſe videntur Helienſis Epiſcopus (qui & Cancellarius Regius & Dunelmenſis electus) qui Romam veniens à ſummo Põtifice ordinari meruit. Cancellarius verò a Rege digreſſus morbo decubuit. Quo ingraueſcente poſt dies aliquot vitam finiuit, iam non coram Romano Pontifice cauſam Regis Anglorum acturus, ſed ad tribunal Regis Angelorum pro ſeipſo rationem redditurus. De hoc quidẽ

Episcopo, qui a paucis quidem Episcopus, ab omnibus Cancellarius dicebatur, eo quod à tempore ordinationis suæ longè magis palatio quàm Ecclesiæ militaret. De huius, inquam, Episcopi moribus & actibus, & qualia circa illum propter intolerabilem eius fastum prouenerint, cum ei memoratus princeps Orientalem peregrinationē ingressus, administrandam in Anglia rerum summam credidisset, suo loco [a] superiùs exposítum est. Expulsus ergo ab Anglia, atque in Galliis pro tempore exulans, cum eundem Regem ab Oriente reuertentem, Alemannica teneri catena audisset, ocyus eum visitare curauit, quò & suæ circa eum deuotionis comprobaret feruorem, eiusque imposterum propensiorem obsequiis mercaretur fauorem. Assistens ergo vincto insigni toto tempore sortis indignæ in multis ei necessariis extitit: Et si quid fortè contra se pro rebus in Anglia turbatis, animo principis sederat, nouæ sedulitatis officio aboleuit. Ornata circa Regē fortuna in Angliam cum ipso reuersus, & rebus in Anglia compositis transfretantē ad bellum transmarinum secutus, Can-

[a] l. 4 c. 5. 14 & 15.

cellarij officio ſtrenuè fungebatur: Sacerdotio verò, ita vt expers ſolicitudinis & oneris paſtoralis tantũmodo ad honorem & commoda videretur eſſe Epiſcopus, & nomine Epiſcopi per nomen Cancellarij adumbrato, a paucis Epiſcopus diceretur. Denique principi bellum atrox & cruentum cum Francis gerenti per annos aliquot ſeculari magis quàm epiſcopali induſtria collaborans, tandem, vt dictum eſt, morbo defecit. Lætata eſt Anglia in morte eius, quia incubuerat timor eius ſuper illam: Cum enim & apud principem plurimũ poſſet, & ſuæ olim ab Anglia ignominioſæ, extruſionis homo ingentis animi immemor eſſe non poſſet: manifeſtum erat, quod terræ, quæ illum euomuerat tanquam humorem peſtiferum, crebrò machinaretur malum. Quem ergo Angliæ nobiles non fruſtra formidauerant viuum, parciùs fleuere defunctum.

Quomodo finitum est bellum Britannicum quadragenarium.

Cap. XXIX.

His diebus Britones, qui à Rege Anglorum iampridem defciuerant vasta finium suorum per cohortes regias depopulatione cœrciti, in eiusdem Regis fœdus & gratiam cum suo Arthuro redire. Bellum quoque Tolosanum, quod illustri Anglorum Regi Henrico & filio eius Ricardo res summi negotij fuerat, & per annos quadraginta vires multorum attriuerat populorum, eodem tempore, Deo propitio expirauit. Comes enim S. Egidij, pace cum Rege Anglorum celebrata, sororem eius, quæ olim Regi Siciliæ nupserat, & eo præmaturè defuncto ad fratrem redierat cum ingenti gloria, coniugem duxit: atque hoc malo inueteratum illud malum conquieuit. Itaque Rex Anglorum, qui ad tria

bella quasi trifariam diuisus erat, atque ideo minùs in singulis poterat, duobus finitis, Britonico scilicet & Tolosano ad tertium quod cum Rege Francorũ gerebat, integer rediit, cœpitque robustiùs agere, & terribilior hostibus apparere. Certabatur vtrimq; totis viribus: tantúsque erat debacchantium furor, vt nec sacris quadragesimæ diebus deferrẽt, [a] deprædetionibus atque incendiis loca priùs florentia corrumpentes: nec Saeerdotibus Domini, si fortè inciderent, secùs quàm popularibus parcendum ducentes. Sanè tam longa tamque exitialis cõcertatio principum detrectantium concordiam poterat saltẽ per vnius partis victoriam breuiari, si conuenire & congredi noluissent. Verùm hoc si quando alter eorum, virium suarum fiducia voluit, alter ancipitem formidans euentum cautè declinauit. Denique nocendo alterutrum, dum alter alterum fatigando & lassando frangere studuit: Vterque bellum sub expectatione melioris fortunæ protrahere quàm incerti per victoris gloriam maturè terminare maluit.

[a] malè in v. c. depræda-toribus.

De [a] captiuatione Episcopi Belluacensis.

Cap. XXX.

ANNVS, a partu Virginis M. 1197.
c. nonagesimus septimus vertebatur, & furor Principum minimè deferuebat, tanquam iuuans manum Domini iramque eius accumulãs super populum Christianũ. Nam famis validæ, quæ Galliæ, Angliæque Regiones vehemẽter augebat, annus iam quintus currebat. Sanè Rex Francorum, qui anno præcedenti fortius egisse videbatur, cœpit remissius agere, & fineis proprios molliùs tueri. Rex verò Anglorum paulatim augebatur viribus & prosperabatur magis. Denique vicũ [a] insignem (qui dicitur sancti Valarici) repentè aggressus, potenter effregit; portum commeantibus abundantem obtinuit, opes abstulit, munitionem euertit, præda onustus abiit. Nec multo pòst in pago Belluacensi ca-

[a] *Portu, Oceano refluente.*

ſtrum quod Miliacum dicitur, per ſuos
Vide notas. expugnauit, moxque theſaurum repe-
rit, id eſt ſucceſſum ſpe maiorem. Bel-
luacēſis enim Epiſcopus, homo ferocis
animi, & propinquitate regia inclytus,
audiens Miliacum oppugnari: ſumptis
propere armis, non ſuis, id eſt, militiæ ſe-
cularis, non ſpiritualis, cum armata
multitudine contra hoſtes audaćter e-
greſſus, & fortiter cum eis congreſſus:
bellicoſus magis Pontifex, quàm reli-
gioſus apparuit, ſed fortunam non rectè
culpauit. Nam iudicio Dei victus, cap-
tus & vinctus cum quibuſdam aliis no-
bilibus, Regi Anglorum, cui tam in
Orientali expeditione & Alemannicis
vinculis conſtituto, quàm regreſſo ad
propria, ſupra modum infeſtus exſtite-
e v e. oblatus. rat: gratiſſimum munus [a] oblatum eſt.
Cumque Rothomagi vinctus ſeruare-
tur: duo, vt dicitur, ex familiaribus cle-
ricis eius ſupplices ad Regem venerunt,
poſtulantes gratiam, vt ſibi liceret Do-
mino ſuo in vinculis miniſtrare. Quibus
ille, vos inquit, iudicate inter me & do-
minum veſtrum. Vt enim quæ mihi vel
intulit, vel molitus eſt mala, obliuioni
tradantur vſq; ad vnum: certè ab Oriē-

te rediens, & detentus ab Imperatore Romano, respectu personæ Regiæ molliùs tractabar, & cum decenti honore seruabar. Superueniens autẽ idem Dominus vester vespere: cuius rei gratia venerit, & apud Imperatorem nocte quid egerit: expertus sum manè. Aggrauata est enim super me manus Imperatoris, tantoque mox [a] oneratus sum ferro, quantùm asinus vel equus vix ferre posset. Iustè ergo discetnite, qualem Dominus vester habere custodiam debeat apud me, qui talem mihi fecit apud detentorem meum. Clerici verò ad hæc non habentes quod dicerent, frustrati abierunt. Bellicosus itaque Pontifex seruabatur in vinculis, & tractabatur ab hostibus mitiùs fortè quàm meruerat, sed planè duriùs, quàm Episcopum decebat. Interpellauit autem per suos Romanum Pontificem, vt ecclesiastici vigoris instantia liberaretur de manibus detentoris. Idem verò summus Pontifex prudenter considerans, quod Rex Anglorum Episcopum non prædicantem, sed præliantem cepisset: & rigidum magis hostem, quàm pacificum Præsulem te-

[a] malè in v.c. honoratus.

neret in vinculis : vt vinctum relaxaret, illi moleſtus eſſe noluit, ſed interpellanti ſapienter & diſcretè reſpondit : improperans, quod ſecularem militiam eccleſiaſticæ prætuliſſet, & pro baculo paſtorali lanceam, pro mitra galeam, pro alba loricam, & clypeum pro ſtola ſumpſiſſet, & gladium ferreum pro gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei : neganſque ſe pro eo [a] imperaturum Regi Anglorum, ſed opportunè ſupplicaturum pollicens. Vinctus itaque Pontifex relaxationem ſuam citra Regum concordiam deſperabat : atque ideo pacem, quàm priùs incentor belli oderat, in illo vinculorum tædio iugi deſiderio ſuſpirabat.

[a] *v. c. addit. vincto.*

De *defectione quorundam a Rege Francorum, & qua occasione inducię factæ sunt inter ipsum & Regem Anglorum.*

Cap. XXXI.

EODEM tempore defecerunt à Rege Francorum quidam regni eius potentes, illatis ab eo iniuriis irritati, [a] iunctique Regi Anglorum, vireis eius auxerunt, & ab eo viciſſim robur acceperunt. E quibus Comes Flandrenſis dolenſe à Rege Francorum iuris [b] hæreditarij dimidia fere parte fraudatum: Regis Anglorum pecuniis roboratus, nobile oppidum, quod dicitur Duai, obſeſſum deditione recepit, quaſdam etiam munitiones alias occupauit. Quibus ſucceſſibus confortatus creſcente fiducia, ciuitatem Atrebatenſem obſedit. Sanè tunc Reges tanquam ex induſtria mutuum deuitãtes occurſum, locis diuerſis exer-

[a] *v. c. inſerit, & dominum ducum cauſantes.*

[b] *v. c. interponit ſui.*

cebantur. Et Rex quidem Anglorum in pago Bituricensi munitiones aliquot expugnauit. Rex verò Francorum munitionem Dangu nominatam, quæ ab ipso paulô antè defecerat, castris circũdedit. Qua maturè dedita & euersa memoratæ vrbis obsidionem soluere festinauit. Obsessor autem eius aduentu præcognito, obsidionem deseruit, hostémque superbum ad persequendum, cedendo accendens, dum à tergo incautiùs progressi confractis omnibus pontibus [a] difficilem vel illi reditum, vel exercitui eius commeatum facere studuit, arte quàm viribus plus effecit. Cumque amicis mediantibus inter parteis de pace tractaretur, oblatam Comes pacem nec respuit, nec absolutè amplexus est, [b] ostendens se Regi Anglorum sufficientem per obsides idoneos præstitisse, atque ab eo vicissim accepisse cautionem, quod neuter eorum sine altero bellum pace mutaret. Pactis tamen inter partes formatis, consensu Regis Anglorum pro tempore [c] sanciendis: Rex Francorum ad propria rediit. Comes verò cum festinatione adiit inuitandum ad honestę pacis consensum

a v. c. addit. amniũ.

b v. c. obtendens.

c v. c. faciendis.

ſenſum Regem Anglorum. Itaque Reges tantùm iam pacis auidi, quantum bellici laboris pertæſi, [a] cum Optimatibus ſuis atque omni frequentia ſubditorum ad ſolemne in terminis colloquium conuenêrunt. Vbi de plena quidem pace minùs actum eſt, eo quod animi Principum à longa inueterati odij paſſione difficile ſanarentur; ſed inducias vnius anni & quatuor menſium tanquam arram futuræ pacis inter ſe ſtatui maluêrunt, adiicientes in pactis, Vt negotiantibus regiones eſſent peruiæ, mutuiſque prouinciæ gauderent ſolatiis: & vt captiui vtrimq; cõpetẽti, & tolerabili redẽptione relaxari mererentur. Soluto conuentu, militantibus facultas data eſt ad propria remeandi, & feſſæ malis prouinciæ pauſam modicam cum magnis gratulationibus ſuſceperunt.

[a] *au. c. interſcribit, anno a partu Virginis* 1197. *menſe ſeptembri.*

De re prodigiosa quæ accidit apud Mltone.

Cap. XXXII.

Is diebus mense Augusto in nostra Eboracensi prouincia super flumẽ Derevventum prodigiosa res accidit, quæ silentio prætereunda non est, sed nostræ [a] inserenda historiæ ad notitiam & cautelam posterorum. Apud monasterium Clericorum Regularium, quod Maltone dicitur, coquendæ calci clibanus parabatur. Cum autem, vt moris est à latere deorsum ignis immitteretur post solis occubitum, eiusdem loci præpositus aderat cum quibusdam fratribus: & nẽ tantus in irritum cederet apparatus, sollicitè satagebat. Circa verò aliud latus erat fouea modica vsui præparata altitudinis non ampliùs quam sex vel septem pedum. In hanc sanè vnus fratrum dum vrgendo opus circuiret cautiùs, per tenebras properans, lapsus est. Et cum non sta-

[a] frustra v. c. inserẽdi.

tim exurgeret, percunctanti præpositó an læsus esset, respondit, perij: quo dicto siluit, in morte mirantibus silentium eius cunctis qui aderant, cuius mortem ne suspicari quidem poterant. Nam circunfusæ noctis tenebræ, & interiora[a] foueæ abscondebant. Rogatus autem quidam ex astantibus descendere ad dignoscendum & renuntiandum quomodo se res haberet, descendit: moxque procumbens & ipse cum silentio in mortem obdormiuit. Quo non renuntiante aliquid, neque egrediente alius nihilominus iussus descendere eadem sorte mox absorptus est. Tum stupor apprehendit omnes, qui circunstabant: nec tamen adhuc quiescendum putantes, cautiùs explorandi gratia, tertium descendere monuerunt. Qui, vt dicitur, salutari signo se muniens in exitialem foueam descendebat: & confestim clamans: morior, inquit, morior, extrahite me. Qui autem propiùs astabant apprehensa summitate scalæ exiguæ per quam descenderat, hærentem scalæ scilicet cum ipsa scala extraxerũt. Tunica verò, qua induebatur, disrupta, & quasi violentis malè[b] attrectantium

a *absurdè v. c. fonte.*

b *v. c. attractantiũ*

manibus conſciſſa videbatur: ſic ergo idem ſubtractus exitio, ſine voce & ſenſu diu ſemianimis iacuit ſpumas ore prouoluens, deinde paulatim ad ſe rediens elanguit per dies plurimos. Tunicam verò ſuam tanquam peſtilentem horruit, nec ea etiam reſarcita indui paſſus eſt. Sanè poſt exitium memorati fratris, & duorum iuuenum, qui cum eo occubuerunt, cũ quidã ſequenti die ad extrahenda eorum corpora deſcendiſſet: nihil ibidem vel ſenſit horroris, vel mali expertus eſt. ſed innoxiè & cum omni fiducia exanimata corpora de loco exitij eleuauit. In quibus profectò nulla læſio apparebat præterquam in oculis ſiniſtris qui cruenti & quaſſati videbantur, liuorem circa ſe tanquam recentis percuſſuræ prætendentes. Hoc denique prout eorum, qui vel interfuerunt, vel ab his, qui interfuerant audierunt, concordi narratione didici, literis mandare curaui, euentus planè, quẽ pro ſua nouitate cogor mirari, cauſam nolens rimari.

De concordia Regis Richardi & Rothomagensis Archiepiscopi & de quodam prodigio.

Cap. XXXIII.

EODEM tempore illustris Rex Richardus & Gualterus Rothomagensis Archiepiscopus post longam simultatem modestiori studio veterem inter se amicitiam reformarunt, Cum [a] & Pontifex in gratiam Principis iure suo cederet, & Princeps Pontifici satisfaciens pro iis quæ de iure Rothomagensis Ecclesiæ ratione necessitatis bellicæ vsurpasse videbatur iustam commutationem daret. Cum enim apud vicum, qui [b] Audelaicus dicitur, & erat patrimonium Rothomagensis Ecclesiæ, idem Rex locum notasset castro, pro tuitione Normanniæ [c] ad Sequanã flumen construendo aptissimum, timens ne fortè idem locus ad hoc ipsum hostiliter occuparetur à Rege Francorum, eundem duxit

[a] *v. c. enim.*

[b] *melius Angelaicus.*

[c] *v. c. super.*

præoccupandum. Cœpit ergo ibidem natura loci mirabiliter iuuante opus humanum, profusis ædificare sumptibus castrum firmissimum cõtra faciem Regis Francorum, memorato Pontifice antiquum Ecclesiæ suæ patrimonium hoc modo sibi præripi æquanimiter non ferente: Francis verò videntibus & irascentibus, & contra opus æmulum, quod impedire non poterant frustra frementibus. Eundem ergo Archiepiscopum Princeps postmodum digna compensatione placauit, virum scilicet litigiosum, famoso illo vico maritimo qui [a] Depa dicitur, Ecclesiæ Rothomagensi commutans. Quo facto, quantò meliori conscientia, tantò & hilariori fiducia & feruentiori studio operi deinceps [b] inchoato insistens, quantum ex hoc muniminis propriis in reliquum finibus parauit, tantum etiam ex hoc ipso hostilem ferociam exulcerauit. Sanè in loco illo cum magna illa ædificatio fieret, rem prodigiosam contigisse ferunt. Nam, sicut quidam non ignobiles, qui se interfuisse asserunt, protestantur, mense Maio paulò ante Dominicæ Ascensionis solemnia, cum

a Dieppe.

b v.c. initiato.

Rex adeſſet, & opus vrgeret (nam ſæpius ad diſponendum vrgendumque opus aderat, & conſpectum proficientis operis pro magna voluptate habebat) repentè imber ſanguine mixtus deſcendit, ſtupentibus cum ipſo Rege cunctis qui aderant: cũ & in ſuis veſtibus veri ſanguinis [a] guttam conſpicerent, & rem tam inſolitam, malum [b] protendere formidarent. Verùm ex hoc idem Rex non eſt territus, quo minus operi promouendo intenderet, in quo ſibi (ni fallor) ita complacebat, vt etiẽ ſi Angelus de cælo id omittendum ſuaderet, anathema illi eſſet.

[a] *v. c. guttas.*

[b] *v. c. portendere, & certè rectiùs.*

HIST. ANGL. FINIS.

NOTÆ IN LIB. I. HISTORIÆ GVILLELMI NEVbrigensis, & primò in eiusdem epistolam nuncupatoriam.

E. *Abbati*] Solitaria litera E. deerat in vetusto codice Anglicano: quem notamus semper his literis v. c. Hæc autem litera E. signat Ealredum, Capgrauio, Ethelredum dictum, Abbatē Rieuallis (de cuius origine legere fuerit ca. 14. lib. 1. Guill. Neub.) ordine secundum, à Nicolao æquè Rieuallensi nuncupatum Ælredum in Epigrāmate quod placuit exscribere, ne fortassis ab inuida tandem proscriberetur ignorantia.

Inclitus Ælredus conditus aromate morum,
Et mellis fauus, & dulcedo fuit monachorum.
Flore iuuentutis hunc Regis [a] *regia fouit:* a in ora ms. nostri erat, Scotiæ.
Quæq; nociua procul animoque, manuque remouit.
De Henrico venit in Hierusalem duce Christo.
Hic citò fructificat: spinas in lilia vertit.

Sparsa recollegit, & in vnum fracta redegit
Celsior hinc factus, post cœlica præmia nactus.
Si libet, & fas est hic dicere vera retexam:
Nec reor ordiri quicquam de stamine falsi.
Maurus erat maturis moribus: & [a] Benedictus,
Exemplo: similis Bernardo, cœlibe vita.
Virtutum specimen, vitiorum scopa: decúsque
Ordinis, & speculum: via pacis, fibula legis:
Prætulit exuuias Pauli, Hieronymus auro
Cræsi: nostra pari decoratur gemma nitore.
Intitulant alios præconia multa: sed ipse
Pacificus Salomon fuit, & mansuetus; vt agnus,
Antiquo de consilio non multa reuoluo.

[a] *intelligit S Maurum S. Benedicti discipulum.*

Hæccè verò non esse ὑπερβολικῶς dicta fidciubet Ioānes Baleus Anglus monachis alioquin & ipse monachus excucullatus, infensissimus, appellans in centu. II. Scriptorum Britanniæ. Ælredum nostrum, doctrina, & inculpatæ vitæ moribus insignem: quódque Rieualli ab hoc seculo migrarit prid. Id Ianuar. anno Christi M.C.LXI. vitæ, LVII. & sub Henrico Rege II. ascriptus fuerit sanctorum numero. Qua scrupulosa denotatione, duo veniunt obseruanda nempe Guillelmum nostrum obtulisse tantùm Ealredo primum huius historiæ librū, & aliquot 2. lib. capita: Nec huic obseruationi prospicio quicquam obstare. Nam quod quinque reliquerit multis annis excedentes obitum Ealredi, coegit promissum, epistola nuncupatoria, ceu fide publica subnixum. Alterum, quod obseruatione dignum præmonui, est lapsus Nicolai Rieuallensis monachi in computandis trium priorum Abbatum

annis, ita vt primo vel tertio plures annos tribuens cogat Ælredum paucioribus præesse, scilicet annis tantùm 17. necessariò tamen 20. quandoquidem interfuerit translationi sancti Edouardi Regis anno 1164. Sed præstat ipsius Nicolai referre verba.

Primitias cepit Villelmus: proximus illi
Ælredus maiora tulit: Siluanus adauxit.
Tres sunt præcipuè meriti vix imparis, ille
Primus & alter ei successor, & iste supremus.
Claruit officio V. denis & tribus annis:
Ter senis fuit Æ. pastor prius in Rieualle.
Ter denis, terniſque simul S. præfuit annis.
Tempora quatuor hic & quinquaginta recensē:
Floruit, enituit, his patribus atque patronis
Vallis amœna Ri. Val. sacra, vallis opima.
Anglia de tali præfulges inclyta sole.

Literæ capitales solitariè positæ sunt nomina prædictorum Cœnobiarcharum: sic in penultimo versu, intercidit dictionem Rieuallis. Floruit autem Nicolaus (quem iterum aduocabimus (Innocentio & honorio III. Pontificibus maximis anno 1216.

In Præmium.

Gaufridus hic dictus est agnomen habens Arturi.] A Ranulpho Hygdeno Anglo ad Cestrensis Clauſtri coenobita non semel in Polychronico vocatur Galfr. quin & ipsemet Galfridus in præfatione historiæ, quam noster

Guillelmus improbat, sic semet inscribit. Verùm eiusdem operis præfationem lubet hîc describere. Illustrabit forsan Auctoris nostri
„ proloquium. Cum mecum multa de multis
„ sæpius animo reuoluens in historiam Regum
[a] *in m. nostro est, non mirum ât sequentia videntur repugnare, si legamus ita.* Brytanniæ inciderim : [a] mirum quod infra mentionem, quam de eis Gildas & Beda luculento tractatu fecerunt, nihil de Regibus, qui ante Christi incarnationem inhabitauerant, nihil etiam de Arthuro cæterisque complicibus, qui post incarnationem successerũt, reperissem : cùm & gesta eorum digna æternitate laudis constarent, & a multis populis,
„ quasi inscripta, incundè & memoriter prædi-
„ carentur. Talia mihi, & de talibus multotiès
„ cogitanti obtulit Vvalterus Oxenofordensis
„ Archidiaconus vir in oratoria arte, atque in
„ Exoticis historiis eruditus, quendam Brytan-
„ nici Sermonis librum vetustissimum : qui a
„ Bruto primo Rege Brytonum vsque ad Ca-
„ dualadrum filium Cadualonis actus omnes,
[b] *Sic quidem ms. nostrũ : quã uis legendum videatur, perorabat.* & ex ordine perpulchris orationibus [b] properabat. Rogatu igitur illius ductus, tametsi infra alienos hortulos falerata verba non collegerim : agresti tamen stilo propriisque calamis codicem illum in Latinum sermonem transferre curaui. Nam [c] *malè in ms. appulsis.* ampulosis dictionibus paginam illinissem, tædium legentibus ingererem : dum magis in exponendis verbis
„ quàm in historia intelligenda ipsos immorari
„ oporteret. Opusculo igitur meo Roberte
„ Dux Glauræ me faueas, vt sic te doctore, te
„ monitore corrigatur : quòd non ex Galfridi

Monumetēſis fonticulo cenſeatur exortum: « ſed ſale tuæ Mineruæ conditum, illius dicatur « editio, quem Henricus illuſtris Rex Anglo- « rum generauit: quem philoſophia liberalibus « artibus erudiuit: quem innata probitas in mi- « litia militibus præfecit. Vnde Brytannia ti- « bi nunc temporibus noſtris, ac ſi alterum « Henricum adepta, interno congratulatur af- « fectu. Huc vſque præfatus Galfridus aſſerit ſe non condidiſſe hiſtoriam, vt Guillelmus noſter prodidit, ſed conditam Latina lingua, vertiſſe in Brytannicam. Quo nomine carpitur à Ioanne Baleo Centur. 11. Scriptorum Brytanniæ: quanquam æqualis dixerim criminis & mendacium excogitare, & excogitatum publicare. Haud futiles ſunt noſtri Guillelmi rationes, quibus oſtendit vanitatem hiſtoriæ licèt a Pontico Virumnio propugnatæ, & ne pili quidem factæ a viris perdoctis Anglis Giraldo Cambrenſi cap. 7. Cambriæ deſcriptæ, appellante fabuloſam, & Georgio Lilio. Nec tamē pœnituit Claratonem Anglum, has nugas verſu gallico reddere noſtriſque hominibus obtrudere, cum Lutetiæ bonas addiſceret literas ſub annum M. CCCC. Cæterùm agnomen Arturi comperi quoque tributum Gaufrido in ms. tabulis Aſaphenſium Epiſcoporum: qui ſedentes in Vvallia (quam & Cambriam dicunt) ſubſunt Archiepiſcopo Cantuarienſi. Nec velim quemquam putare Galfrido fuiſſe cognomini, Monumetēſem: ſed agnomini, ex Archidiaconatu quem adminiſtrauit, & poſt quem, agnominatus fuit

Asaphensis ab Episcopatu Asaphensi, & quidem primus. Hoc enim seculum non pauca peperit episcopia in Anglia. Nec audiatur Baleus appellans præsulem Helyensem, forteque delusus nominis similitudine. Galfridus enim, de quo in præsentiarum, disertè agnominatur Arturus (vt hîc Guillel. noster agnominat) in ms. Tabulis Asaphensium pontificum: ex quarum lectione paret eum fuisse vnctum anno 1151.

In Cap. I.

In fructuosam arborem securi Canonicæ animadversionis.] Perperam ante hac legebatur, *securis*. Verbum enim succedens, nempe *successit*, refertur ad Legatum proximè commemoratum. Quàm verò Stigandus esset arbor infructuosa, Mathæus Parquerus in Antiquitatibus Ecclesiæ Brytannicæ dicit tribus verbis post complures historicos, scilicet quod auarus, ambitiosus, & Simoniacus. Archiepiscoporum Canturiensium ms. tabulæ hæc de eo: *Stigandus habitu, apostata prius Halmædensis Episcopus (quæ sedes ad Norwic translata est) & postea Wintoniensis, non causa religionis: sed cupiditatis: deinde Archiepiscopus; à Papa excommunicatus sub Willelmo conquestore miserabiliter obiit in carcere. Sedit 17. annis, & vacauit 2. annis.*

Vt prius illi Cani viuo tanquam meliori, &c.] Subscribebat huic lectioni v. c. sed Auctor mutuatus est ad rem suam verba Ecclesiastæ

cap. 9. ſcribentis: *Melior eſt canis viuus leone mortuo*, quem locum S. Hieron. enarrans inquit: *Peccator viuens poteſt melior eſſe iuſto mortuo, ſi voluerit in eius tranſire virtutes: vel certè eo, qui ſe in malitia, potentia, procacitate iactabat, & mortuus fuerit, melior poteſt quis pauper eſſe & viliſsimo.* Nomen verò canis hîc allegoricè vſurpati ab Auctore erat Aſcelinus: Leonis mortui, Guillelmus Rex: qua de re ſic fragmentū vitæ eiuſdem: *Tunc Aſcelinus Arturi filius de turba ſurrexit, & voce magna querimoniam huiuſmodi, cunctis audientibus edidit. Hæc terra, vbi conſiſtitis area domus patris mei fuit: Quam vir iſte, pro quo rogatis, dum adhuc eſſet Comes Normanniæ, patri meo violenter abſtulit, omnique denegata rectitudine iſtā ædem potenter fundauit. Hanc igitur calumnior & palam reclamo: &, ne corpus raptoris operiatur cæſpite meo, nec in hæreditate mea ſepeliatur, prohibeo. Hoc vt epiſcopi & proceres alij audierunt, x. vicinos eius, qui eundem vera dixiſſe conteſtabantur, intellexerunt, hominem accerſierunt: omnique remota violentia precibus blandis lenierunt, & pacem cum eo fecerunt. Nam pro loculo illius ſepulturæ ſexaginta ſolidos ei protinus adhibuerunt.* Hactenus fragmentum, quod, ſi lubet, appellabimus ſupplementum Vuillelmi Gemmeticenſis hęc prætereuntis lib. 7. de Ducibus Normannis, (quem Typographi Germani dormitantes inſcripſere ſextum) cap. poſtremo.

In Cap. III.

Regularium Clericorum Prior apud Chiechiam] v.c. habet Chichiam. Tabulæ Cantuarienſium Archiepiſcoporum eodem ſeculo ſcriptæ, Chic, in hanc ſententiam. *Anno ab incarnatione Domini* M.C.XXIII. *Radulphus Archiepiſcopus* XIII. *Cal. Nouemb. obiit: cui Guillelmus Curbulenſis Canonicus Regularis poſt aliquot annos ſucceſsit. Guillelmus Prior S. Oſithæ de Chic. conſecratus à Vuillelmo Vintonienſi Epiſcopo, vice Londonienſis.* Florentij Vigornienſis continuator (qui Chronico appoſuit vmbilicum anno M.C.XLI.) appellat Cice. *Anno*, inquit. M. C. XX III. *vir eximiæ religionis Guillelmus Canonicus S. Oſithæ de Cice, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem Glauornæ eligitur, & à Guillelmo Vintonienſi Epiſcopo, pluribus cooperantibus Epiſcopis,* XIIII. *Cal. Mart. Cantuariæ conſecratur: & paulò poſt Romam profectus pallium accepit à Calixto Papa. Obiit anno* M.C.XXXVI. *Epiſcopatus,* XV.XIII. *Cal. Decemb.* Vvillel. Malmesber. l. II. de Pontif. Anglis pag. cxxxv. edit Londin. ſcribit, *Cit*, his omnino veris. *Locus eſt in dioceſi Londinenſi apud Orientales Saxones, Cit vocabulo: vbi eſt B. Oſithæ in miraculis famoſæ requies. Hunc vir ille* (*Richardum Londinenſem Epiſcopum deſignat*) *terris aliquantis & regularibus impleuit Canonicis, &c. Huius loci primus Prior fuit Vvillelmus de Corbuil, qui defuncto Radul. Cantuariæ Archiep. in illũ honorẽ euectus eſt.*

Rogerus Houed. Annal. priori parte, pag. 273 eiusdem edit. appellat Chiche, adeo variarant librarij in vnius voculæ scriptione: *Anno, inquit. M. C. XXIIII. ad festum Purificationis dedit Rex Archiepiscopatum Cantuariæ Vvillelmo de Curbuil, Priori Canonicorum de Chiche.* Horum verò historicorum consensu palàm est, quàm irreligiosè Arnoldus Vvion. lib. II. ligni vitæ, cap. 19. & Matheus Parquerus in Antiquitat. Eccles. Britann. scripserint eum fuisse S. Benedicti monachum. Manifestior verò fit Arnoldi dissimulatio, quòd ibidem loquens de Anselmo, Lanfranco, Theobaldo & Ricardo Cantuariensibus Archiepiscopis producat autorem nostrum: in Guillelmo, missum faciat, eique substituat Mathæum Vestmonast. ad annos M.C.XXII. MCXXIII. & M.C.XXXVI. qui floruit anno M.CCC.VII. vt ipsemet scribit cap. 72. scilicet non viderat hunc locum Neubrigensis.

Apud Radingum in monasterio, &c.] v.c. Ranigum: Anonymus Anglus, S. Mariæ de Redinges, & quidem Anglicè, vt paret. Henricus autem id monasterij posuerat sub annum. M.C.XX. ad Tamesim fluuium, accito ex Cluniacensi claustro Hugone, quem præficeret cœnobiarcham. Vt verò Ducis personam gesserat in Normannia: sic præcipuos vitæ suæ duces cor & cerebrum voluit in ea sepeliri ad Pratensis asceterij. Quæ quidem corporis partitio dedit Arnulfo Lexouiensi materiam huius epigrammatis haud illepidi.

Henrici cuius celebrat vox publica nomen,
Hoc pro parte iacent membra sepulta loco.
Quem neque viuentem capiebat terra: nec vnus
Defunctum potuit consepelire locus.
In tria partitus, sua iura quibusque resignat
Partibus, illustrans sic tria regna tribus.
Spiritui, cœlum: cordi, cerebroque dicata est
Neustria: quod dederat Anglia, corpus habet.

Interim Henricus Hungtidonienſis in Anglia poſuit Henrico carmen elegiacum, in quo ſimile quiddam concinit Arnulfo.

Anglia, quæ cunis, quæ sceptro numinis huius
Ardua splenduerat, iam tenebrosa ruit.
Hæc cum Rege suo, Normannia cum Duce marcet.
Nutrit hæc puerum: perdidit illa virum.

Quod denique Vvillelmus pater humandus ferme prætitit, nempè vt cadaueris crepantis fœtore aſtantes pene enecuerit: filius nec dum libitina concluſus, ſuo diſſectori planè reddidit, vt hic Auctor denarrat.

IN CAP. V.

Albertus Hoſtienſis Epiſcopus.] In v.c. ſcribitur Albericus: in Ricardo Hagulſtadénſi, Albricus: priorem tamen lectionem video vſitatiorem etiam in Henrici Hũgtidò. lib. 8. & Roger. Houed. priori parte Annalium, cõmemorantibus idem concilium nec non ms. tabulis Cantuarienſis eccleſiæ, in hæc verba. *Theobaldus Abbas Beccenſis cõſecratus eſt Archiepiſcopus ab Alberto Hoſtienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato: & honorificè ſedit annis XXII. menſi-*

bus 4. fuit autem vir per omnia laudabilis & magnificus: & tã in sæcularibus, quàm ecclesiasticis negotiis experientissimus. Huius obitus recolitur 14. Cal. Maij, vacauit anno 1. mensibus 4. diebus 16.

IN CAP. VIII.

VSque ad Epiphaniam] v. c. ipapanti, nã vt liquet, scriba Græcos etiam carachteres norabat, aliàs ὑπαντὴ, vt est in menologio Grecorũ, & c. 34. l. 2. de inst cleric. Rabani Mauri. Quæ enim festiuitas dicitur a plerisq;, Purificatio Deiparæ, ab aliis, Candelaria seu candelosa propter candelas cereosq; eo die pro more antiquo consecrari solitos; nuncupatur à Græcis ὑπαντὴ, idest occursus παρὰ τὸ ὑπαντᾶν, id est obuiã procedere. Simeon enim vir iustus, piissimaq; Anna Prophetis obuij fuerunt Christo purificãdo. Verùm & si membranę subscripsissent impressis libris: necessario tamẽ reponenda fuisset vox Græca ὑπαντὴ propter hæc Ricardi Hagulstadensis verba: *Rex Stephanus Lincoliæ vrbẽ infra natale obsedit: cuius munitiones* [a] *ingenio ceperat Raunulphus Comes Cestrensis: seditq; ibi Rex vsq; ad Purificationẽ S. Mariæ. Tunc nãq; Ranulphus prædictus adduxit secũ Robertum filiũ Regis Henrici socerũ suũ, & proceres multos, & milites validissimos ad obsidionẽ Regis dissoluendã. Cũ autem Consul validissim. & audacissim. paludẽ pene intransibilẽ vix transisset: in ipsa die, aciebus dispositis Regẽ bello aggressus est: ipse cũ suis, vt vir admirandæ probitatis aciem primã constituerat. Secundã, illi, quos Stephanus Rex dehæreditauerat: tertiã Dux Robertus magnus cũ suis. Rex interea Stephan. exæstuãs fluctibus, missam in tanta solẽnitate audierat, cũ autẽ de more,*

[a] *quod hic ingenio: à Guillelmo dicitur dolo.*

cereum Rege dignum, Deo offerẽs, manibus Alexandri Episcopi imponeret, confructus est. Hoc fuit Regi signũ ruinæ. Proinde Rex strenuissimus progreditur: acieſque cum summa securitate, bello disponit: ipse pedes omnẽ circa se multitudinem loricatorum equis adductis scitissimè collocauit: consules cum suis in duabus aciebus, equis pugnaturos instituit, &c. Capitur igitur Rex Stephanus in die Purificationis S. Mariæ: & in Lincolniam ab hostibus diruptam miserabiliter introductus est. Huc vsque satis ex Ricardo; vt conjiciatur amanuensem quempiam cum fortè reperisset vocem ὑπαπαντὴν latinè breuiateque scriptam: sicut legit, vel magè collegit esse Epiphaniam, sic ad nos legendam transmisit. Certè Anonymus Anglus nostri Guillelmi coæuus mandauit chronico Purificationem Deiparæ hoc anno incidisse in diem dominicum per literam E: tam scrupulosè id obseruauit. Valsingham in ypodigmate Neustriæ repetit fractionem cerei.

IN CAP. X.

Concilio, quod sequenti anno] Eius synodi commeminere Guillel. Malmesb. lib. II. histor. nouellæ & Roger. Houed. in Annal. sed huius non constat ratio terminata anno M.C.XXXIX. Etenim Guillel. noster cap. 8. antecedenti supputauit Stephani sextum, hocque in cap. addit septimum. Iam, si ab anno M.C.XXXVI. ducamus initium regni eiusdem, vt v.c. (neque enim quis, anni loco ponet tres hebdomadas anni M.C.XXXV.) necessariò is calculus assignatam continebit rationem an-

ni M. C. XXXVI. (cui subscribit Ricardus Hagulstadensis : quanquam nescio quis subdidisset, aliàs M. C. LII.) Et temporis huius concilij, videlicet MCXLII.

IN CAP. XI.

G *Aufridi de magna villa*] v. c. de maiori villa; Anonymus contemporaneus, de mandauilla: sed quid moramur in excitanda memoria hominis sacrilegi, lethæoque dignissimi obliuio?

Parietes ecclesiæ & claustri sanguinem sudarunt] Rogerus Houed. priori parte Annal. non aliorum relatione, *sed*, inquit, *dum ecclesia illa pro castello teneretur, ebulliuit sanguis à parietibus ecclesiæ, & claustri adiacentis, indignationem diuinam manifestans : sceleratorum exterminationem denuntians. Quod multi quidem viderunt, & ego ipse meis oculis inspexi.* Cæteris à Guillelmo nostro recensitis de Reynero idem Rogerus suffragatur, adiiciens hæc patrata anno Christi M. C. XXIIII. Stephani Regis IX. Augusto mense.

IN CAP. XII.

E *Ccles iam polluit Bellingconiensem*] Emendatiùs in v. c. Briglintoniensem ad normam S. Augustini compositam post quingentos annos in Eboracensi diœcesi, virisque sanctimonia simul & literis illustrem. His verò denarratis à Guillelmo de Roberto Marmium, & Guillelmo Albemarlensi leges pura puta apud Matthæum Paridem, Henricum Hungtido-

nienſem, Rogerumq; Houedenum, vtinam ſacrilegi profaniq; illi alieno ſapuiſſent malo, quod ſexaginta circiter annis antè contigerat Affordo Croilandēdis monaſterij Diœcetæ in eadē Anglia. Quem cum Ingulfus Abba rogaſſet commentarios rationum anteceſſori Turquetulo redditarū: eū, monachoſq; etiam pretiū precibus addentes, intempeſtiuè riſit. Ingulfus enim poſtridie fratrū munitus votis, Stanfordiā venit ad diē datam. *Aſfordus quoq;* inquit, *diuitiarum magnitudine glorians & confidens, dū Stanfordiā properaret equus ad lapidē offendens, Aſfordum conſidentē deiecit, & deiecti collum cōfregit, & animā gradientis contra dominum cum ſuperbia ad inferos trāſmiſit. Cū autē in craſtino portaretur ſecreto humādus: denſiſſima nocte ſolē obſcurante tantū pluuiæ diluuium effundebatur, vt Noëticū crederes cataclyſmū: & feretrum fractum eſt, vnde cadauer corruens in ſordido cœno diutiſſimè volutabatur. Quod videntes baiuli, defuncti iniuſtitiam confitebantur: quin & affines eiuſdē de repente ad Ingulfum venerunt oraturi veniam, & omnium ab Aſfordo raptorū reſtitutionē offerentes: & ſic illa ceſſauit plaga.* Hæc ex eiuſdē Ingulfi hiſtoria cū Henrico Hung. Rogeroq; Houed. & aliis excuſis Londini anno 1597. pag. 517.

IN CAP. XIIII.

ET vocatur locus ille fontes: vbi extunc, &c.] In v. c. reperi ſcriptū, *Et notatur locus ille, &c* Nec abſurda fortè ſcriptio: cum nomina ſinerum notæ: quas quidē & cortè meliores, *li*

cet paucas, Auctor appinxit Fontanẽsi cœnobio : ſtructo anno MCXXXII. Nicolaus verò Rieuallenſis ſupplebit ſuo carmine, quod extat in ms. noſtro.

Fontibus hæc ſcribo : verum reticere nequibo.
Fons Saluatoris digno præfertur honore:
Semper & aſsidue fons dulci ſpirat odore.
O fons hortorum, o porta patens miſerorum
Morbos complanas, ægros medicamine ſanas:
Fons viuus, fons irrigiuus, fons nectare plenus
Arte minus callent ſimul Hippocras & Galienus.
Tu fons inſignis, templum veri Salomonis,
Stilla manans rorem ſicut vellus Gedeonis.
Fons ſacer vt Siloæ: fons cæleſtis medicinæ,
Flores & violæ te circundant ſine fine.
Tu fons concluſus : errantiſemita: cæcis
Lumen: deiectis requies: pauſatio feſsis:
Fons expers limi leni cum murmure manat.
Magnus Heliſæus multos hoc flumine ſanat.

Porro Turſtinum Eboracenſem inſcripſiſſe Guillelmo Curboilo Cantuarienſi Archiepiſcopo lib. 1. de fundatione monaſterij Fontanenſis, auctorem habeo Ioan. Baleum in Cẽtur. ſcriptorum Britann.

A nobili viro Valterio Eſpec] Indiſcriminatim lego, Valterio & Gualterio, aut Galtero: quem à Nicolao Rieuallenſi demitor præteritum, forteq; quod eum anteuertiſſent Ealredus in lib. de virtute eiũs inſcripto, incipiẽteq; : *Anno Dominicæ Incarnationis* 1138. & Nicolaus ValKingto æquè Ciſtercienſis monachus ad Quirqueham cœnobium ab eodem Valterio conditum ad Septentrionem Angliæ.

IN CAP. XVI.

De fonte Ebraudi construxit, & Regularibus disciplinis] Ea de voce quia dixi ad cc. Epist. sancti Bernardi adiiciam tantùm has regulares disciplinas alioqui paulò seueriores, fuisse mitigatas auctoritate summi Pontificis sub annum M.CCCC.L. à Ioanne Cordisio Biturigum Archiepiscopo, Ludouico Pottio ad S. Lauromarum Blesensem Archimandrita, Ioanne Berteloto Turonensi Canonico delegatis ab Archiepiscopo Lugdunensi condelegato. Maria enim Britanna virgo tum piissima, simul & nobilissima Fontebraldensis Antistita curarat ope, consilioque virorum prudentium seligi ex regula sancti Benedicti, Robertique institutoris sanctionibus, capita, & diligentiùs seruari in vniuersis suæ familiæ parthenonibus; quæque videbantur subobscuriora, planiùs describi. Eorum verò quæ duriora censebantur, nempe silentium vbiq; locorum, nisi in capitulo, interdicens collocutionē, temperatum, vt liceat loqui post preces, vt vocant, primas: Dein, post signum ad laborem factum.

IN CAP. XVI.

De Gilleberto de Sempringham] Episcoporum Lincolnienſium tabulæ ms. hæc de eo: *Alexander religione & prudentia clarus, sub quo sanctus Gilbertus fundator de Sempringham claruit*

claruit, cuius Sancti obitus prid. Non. Febr. & translatio, 3. Id. Octob. Hic nouum ordinem instituit 1146. Paulò antè notatur eundem primò habitasse cum Roberto Bloeto Regis Anglici cancellario, Alexandriq; antecessore. Gilbertũ autem iurasse in verba Regulæ Augustinianæ auctorẽ habeo Ioan. Monburnũ cap. 90. l. 2. venatorum, (vbi & nos plura) qui rursus eius facit mẽtionem. Alphabeto 3. sui Roseti. Scropus & Capgrauus apud Baleum, Centur. 3. auctores sunt eum primum exædificasse monasterium longè celeberrimum in natali solo, & ante mortem diuersis in cœnobiis reliquisse 700. fratres, milleq; sorores: Quæ certè corroborant nostri Guillelmi dicta. Suis peculiares reliquit obseruantias vno comprehensas libro, Exhortationes quoque, & epist. totidem voluminibus. Polydor. Vergil. l. 7. de Inuentor. Rerũ c. 11. longè pauciora reliquit de eo quàm nosset, vel nosse valuisset, vt pote quæsturam Pontificiã gerens in Anglia. Sodales autẽ Gilbertini induebantur tunica linea pallioq; nigro. Quod Arnoldus Vuion retulerit eum in ἐγκωμίῳ Benedictiuũ, frustra, iniuriaq;. Ioannes enim Monburnus lõgè plus obtinet fidei & auctoritatis: quandoquidẽ ex variis & peculiaribus de eo narratis claret legisse eiusdem vitam: sed res clarior euadet ex epistol. Alexandro 3. scripta, quam profero ex ms. Sanctissimo patri summo Pontifici Alexandro suæ sanctitatis seruus Vuillelmus Noruicensis salutem, & cum summa deuotione obedientiam. Statuta paternitatis vestræ ex pietatis &

rationis fonte procedere, nulli dubium est: & ea sola spiritui nostro complacent, quæ spiritus sanctus suggerit, & veritatis dulcedine condiuntur. Inde est, quòd vestræ maiestati audeo scribere cum sim puluis & cinis, & testimonium perhibere veritati, quam visu & rerum argumentis expertus sum. Gilbertus de Sempringham, tum ex vicinitate, tum ex celebritate sanctitatis qua præeminet, mihi incognitus esse non potest. Anima eius sedes sapientiæ est, & mens eius hausit de spiritu sancto, quæ aliorum auribus excellenter infundit. In lucrandis & conseruandis Deo animabus tam studiosus & efficax est, vt ex comparatione eius, tædet me ignauiæ meæ, & mihi & consimilibus mei Propheta improperet dicens: Esai. 34. *Erubesce Sidon ait, mare.* In sanctimonialibus, quarum multitudinem innumeram Deo acquisiuit, feruet & religionis amor, & castitatis diligentissima custodia: & se ab hominum visu & colloquiis gloriantur esse exceptas, vt meritò eis conueniat quod scriptum est: dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter Lilia. De Canonicis, quorum innocentiæ audio apud clementiam vestram esse derogatum, testor Deum & animam meam, quod nec verbum infamiæ memini me audisse: cum ex propinquitate loci & frequentia venientium ad nos ignorare non possem. Accessus ad sanctimoniales sic eis penitus inhibitus est, vt nec Priori quidem eorum, videndi vel loquendi cum

aliqua, licentia pateat; & in perceptione Eucharistiæ & dans & accipiens inuicem ignorantur. Habent siquidem Domos suas, claustrum & oratorium in quo dormiunt, meditantur & orant. A conuersis suis tantùm exigit vt vitam, quam professi sunt inuiolabiliter conseruent. Quod & ipsi me præsente se deuotissimè facturos promiserunt. Quod illis prædecessorum nostrorum & vestra auctoritate firmatum est: & quod illi post longam experientiam profitentes deuouerunt, ipse mutare non præsumit nō leuitatis & præsumptionis arguatur. Lis tamen quam aduersus eum suscitauerunt, plus tepidi quàm feruentes charitate, vtinam dirimeretur talium iudicio & testimonio, qui haberent zelum Dei secundum scientiam: qui ex inspectione Apostolicorum priuilegiorum, & rerum ipsarum euidenti cognitione veritatem agnoscerent, & regularis obseruantiæ nec inexperti essent, nec ignari, & quos non tæderet susceptæ religionis: & manu missa ad aratrum non respicerent retro. Vir verò contectus senio & virtutum plenior quàm dierum non est deterrendus ne a proposito ad multorum ruinam deficiat: sed hortandus & demulcendus vt perseueret ad conseruandam.

Huc vsque epistola Vuillelmi Norvuicensis vt boni pastoris innocuas oues eripientis dentibus Theonum, & Zoilorum: qui lacerabant admirabilem innocentiã, singularemque in fœminis alioqui molliorib⁹ castitatẽ: quã & laudare & amare eos decuisset

salutem, quam Deus per eum operatus est in medio terræ nostræ. Rarescunt cotidie grana in area domini: sed paleæ multiplicantur. Deus sanctitatem vestram ecclesiæ suæ conseruet incolumem. Vale.

His igitur in literis cum reperiamus memoratos priorem seu præpositum & Canonicos: Arnoldus Vuion medeatur spongia, loco superiori, & Baleus, obscœnis narrationibus de Gilbertinis, aut confictis, aut infrugiferè dictis. Sic enim excucullatus vbique gestit, cum sua Dorothea, (quam inhonestè nuncupat honestam) traducere clericos & monachos: ratus fortè suam excucullationem alieno dedecore decorandam.

IN CAP. XVIII.

V*lgò Rohesia*] Sic v. c. Otto l. v. c. xxx. Rohais, Dodechinus in Append. ad Marianum Scotum Rogas. Guil. Tyrius l. xvj. c. 4. magis vsitata appellatione, inquit, Rages: Iacob. Vitriac. c. 31. histor. Orient. Roase: qua de voce, Andreas Hoius in eundem locum.

Antiquo nomine Edissa.] Consentiebat ms. liber impresso, continuator Sigib. ad annum M. C. X L V. Guil. Tyr. suprà. Abbas Vsperg. in Chron. veruntamen Arnaldus Pontacus suis ad Chron. Eusebij notis docet scribendum, Edessam (sicut ms. Aimoini continuator in nostra Bibliotheca) quam olim dictam Niniuē, posteaq; Mussulam Iacob. Vitriac. sup.

& Guill. Tyr. c. 5. lib. 16. notant simulque, quòd tum Christi dies natalis ageretur.

IN CAP. XIX.

VT fretus sequentium numero &c. formidabilis oberraret.] Antehac mendosè, *aberraret.* Si quis tamen spectet periculosos Eudonis errores, vtcumque primum tolerabit mendum. Sequacium verò numero haud temere comprehendemus eos, quibus Angelorum Apostolorúmque indidisse nomina, habeo auctorem Sigib. Continuat. ad annum 1148. Ricardus Hagulstadensis in Chron. de gestis Stephani ad annum 1147. nuncupat pseudo prophetam & hæreticum: *qui*, ait, *in concilio Remis damnatus & in turre Archiepiscopi reclusus, vt malè cœpit, ita deperiit: de cuius incantationibus & fantasiis melius est silere quam loqui.* Porro nobilem esse de Stella gentem in Armorica Britannia constat ex iis, qui hodieque supersunt. Præterea continuator Sigibert. ad annos M. C. LVII. M. C. LXIX. M. C. LXXIIII. meminit Eudonis Procomitis Porricidij vulgò *Porrehcit.* Quin auctor noster disertè scribit hunc Eudonem dementatum, non infimi fuisse generis.

IN CAP. XX.

CAstra à castratione dicuntur Luxuriæ] Petita est hæc notatio ex Origin. Isidor.

lib. 9. cap. 3. Cui suffragatur Alexander Neapol. lib. 1. Genialium dierum cap. 12. obseruans turpe nec inultum fuisse, siquondam mulieres sequerentur castra. Fla. Veget. libr. 1. de re militar. cap. 3. Romanos post vrbem conditam ex ciuitate profectos ad bellum semper: *sed tunc*, inquit, *nullis voluptatibus, nullis delicijs frangebantur*: Hæ verò deliciæ tum maximè frangunt, cum homines mulieribus capti remolleſcunt atque effœminantur. Placet autem Nicolao Peroto in Cornucopia, castra deduci à casa, Trebellio, in promptuario linguæ latinæ, & Il. Coteræo in lib. de iure militum, à Castri similitudine; quod fossa valloque, quasi muro circundari solent. Cœtera, quæ pertinent ad historiam, latè persequitur Otto. Frisi. lib. 1. de gestis Freder. a cap. 34. ad 46. & a capit. 58. ad 60. in quo docet ratiocinatione dialectica, licèt hæc expeditio nihil contulerit ad propagandos imperij Christiani terminos: multis tamen fuisse saluti; sanctumque Bernard. diuino afflatum spiritu pro Christianis ad eam principibus excitandis: sed superbia, lasciuiaque (quam noster Auctor, primam designat mali labem originemque monstrat cap. 31. infr.) Christiani exercitus, res in peius ruisse. Romanus insuper pontifex Eugenius salutauit solatusque est literis (quas ibidem reperies cap. 61.) & Legatis Conradum Imperatorem.

IN CAP. XXII.

Vrbs Carleil] Ranulfo Hygdeno, in Polychron. *Caerliell*, vrbs in finibus Anglorum Borealium versus Zephyrum Septentrionalem : quæ alio nomine Lugubalia dicitur : quam condidit septimus Rex Britonum Leyll. ms. tabulæ addunt eam Salomonis Hierosolymitanum templum ædificantis tempore conditam.

IN CAP. XXV.

Artis scriptoriæ sciolus & Antiquarij officium, &c. Non vsurpat Auctor antiquarij vocem eo significatu, quo Sueton. in Augusto. c. 86. & Iuuenal. Sat. 6. aut Isidor. Origin. lib. 6. cap. 14. pro iis qui tantùm vetera scribunt, quam etymologiam videtur recipere Marius Victor. ad S. Hierony. Epist. 6. Tom. 1. *Habeo alumnos, qui antiquariæ arti deseruiunt*, licèt nihil S. Hierony. faueat huic expositioni : quandoquidem ibi commemoret scriptores minùs antiquos, nempe S. Rhetitij Augustodunensis Episcopi expositionem ad Canticum Salomonis. S. Augustin. serm. 44. ad Euang. S. Ioan. posuit absolutè pro scribẽte noua & vetera : *Quemadmodum qui videt literas in codice optimè scripto, & non nouit legere : laudat quidem Antiquarij manum, admirans apicum pulcritudinem : sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit & est oculis laudator, mente non co-*

gnitor. Cassio.c.1. de diuinislectionib. *Quoniã antiquarij exinde potius probantur offendere, dũ elocutione latinæ linguæ nesciũt seruire dispositè: & in fine aduerbij nõ relinquas, & iterum casui genitiuo non subtrahas*: & cap.30. lib. de diuinis lectionibus: *fælix intensio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus, tacitum dare, & contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Tot enim vulnera Satanas accipit, quot antiquarius Domini verba describit*: In his, cum antiquarius absolutè significet scribam vel librarium, licet ab antiquitate deducatur, & olim tantùm esset qui scribebat antiquorum notis, quales extant Valerij Probi, Magnonis, Petri Diaconi: quia id genus scriptionis efflagitabat studium peculiare in exprimendis potissimè capitalibus literis, memoriterque tenendis carachterum multiplicium formis, quas oportebat bene pingere: factum est tandem vt id nominis traheretur ad cæteros amanuenses & scribas diligentes.

IN CAP. XXVII.

Vlfputes] v.c. *Vulpites* Radulphus Cisterciensis monachus ad Coggeshalensis Clausstri, *Vulpetes*, prętęrquam quod id referat ad Henrici 1. Regnum. At, quia fuit nostri Guillelmi synchronus, necdum, vt reor, emissus, inducam eum loquentem. *Aliud quoque mirum (viori (hominem sylueſtrem eodem repertum tempore intelligit) nondissimile in Sutfolke conti-*

git apud sanctam Mariam de Vulpetes. Inuentus est puer quidam cum sorore sua ab accolis. Loci illius iuxta oram foueæ, quæ ibidem continetur. qui formam omnium membrorum cæteris hominibus similem habebant: sed in colore cutis ab omnibus mortalibus nostræ habitabilis terræ discrepabant: nam tota superficies cutis eorum, viridi colore tingebatur. Loquelam eorum nullus intelligere potuit. Hi igitur ad domum Domini Richardi de Calne cuiusdam militis, præ admiratione apud Vuikes adducti inconsolabiliter flebant. Panis ac cætera cibaria eis apposita sunt: sed nullis escis, quæ eis apponebantur, vesci volebant: cum vtique maxima famis inedia diutius cruciarentur, sicut puella postmodum confessa est. Tandem cùm fabæ nouiter cum stipitibus abscissæ in domum asportarentur: cum maxima auiditate innuerunt, vt illis darentur sibi. Quæ coram eis allatæ, stipites aperuerunt, non fabarum folliculos, putantes in concauitate stipitum fabas contineri. Sed fabis in stipitibus non inuentis, iterum flere cœperunt. Quod vbi astantes animaduerterunt: folliculos aperiunt, fabas nudas ostendunt: ostensis cum magna hilaritate vescuntur, nulla alia cibaria ex multo tempore penitus contingentes. Puer verò semper quasi languore depressus infra breue tempus moritur. Puella verò sospitate continua perfruens, ac cibariis quibuslibet assueta, illum prasinum colorem penitus amisit: atque sanguineam habitudinem totius corporis paulatim recuperauit. Quæ postmodum sacri baptismatis lauacro regenerata, ac per multos annos in ministerio prædicti militis (sicut ab eodem milite, & ab eius familia frequenter audiuimus) commorata, nimiùm lasciua, & petulans extitit. Interrogata verò fre-

quenter de hominibus suæ regionis: asserebat quòd omnes habitatores, & omnia quæ in regione illa habebantur, viridi colore tingerentur: & quòd nullum solem cernebant, sed quadam claritate fruebantur, sicut post solis occasum contingit. Interrogata autem quomodo in hanc terram deuenissent cum puero prædicto, respondit: quod cum pecora sequerentur, deuenerunt in quandam cauernam. Quam ingressi, audierunt quendam delectabilem sonum campanarum: cuius soni dulcedine capti, per cauernam diutius errando incedebant, donec ad exitum illius deuenirent. Qui inde emergentes, nimia claritate solis, & insolita aeris temperie quasi attoniti & exanimes effecti diu super oram speluncæ iacuerunt. Cumque a supervenientium inquietudine terrerentur, diffugere voluerunt: sed introitum speluncæ minimè reperire potuerunt, donec ab eis comprehenderentur.

In Cap. XXIX.

Accepto à matris auunculo cingulo militari:] *Anno ætatis* 15. inquit Pactius Locensis in Chron. Andegauensium Comitum, *apud Carliul in festo Pentecostes. Ætatis anno* 18. *Ducatum adeptus est Normanniæ quem Pater suus viribus Andegauorum accinctus de manibus Stephani Regis Anglorum potenter extorsit.*

In Cap. XXXI.

Causante se Monacho, non Regi nupsisse.] Anonymus, illius tamen seculi scriptor (cuius historia incipit, *Antenor & alij profugi ab excidio Troiæ*) alteram reddit causam de Alienora diuersa a Ludouico: *quia perplurimum ei in illo itinere* (Hierosolymitano) *ingrata & iniuriosa extitit, quod ei probauit euentus. Nam post multos labores, & tribulationum sudores, licet ex illa duas filias se suscepisse gauderet: tamen regni sui anno 21. assensu & auctoritate Eugenij Papæ repudiatam dimisit.* Appendix Aymoini, propter intercedentem consanguinitatem a consanguineis regis iuratam Balgenciaci ad Ligerim, audientibus Pontificibus Senonensi, Burdegalensi, & Rotomagensi, comprouincialibusque aliquot. Sed hic scriptor antè tradit Alienorā post reditū, peperisse filiam Adelam vel Alisam. Ioannes Frasquetius vertit zelotypiæ Ludouici causam diuortii: Monachus Cogeshalensis, alius à Radulfo producto ad cap. 27. Sugerius in vita (qui & subdit id verum fuisse) & Gesta, ipsius Ludouici & Pictius Locensis soli affinitati: subiungens quod Henricus Anglus hoc inito matrimonio varios antecessorum titulos breuiauit ista formula: *Henricus Rex Anglorum, Dux Normannorum & Aquitanorum, & Comes Andegauensium.*

In Lib. II.

In Cap. II.

Regia Dominia] v.c. *Dominica*: In consuetudinibus Normanniæ tit. *de rebus Gaiuis*: *De rebus autem Gaiuis & Catallis eorum, qui se se sunt homicidæ, notandum est quòd Dux eas habere debet per Dominicum suum.* Guillelmus Tyr. l. 12. c. 8. *Dominus autem Rex* (videlicet Hierosolymæ) *cum suis proceribus: Dominus quoque Patriarcha cũ Prælatis Ecclesiarũ, de propriis dominicalibus certa eis pro victu & amictu beneficia contulerunt.* Capitular. l. 4. c. 34. præfert in superscriptione: *De proprio Dominico sine iussione*, reddito c. 30. antecedens: *de respectu literarũ Dominicarũ*, des lettres Seigneuriales. sic superiùs Regia Dominica, Seigneuries ou Domaines Royaux, &c.

Comitem Albemarlensem:] Sic infra cap. XXVIII. dictum ab Albemarla, hodie à politioribus, indigenisque doctis, *Albamala*, capite toparchiæ Albamaleæ conditæ in agro Caletensi, rigatæque Braila fluuio, Oceanum influente ad vicum Tresportum. Cùm verò Caletenses pernegent se Normannos, & Albamalæi: vt pote regionem incolentes eandem. Vtrique tamen respiciunt authoritatem Rotomagensis Archiepiscopi. Patrum tãdem memoria, scilicet anno 1548. Comitatus Albamalæus, Ianuario mense nominatus fuit Ducatus: penésque Franciscum Lotharingum Principis Guysiani primogenitum, primi Ducis titulus.

In Cap. V.

Regionem Vualliarum.] Non abſre dixit Vualliarum, Antiquitus enim tota Vuallia diuiſa erat in tres partes, Venedotiam (quę nunc Nordvallia, id eſt Borealis Vuallia) Demetiam vel Suduallian id eſt Auſtralem Vualliam, & Povviſiam, inquit Silueſter Giraldus & ipſe Vuallenſis c. 2. deſcriptionis Cambriæ quam quidem eſſe genuinum nomen loci: Vualliam, adulterinum monet C. antecedēti. Nam & integro eam deſcripſit volumine, ſub priori appellatione: in quo fuerit eadem, quę hîc legere. Ranulphus Hygdenus in Polychron. comprehendit hac oratione rythmica: & ab Auctore noſtro & à Giraldo literis conſignata;

Hæc terra, quæ nunc Vuallia,
Quondam eſt dicta Cambria,
A Cambro Bruti filio,
Qui rexit hanc Dominio.
Sed poſt hæc dicta Vuallia
A Vualoes Reginula
Regis Ebranci filia
Ad hæc nupta conſinia.
Seu a Gvvalone procere,
Rupto ſoni charactere
Reperies ad literam
Denominatam Vualliam.
Cuius circumferentia
Quamuis ſit minor Anglia:

Pars tamen glebæ gloria,
In matre & in filia.
Terra fœcunda fructibus
Et carnibus & piscibus,
Domesticis, sylvestribus,
Bobus, equis & Ovibus.
Apta cunctis, seminibus
Culmis, spicis, graminibus,
Aruis, pratis, nemoribus.
Herbis gaudet & floribus,
Fluminibus & fontibus
Conuallibus & montibus.
Conualles pastum proferunt,
Montes metalla conferunt:
Carbo sub terræ cortice,
Crescit viror in vertice.
Epularum materia,
Mel, lac & lacticinia,
Mulsum, modò Ceruisia.
Abundant in hac patria:
Et quicquid vitæ congruit,
Vbertim terra tribuit:
Sed vt de tantis dotibus,
Multa claudam sub breuibus:
Stat hæc in orbis angulo
Ac si Deus a seculo
Hanc daret promptuarium
Cunctorum salutarium.

Incolarum verò mores eodem persequitur metro.

Conuictus huius patriæ
Differt a ritu Anglia
In vestibus, in victibus,

In cæteris quamplurimus.
His veſtium inſignia
Sunt clauus & camiſia,
Et criſpa femoralia;
Sub ventis & pluuia
Plura non ferunt tegmina,
Quamuis brumeſcat Borea.
Sub iſtis apparatibus
Spretis linteaminibus.
Stant, ſedent, cubant, dormiunt,
Pergunt, pugnant, proſiliunt:
Haſtis, ſagittis breuibus
Concertant in conflictibus:
Validiores pedites
Ad pugnam ſunt quàm equites.
His ſiluæ ſunt pro turribus:
Paludes, pro aggeribus.
Fugam non pugnam capiunt
Cum opportunum ſentiunt.
Hos dicit Gildas fragiles,
Et nec in pace ſtabiles.
Cuius ſi cauſſa quæritur,
Mirum nequaquam cernitur,
Si gens expulſa ſatagat,
Et expulſores abigat.
Sed fruſtra his temporibus
Succiſis iam nemoribus,
Cum ſint circa maritima
Firmata caſtra plurima.

Sed hæc ſatis ſuperque, cùm vt confirmem Guillelmi noſtri dicta, cũ ludicro verſu lectorem exhilarem. Inſuper quòd Auctor nõdum exierit in vulgus; nonnihilque conduxerit ad cap. 18. huiuſce libri.

In Cap. VI.

Qui relicto, cum seculo, filio impubere, apud S. Albanũ factus est monachus.] Arnoldus Vuion l. 2. ligni vitæ pag. 155. asserit Auctorem nostrum refragari Onufrio Panuinio scribenti in vtroque Chronico suo, epitoméque in 4. Hadrianum fuisse Canonicum Regularem, vtpote qui aliquandiu monasticam duxerit vitam cum patre suo Roberto in Monasterio S. Albani, Regulę S. Benedicti, quod multis probat, licèt Controuersię historicæ cardo non versetur in hoc, sed tantùm, num Hadrianus fuerit Benedictinus Monachus aliquamdiu. Quod tamen ex superiori loco ne Aristoteles quidem efficeret. Guillelmi enim verba idem sonant ac si quis dicat: Qui relictis cum seculo libris aut diuitiis factus est monachus. Iam quis sui compos dicat diuitias, aut libros factos monachos cum possessore? Pergit Arnoldus dolens retractationem Panuinij quõdam scribentis Hadrianum fuisse monachum ordinis S. Benedicti, nec asserentis, id cœnobij, Benedictinæ familiæ. Quę quàm vero repugnent, constat ex Auctore nostro Anglo contemporanéoque Hadriani; nec non ex Arnulfo Lexouiensi (cuius ad eundem Hadrianum extant epistolę) rescribenti Alexandro 3. pag. 42. & 43. pro Canonicis Sagiensibus, iisque tum Regularibus, vexatis ab Episcopo tentante contra sanctiones Romanorũ Pontifi-

Pontificum, Anglorumque Regum, conferre Archidiaconatus secularibus Clericis, obiectantique non esse in Ecclesia sua, qui hæc munia cautè exequi potis essent: quibus mox Arnulfus: *Sed hunt ipsum* pietatis specie palliabit effectum, *dicturus Ecclesiam illam idoneas non habere personas, quæ talibus sufficere probentur: tanquam si sanctæ simplicitati prævalere debeat secularis astutia: aut de Ecclesia S. Victoris, aut S. Rufi, vel aliis similibus personæ non possint auctoritate vestra ad hæc officia dispensanda transferri.*

Ecclesiam verò Sagiensem tum vixisse ad Regulam S. Augustini legat dubitabundus, illius ipsius epistolæ initium. Berengarius Pictauensis eodem florens tempore scribebat Episcopo Mimatensi: *Magalonenses Religiosi sunt; & Canonici B. Rufi, religiosi.* Guigo Cartusiæ præpositus in vita S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi ad Innocentium II. de S. Brunone loquens inquit: *Habebat autem socios magistrum Landuinum, qui post eum Cartusiæ Prior extitit, Dnos Stephanum Burgensem & Diensem. Hi S. Ruffi canonici fuerant. Sed desiderio vitæ solitariæ, eis, Abbate fauente, se se coniunxerant.* Vrbanus II. in Epist. Adalberto S. Ruffi inscripta relataque à Ioanne Monburno l. 1. Venatorij ordinis Canonici cap. 9. *Vestrum ergo propositum nostri auctoritate officii confirmamus, & firmo vos in eo persistere animo adhortamur, & tanquam Deo per nos exortante obsecramus. Quamobrem & omnibus vitam Canonicam, secundum huius ordinis tenorem profitentibus, nos licet indigni Apostolorum vicarij, eo-*

rum ac noſtram benedictionem, peccatorumque abſolutionem poteſtate a Domino indulta concedimus. Mitto eiuſdem Vrbani II. reſcriptum à Gratiano monacho relatum, perperamque inſcriptum Abbati S. Ruffini, pro Ruffi, (vt editio. Rom. monet) aliàs ſcriptum S. Ruffi, & Chrõ. Dionyſianum ab Anonymo ſub annũ 1230. conditum, vbi hæc de Hadriano: *Defuncto Anaſtaſio Papa R. E. Hadrianus IIII. præſidet. Hic natione Anglus & Nicolaus vocatus, cum in Auenione ſtuduiſſet, & Religioſus in monaſterio S. Ruffi extra Ciuitatem Abbas effectus eſt. Eugenius Papa audita fama ipſius, eum Albanenſem Epiſcopum inſtituit. Ab ipſo quoque legatus miſſus in regnum Noruegiæ vltra Danamarchiã cum reſediſſet, poſt Anaſtaſium Papam electus eſt. Nec diu poſt ad euitandam malitiam intolerabilem ciuium Auenionenſium & moleſtiam, Abbatiam prope Valentiam propriis ſumptibus exſtruxit.* Huc vſque Chron. ms. ex quo palam eſt Guillelmum noſtrum hanc ignoraſſe mutationem, vtpote factam annis quinquaginta ferme, antequam lucubraſſet hiſtoriam. Id ego ſine Chron. & auctoribus accepi à Vicario R. P. Abbatis ſancti Ruffi: qui non ſemel me conuiſit. Arnoldus Vuion legit Coſmographiam Belforeſti: S. Ruffi cœnobium ad Valentiæ muros extructum quondam magnificè & nunc à Caluinianis deſtructum videre licuit; ſed non libuit. Nec moueor productione Scriptorum Neotericorum à ſe relatorum: qui ab vno ceu a chorago præcantata recinunt. Fruſtra

dictitat Onufrium lapsum. Docti etenim extra omnem ponunt aleam. Ioannes Baleus Anglus pagin. c. LXXVII. Catalogi scriptorum Britanniæ, & pagin. c. LCVII. ante Onufrium eadem omnino literis consignarat, ne fileam Lethbertum Abbatem sancti Ruffi relatum Centur. 13. eiusdem Catalogi & Guillel. Tyr. lib. 18. cap. 2. Nomenclatura Episcopatuum & beneficiorum Franciæ recenset eandem Canonicam sub familia sancti Augustini. Tandem Guillelmi nostri periodus prodit etiam cæcis spontaneam Arnoldi Vuion nictationem. *Qui relicto cum sæculo filio impubere, apud sanctum Albanum factus est monachus. Ille verò adolescentiam ingressus, cum propter inopiam scholis vacare non posset, idem monasterium frequentabat. Vnde pater erubuit, verbisque mordacibus socordiam eius increpitans, omni solatio destitutum cum graui indignatione abegit.* Verùm ecquid vel faculam accendimus in meridie?

Ad gentes Dacorum & Norrensium] Romani scriptores constanter vocitant Dacos, Sueton. in Iulio cap. 44. in Octauio cap. 21. in Tiberio capit. 41. in Domitiano, cap. 6. Eutrop. lib. 7. Cassiodor. in Chron. Iordan. in libro de rebus Geticis vsurpat deriuatiuum, Daciam, quam & quondam fuisse Gothiam monet post Oros. libr. 1. Histor. Guillelm. Gemme lib. 1 de Ducibus Norm. cap. 4. Dudo Rerum Aquitanicarum scriptor, volunt dici Danos à Danais: Saxo Grām.

l. 1. histor. Danicæ, à Dan. primo Danorum Rege. In quam sententiam pedibus eo lubẽs, quia pronunciatam à scriptore Dano diligentissimo iuxta ac disertissimo, qui l. XIIII. memorat legationem Hadriani, & appellati nomine Nicolai. Pontificatus enim nec dum primigenium demutarat nomen. cæterùm pro *Norrentium*, reponatur Norvegiensium, aut Norvagiensium vt passim Saxo, à Norvagia regione Septẽtrionali versùs Oceanum Germanicum, quam Albertus Crantz. singulari descripsit volumine. Leonius noster Daniam simul & Norvegiam complectitur circumlocutione gelidi axis, scribens Hadriano.

Nam modò cum gelido legatus ab axe redires,
Nec puto, quòd Papam fieri te tam citò scires,
Es mihi pollicitus te stare per omnia mecum
Quantũ iura darent, quantũ permitteret æquũ &c.

In Cap. VIII.

Nec notum est à quibus personis.] Notum fuit Vincent. Bellou. l. XXX. c. XII Iacobo Genuensi c. XIIII. suę legendæ, quam dicunt historiam Langobardicam, Petro Equilino l. II. Catalogi Sanctorum c. XI VIII. Ioanni Frasquetio in chron. scribentibus ea primò ab Helena Constantini Imperatoris matre, Constantinopolim, ab Eustorgio episco. Mediolanũ, tandẽque à Rainaldo Archiepiscopo ad

suã Coloniam vbiorum translata. Mirandũ sanè Radeuicum in duobus suis libris, & Abbatem Vspergẽsem, id missum feciſſe. Erhardus Vvinheim ſingularia tradit in ſuo libro, cui fecit titulum, *Sacrarium Agrippinæ Coloniæ*, referens ex authentico diplomate, Ioannem Aprilium cum duobus alijs appenſum furcæ, mox imploraſſe SS. Magorum patrocinium, & poſt triduum ſuperſtitem repertum; indeque depoſitum veniſſe Coloniam cum laqueo, & ſeminudum ad referendas ſuis liberatoribus gratias.

IN CAP. IX.

P*Ræcepit Papiam conuenire*] antea, *communire*: ſed perperam. Id verò profusè, vtinam verè, deſcribit Radeuicus l. 4. c. 68. ad 77. Nã vniuerſi, qui conuenerant, conſenſerantque: vel erant clientelę aut tutelæ Imperatoris ſubiecti, aut timore commoti: quales dixeris Italorum & Romanorum pleroſque, nec non *Epiſcoporum plures in id regia poteſtate compellente*, ait, Otto l. 7. c. vlt. Adde quod conſtet nonnullos, quòd ſubſcripſerint, mẽdaciſſimè numeratos, nominatimque Henricum II. Anglorum Regem, de quo Papienſis aut magè Papyracei conciliabuli Pontifices & proceres apud Radeu. l. 4. c. 74. ſub finem. *Henricus Rex Anglorum per literas & legatos ſuos conſenſit.* Id, inquã, mendaciſſimũ, aſſeret Arnulfus Lexouienſis epiſtola Alexandro III. ſcripta de ſua

consecratione: *Ex quo promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit: festinaui ad nostri principis notitiam id perferre: vt vacantem animum eius fauore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem, ne nos qualibet occasione, malignitatis astutia præueniret. Hæsit ille aliquandiu: sed statim operante Spiritus sancti gratia confirmatus nullum se alium quàm vos susceperum hilari constantia, constantique simul hilaritate promisit. In quo cum proximè de differenda vestra susceptione, Imperatoris literas accepisset: cui discurrentibus inuicem literis & legatis, plurima videtur charitate coniunctus, ne preces eius spreuisse, & in præiudicium eius festinasse videretur: generale quidem suppressit edictum, sed nequaquam manus aut linguam a literarum nominisque vestri veneratione continuit, neque quenquam nostrum voluit continere. Firma est apud eum, & indubitata vestri Apostolatus, auctoritas: atque in quamcumque partem cor prædicti Principis inclinatum fuerit, ille proculdubio non sequetur errantem.* His certe vel cæco patet impostura Synodi Papiensis, clariusque patebit legentibus appendices Aimoini & Sigiberti ad annũ MCLX. MCLXI. illudque Galteri ad Ecclesiæ Arroasiensis Canonici S. Augustini, in historia S. Monicę eôdem translatæ: *Venerabilis Fulbertus Abbas ecclesiæ S. Nicolai de Arroasia pro negotiis Ecclesiæ suæ misit me ad curiam Alexandri Papæ tertij, primo Apostolicatus sui anno. Qui defuncto Papa Hadriano cum esset Apostolicæ sedis Cancellarius, Rolandus nomine à quibusdam Cardinalibus in summum pontificem fuit electus, & à Gallicana ecclesia susceptus & approba-*

tus. Cuius electioni & dignitati Fredericus Imperator, quia prius exosum habuerat, tam crudeliter obsistebat; vt cum suis fautoribus Octauianum Antipapam è diuerso statueret: & omnes qui ad Alexandrum pergerent, vbicumque imperio suo reperirentur capi, teneri, rebus omnibus expoliari, & supplicijs exquisitis affligi præciperet. Hactenus ille ms. memorans fontem odij Imperatorij à Dodechino monstrati: *Anno* MCLVI. *Fridericus Imperator Agnetem Principis Burgundiæ filiam duxit repudiata legitima vxore apud Constantiam: Vnde in Ecclesia grauissimum exortum est schisma.* Et ad annum MCLIX. *Hadrianus Papa Imperatorem pro coniugij dissidio excõmunicare dispoſuerat, ſed mense Octobri, morte præuentus est. Pro quo duo constituti sunt, ideſt, Rolandus* (qui malè in editione recognita à Ioanne Pistorio nominatur Orlãdus.) *Hadriani ſententiam approbans: & Octauianus cognominatus Victor Imperatori plurimùm fauens.* Huc vsque Dodechinus scriptor illius ætui in appendice ad Marianum Scotum Approbationem sententiæ ab Hadriano latæ & ab Alexandro receptæ videtur Auctor appellare priuatam simultatem. Abbas enim Vspergensis & Radeuicus silẽt hanc primariam dissidij scatebram.

In Cap. XI.

Vrbibus Bederensi scilicet & Carcasonensi.] In scriptura vocabuli *Bederensi* consentiebat v. c. impresſo. Plin. tamen l. iii. c. iiii. & Põpon. Mela Liiii. c. v. aliter sẽtiũt, scribũtque

Blyteræ Septumanorum: nonnulli, & quidem accommodatiùs Gallicæ pronunciationi Beziers, *Biterra*, vel *Biterræ* vrbs cum Episcopatu sub Archiepiscopo Narbonensi, simulque Carcasso. Rigordus l. 1. de Gestis Philippi Aug. vocat Biterim ciuitatem opulétissimam.

IN CAP. XIII.

Quos vulgò publicanos vocant.] Monachus Altissiod. illius seculi scriptor in Chronolog. & Concil. Lateranen. sub Alexandro III. vocant Publicanos, Catharos, Paterinos, populicanos, eorum hæresim execrandam, suoque tempore furtim plerisque illapsam locis, adeo vt etiam Niuernensis ecclesiæ illaqueasset Decanum, Abbatemque S. Martini: Idem non semel eosdem appellat Bulgares: Append. Sigib. Agennenses, ad annum, MCLXXVIII. Eosdem reor esse, contra quos velut bestias se pugnare scribit Stephanus Tornacensis Episcopus ad Berterum Cameracensem Decanum, appellatque nouam hæresim. Hosce verò hæreticos priscis similes sicut aquam aquæ, hoc est, impostores, magos, maleficos testabitur narratio Radulfi cogeshalensis monachi Angli quamuis longiuscula ex ms. transcripta. *Temporibus Ludouici Regis Franciæ, qui genuit Regem Philippum, cum error quorundam hæreticorum, qui vulgò appellantur Publicani, per plures Galliæ prouincias proserperet: prodigiosum quiddam in vrbe Rhemensium contigit, de quadam senili muliere hac peste infecta. Cum enim Dominus Guillelmus eiusdem vrbis Archiepiscopus*

& auunculis Regis Philippi, cum clericis suis spatiandi gratia obequitaret, quidam ex clericis eius scilicet magister Tilleberiensis videns quãdam puellã in vinea solam deambulantẽ, lubricæ iuuẽtutis curiositate ductus diuertit ad eam, sicut ab ore eius audiuimus postea cum Canonicus esset. Quam salutans, & vnde, & cuius esset filia, & quidnam ibi sola ageret, diligenter inquirens, cum eius pulcritudinem diutius attendisset, hanc tandem de amore lasciuo curialiter affatur. Cui illa simplici gestu, & quadam verborũ grauitate respondet, vix iuuenem respicere volens: Numquam velit Deus, ô bone adolescens, vt tua amica siue alicuius hominis existam: quia si virginitatem amisissem, & caro mea semel corrupta esset: æternæ damnationi proculdubio absque omni remedio subiacerem. Quod audiens magister Geruasius intellexit protinus hanc esse de illa impurissima secta Publicanorum, qui illo in tempore vbique exquirebantur, & perimebantur, sed maximè à Philippo Comite Flandrensium, qui iusta crudelitate eos immisericorditer puniebat. Nonnulli verò eorum in Angliam aduenerant, qui apud Oxenefordiam deprehensi, iubente Rege Henrico II. claue candenti in frontibus deformiter sunt signati, & effugati. Dum itaque prædictus clericus cum puella de tali responso confutando altercaretur: superuenit Archiepiscopus cum suis, qui controuersiæ subortæ causam agnoscens iussit puellam comprehendi, & secum in vrbem adduci. Quam coram Clericis suis alloquens, & plures auctoritates, & rationum argumenta pro confutando errore proponens, respondit illa se nequaquam adhuc fuisse instructam, vt tantas obiectiones posset refellere: sed habere se quandam magistram in vrbe con-

fessa est, quæ omnium obiectiones facillimè suis rationibus refelleret. Cuius nomen & habitationis locum cum indicasset: confestim à ministris quæsita, & inuenta coram Archiepiscopo sistitur. Quæ multis quæstionibus & auctoritatibus diuinarum scripturarum ab ipso Archiepiscopo, & à Clericis vndique pulsata, quæ tantum errorem conuincerent: ita omnes auctoritates prolatas, quadam sinistra interpretatione peruertebat, vt satis patenter cunctis innotuerit, Spiritum totius erroris per os eius fuisse locutũ. Ad omnes siquidem auctoritates & historias tam veteris quàm noui testamenti, quæ ei obiiciebantur, tam facilè, tam memoriter respõdebat, tanquam omnium scripturarum notitiam esset adepta, & in huiuscemodi responsionibus semper exercitata, veris falsa commiscens, & veram fidei nostræ explanationem quodam pernicioso intellectu deludens. Cum autem vtrarumque mentes obstinatæ, nec minis, nec blanditiis aut vllis allegationibus; vel scripturarum auctoritatibus ab errore suarum propositionum reuocari possent, recluſæ sunt in ergastulo carceris vsque in crastinum. Quæ coram Archiepiscopo, & omni clero ac in præsentia nobilium virorum, in aula Archiepiscopali reuocatæ, pluribus iterum allegationibus, de abrenunciando errore publicè conueniuntur. Quæ cum salutaribus monitis nulla ratione acquieuissent, sed in errore iam semel concepto immobiliter perstitissent, communi consilio decretum est, vt flammis concremarentur. Et iam igne in ciuitate accenso, cum ad pœnam adiudicatam, à ministris trahi deberent: ait illa malefici erroris magistra. O insensati, & iudices iniusti! putatisné quod me ignibus vestris concrema-

bitis? Iudicium vestrum non formido, & ignem præparatum non perhorresco: & hæc dicens, concitè glomum fili extraxit, & extra quandam magnam fenestram proiecit, capite fili in manibus retento, cunctisque audientibus voce sonora dixit: Recipe. Ad quod verbum mox a terris eleuata, glomum agili volatu cuncta aspicientibus extra fenestram subsecuta est, malignorum spirituum ministerio, vt credimus subuecta: qui quondam Simonem magum in aera sustulerunt. Quò autem illa malefica deuenerit, vel ad quem locum transportata fuerit, ab aspicientibus omnino sciri non potuit. Puella verò nõdum ad tantã secta illius vesaniam prouecta, cum remansisset: & nec rationum persuasione nec diuitiarum spõsione ab incepta obstinatione reuocari potuisset: igne consumpta est non sine admiratione multorum: cum nulla suspiria, nullos fletus, nullum planctum emitteret: sed omne flagrantis incendii tormentum cõstanter & alacriter perferret instar martyrum Christi, sed dispari caussa, qui olim pro Christiana religione à paganis trucidabantur. Homines hi huiusmodi impurissimæ secta mori magis eligũt quàm ab errore cõuerti. Sed nihil simile habent Martyrũ Christi constantia, & istorum pertinacia: quia mortis contemptum, in illis, pietas: in istis, cordis duritia operatur. Asserunt isti paruulos non baptisandos, donec ad intelligibilem perueniant ætatem. Astruunt non orandum pro mortuis, nec Sanctorum suffragia expetenda: nuptias damnant, virginitatem prædicant in operimentum suæ turpitudinis: Lac, & quicquid ex eo conficitur, abhorrent, & omnem cibum, qui ex coitu procreatur. Non credunt

ignem purgatoriũ reſtare poſt mortem: ſed ſtatim animam corpore ſolutam, ad requiem tranſire, vel ad damnationem. Nullas ſacras ſcripturas recipiunt niſi Euangelia & Epiſtolas Canonicas. Ruſticani homines ſunt: & ideò, nec rationibus conuincuntur, nec auctoritatibus corriguntur, nec perſuaſionibus flectuntur: mori magis eligunt, quàm ab impiiſsima ſecta conuerti. Aiunt & alij (qui de eorum ſecretis inueſtigauerunt) quod iſti non credunt Deum res humanas curare: nec aliquam diſpoſitionem vel potentiam in terrenis creaturis exercere: ſed Apoſtatam Angelum, quem & Luſabel nominant, vniuerſæ creaturæ corporali præſidere, & ad nutum eius cuncta terrena diſponi. Corpus, à diabolo dicunt formari, Animam verò a Deo creari & corporibus infundi. Vnde fit vt ſemper quædam pertinax pugna inter corpus & animam geratur. Dicunt etiam nonnulli quòd in ſubterraneis ſuis quædam nefanda ſacrificia Lucifero ſuo, temporibus agant conſtitutis, & quaſdam ſacrilegas turpitudines operantur. Viden Lector Catholice, quàm variis fœtidiſque errorum lacunis humanus mergatur animus, ſemel emerſus limpido Catholicæ veritatis fonte? Nec tibi ſurrepat dubietas ex hæreſibus variè dinumeratis, & ab hoc & Autore noſtro. Petrus enim ad Vallem Sernaiam monachus & oculatus eorum, quæ ſcripſit de Albigenſibus, teſtis c. 1. hiſtoriæ Albigenſium diuidit in tres Claſſes, huiuſcemodi nebulones, ita vt ſecunda, reiiciat ſacramenta nominatim ab auctore deſignata: tertia, iuramentũ deteſtetur, abhorreatque: licèt Gocelinus Lodouenſis Epiſcopus Narbonenſis prouinciæ, apud

Roger. Houed. Annal. posteriori parte vrgeat multis scripturæ sacræ testimoniis Oliuerium Hęresiarcham iureiurando firmare formulam suæ religionis recitatam audientibus Girardo Albiensi, Gocelino Tolosano, Vvillelmo Agatensi, Petro Narbonensi, A. Nemausensi Pontificibus, Constantiaque sorore Ludouici Francorum Regis & aliis compluribus viris insignibus, anno 1177. Petrus Blesen. Archiepiscopum Eboracensem, vt ab huiusmodi vulpibus caueat suæ vineæ, præmonet Epistol. 114.

IN CAP. XIIII.

De Concilio Turone celebrato] Cæsar ad finé l. 2. Comment. videtur appellare Turones: *Ipse in Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinquæ his locis erant, vbi bellum gesserat.* Lib. tamen 7. apertè posuit pro ipsa gente. Ptolem. Cæsarodunum, Turonum. Seuer. Sulpit. l. 3. Dialog. Turonos, & Gregor. Turon. l. 1. histor. Fran. c. 46. l. 11. c. 1. 37. 38. 39. l. 3. c. 17. & alibi: l. 11. Capitular. 25. Turonem: Bernardus Syluestris in megacosmo ms. ad Herricum, Martinopolin.

Emicuit Ligeris, vbi Martinopolis inter
Sydereos fluuios Pictaque rura sedet.

Ad id verò concilij fuerat euocatus Ernisius noster Cœnobiarcha, sed Rogerus ex canonico nostro Abbas ad S. Euurtij Aurelianensis dissuasit: *quia*, inquit, *in literis ea de*

causa missis, recens ordinis nostri institutio id refugit: & priuilegiorum nostrorum auctoritas contra huiusmodi inquietudines liberos reddere & præmunire debet. Sanum mihi videtur consilium, vt secretiùs fratres, quorum spiritus a Deo exit, super hoc conueniatis. Deinde vniuerso capitulo, si vt prudentiæ vestræ placuerit, palam faciatis: vt tandem consilium, quod nobis & vobis imposterum prodesse possit inuenire possitis. Si enim istud concilium adieritis, quod quidem absque magno itineris grauamine tanquã iuxta positũ adiri non potest: compellent vos & nos de cætero, quasi debita exactione, si eis placuerit, concilia frequentare, siue longè posita, siue propè. Tandẽ huius concilij fit mẽtio in lib. 1. Galteri nostri aduersus hæreses sui tẽporis; in Eulogio Ioannis Cornubiensis ms. ad Alexandrum III. ipsemet Alexand. cap. 2. sui Regist. parte 41. Vincent. Bellouac. lib. 30. c. 12. Appendix Sigib. anno MCLXIIII. & Ioannes Frasquet. in Chron. simul adnotantes cum Auctore nostro octauum diem Pentecostes tempus habiti concilij in basilica S. Mauricij XII. Cal. Iun. vt Mathæus Paris signauit. Alexandro iubente Arnulfus fecit sermonem suis epistolis insertum.

In Cap. XV.

Rosepultura quoque vel Chrismatis, &c.] Huc refer Burcar. lib. 3. cap. 159. Iuon. part. 3. c. 222. Gratian. 13. quæst. 2. *præcipiendum est.* Photium in Nomo. tit. 2. reddentem hancce

cauſam : *Eſt autem ſacrum ineſtimabile.* Balſamō verò ad eundem tit. ſibi obiicit. *Si quis autem dicat : & quomodo venduntur monaſteria & ſacraria : audias quod nihil huiuſmodi venditur nec emitur : ſed ius quod in eis habetur, & venditur.* Porro nec id Alexandri decretum abrogatat iniqua Monpeſſulanorum Clericorum pacta: quibus oportebat priùs ſoluere pretium, antequam effoderetur terra ſepeliēdi cadaueris, vt conſtat Innocent. III. reſcripto, *Abolendæ conſuetudinis, &c.* de parrochiis lib. 3. ſub finem Epiſcopo præcipientis, *inhibeas clericis nequicquam omnino præſumant exigere hac de cauſa:* Quem in locum, gloſſa ſic : *Licèt Clerici exigere non poſsint : laici tamen compelli poſſunt pias & laudabiles conſuetudines obſeruare, ſi quæ ſuper hoc fnerint : multa enim inhoneſtè petuntur, quæ honeſtè recipi poſſunt.* Hanc autem obligationē ponere laicos in lethali culpa. *Silueſter probat in Summa, argumento cap. ad Apoſtolicam conſtitutus in Clero vel hoc vel aliud vſuræ genus exercère præſumat.* His iunge cap. 14. quæſt. 4. Clerici conſequentes canones. diſt. 33. *Maritum.* & 46. *Seditionarios : non licet.* Ibidem, totamque diſtinctionem 47. ſuccedentem, & Photium varia citantem tit 9. cap. 27. appoſita hac elucidatione : *Prohibitio autem ne Clerici vſuras accipiant, mihi videtur omnino loqui de iis quæ ex mutuo ſeu ex pacto dantur ; non de ijs quæ tacitè ex mora debentur in bonæ fidei actionibus. Certè etiam c. 2. Tituli nouellarum conſtitutio dicitin pijs legatis ex mora peti vſuras & fructus.* Balſamon ob interpretationem appoſitam gratias agit Photio.

Episcopiverò, Abbates, &c.] Reposuimus hanc clausulam ex v.c. in Plantiniana desideratam editione l. 3. Decretal. c. 3. *non magnopere antiqui, &c.* vbi glossa expendens hæc sanctionis verba (*nisi fortè ex misericordia sedis Apostolicæ*) concludit Abbatem vel Episcopum non posse id remittere criminis, sed tantùm legislatorem: subdit tamé id ad aliorum terrorem cautelamque promulgatum. Cui lubentiùs adiiciam calculum quàm Aluaro Pelagio l. 2. de Planctu Ecclesiæ, art. 69. planè volenti eum sacris interdictum.

IN CAP. XXVII.

Dromonem] speciem nauis velocissimę iuxta notationem siue, quis deducata δρέμω, vel a δρόμος paruus cancer, ideo sic nominatus quòd sagittæ in modum decurrat per aquæ summum: cuius meminit Plin. l. 32. histor. c. 11. Qui verò vsurparit pro naui, præter Auctorem nostrum, vnicus occurrit Cassiodor. lib. 5. variarum Epistol. 16. *Cum nostrum igitur animum frequens cura pulsaret naues Italiam non habere, vbi tanta lignorum copia suffragatur, & aliis quoque prouincus expetita transmittat, Deo nobis inspirante decreuimus, mille interim Dromones fabricandos assumere: qui & frumenta publica possint conuehere, & aduersis nauibus, si necesse fuerit, obuiare.* Rursusque epist. XVII. *Dudum igitur magnitudini vestræ, ex Italiæ littoribus officia iussimus præparare nautarum: vt drome-*

dromones, quos industria fabricare valuisset, manus remigum prouisa susciperet. Continuator Sigib. ad annum MCXCI. non ex celeritate, sed magnitudine denominat: *inuenit nauem Paganorum permaximam, quam Dromonem (sic reponendū fuerit in edit. Francof.) dicunt.*

In Cap. XXIII.

Quæ nunc Belinas dicitur, Olim Cæsarea Philippi.] aliàs Paneas, inquit, Fretellus Archidiaconus Antiochenus in Topographia terræ Sanctæ ms. ad consulem Rodericū: iuxta quā Christus discipulis dedit potestatem ligādi & soluendi. Cæsarea est altera cognomine Palestina, vel maritima de qua Iacob. Vitriac. c. xxiiii. Orienta. histor.

In Cap. XXV.

Quatuor assistentium proceres] Scilicet Reginaldus Vrsius, Hugo Morevillanus, Vvillelmus Cèracius vel Thracius, Ricarduſq; Brito expressi rudibus hisce versibus ascripti ad oram v.c.

Ricardus Brito, nec non Morelus & Hugo,
Vvillelmus Trachi, Renaldus filius Vrsi
Thomam martyrium fecere subire beatum.
Anno milleno centeno septuageno
Anglorum primas corruit ense Thomas.

Beati Pontificis quàm pretiosa mors, &c.] Id palam fecere complures & contemporanei scriptores, scilicet Alanus Teus Kesburiēsis Anglus Abbas monasterij ad Confluentiā Auonæ & Sabrinæ siti, familiaris S. Thomæ

complexus vitam eiusdem exiliumque lib. 1. Ioannes cognomento Salesberiensis Carnutum in Celtica tandem Pontifex: Herebertus Bosham ex Archigrammateo S. Thomæ Beneuentanus Archiepiscopus & S.R.E. Cardinalis prosecutus gesta l. 1. ex quo duobusque prioribus opus concinnatum & inscriptum *vita, & processus S. Thomæ*, exiit Lutetiæ Anno 1495. concinnatore Stephano Langtone Cãtuariensi Archiepiscopo. Eadmus Grymeus S. Viri comes indiuiduus & cruciger, quique sub eius cædem fuit vulneratus brachium, l. 1. vitam eius comprehendit: Guillelmus Stephanides Cantuariensis monachus, S. Thomam exulem sequutus, vitam necemque cruentam, l. 1. incipiente: *cum apud omnes fidelium mentes.* de visionibus eiusque spectris post mortem obseruatis l. 1. cuius hoc initium. *Postquam igitur.* Robertus Abbas ad Friscouiense Cœnobium in æstuario Lincolniẽsi vitam S. Thomæ l. VII. enarratam nuncupauit Henrico Croylãdensi Archimãdritæ Ann. MCCXIIII Bartolomæus Iscanus Exoniensis Episcopus sub Archiepiscopo Eboracensi recitauit in obitu S. Thomæ homiliam vnam. Benedictus Anglus Petroburgensis ad S. Seruatoris Cantuariensis monachus clarus Anno MCC. contulit in lib. II. miracula S. Thomæ. Mathæus Paris & Rogerus Houeden. & Giraldus Cambr. cap. xx. Hiberniæ expugnatę commẽdauere literis singularia. Guillelmus Normanus Cæsaroburgẽsis clarus anno 1570. furore poetico percitus & iniusta nece viri sãctissimi,

carmen elegiacũ hac exorsus est imprecatione *Veh tibi terra ferox, Anglorum, Liuidus, &c.*

Thomas Solimount Gallus oriundus insula Gernezensi ad littus Normânicum Constantiam versùs collegit quædam acta S. Thomæ l. I. obiit Londini MDXLV. Tabulæ Archiepiscoporum Cantuariensum ms. *S. Thomas Regis Cancellarius Archidiaconus Cantuariensis, præpositus Beuerlaci consecratus est ab Henrico Vintoniensi Episcopo, vice Londoniensis tunc vacante ecclesia. Huius gloriosa gesta habentur. Passus est martyrium* IIII. *Cal. Ian. in propria S. Trinitatis ecclesia. Huius translatio post L. annos facta est à Stephano Cantuariensi Archiepiscopo. Sedit annis* VIII. *Mensibus* VII. *diebus* XXVIII. *vacauit* II. *annis, mensibus* VI. *diebus* XXVIII. Petrus Blesensis epist. XLVI. confert S. Thomę Apostolo, & XXVII. totus est in eius laudibus. His addidissem Ioannem Baleum, & Mathæum Parquerum Cantuariensem Archiepiscopum hæreticos Anglos: si viro sanctissimo vitamque æternam viuenti non fuissent conuiciati: Adeo mentibus humanis vel semel deprauatis, rectissima parent obliqua.

Successit B. Thomæ &c. Ricardus prior Douerensis. Tabulæ ms. ab Auctore, Mathęo Parquero prętermissa, hæc habent. *Ricardus Prior Douerensis consecratus Anagniæ à Papa Alexandro* III. *sedit* X. *annis: mensibus* XIII. *diebus* XVII. *Vacauit anno* I. *mensibus* IX. *diebus* XXX.

IN CAP. XXVI.

HYbernia (*vt ait Beda*) *serenitate & salubritate aeris multò præstantior Britannia,*] Id

tradit Beda l. 1. Histor. Eccles. Anglorum c. 1. Giraldus verò Cambrensis (qui comitatus fuerat Ioannem Henrici II. filium eò proficiscentē) asserit Bedæ dictum vno claudicare pede c. III. Topograph. Hibern. inquiens: *Beda Hiberniam tam aeris salubritate quàm serenitate multum Britanniæ præstare asserit. De salubritate verùm: de serenitate verò (salua pace, veniaque sua) contrarium scribens, sicut ex sequentibus palàm erit. Sicut enim Gallia Britanniam, sic & Britannia Hiberniam aeris tam serenitate quàm subtilitate longè præcellit. Quantò namque ad Euri partes magis acceditur: tantò cœli faciem quò purior & subtilior, tantò penetrabilior & inclementior aer illustrat, &c.*

Populos habet barbaros.] Eundem Giraldum legito c. x. dist. 3. *Quòd nullū gignat animal venetum*, Beda suprà refert, & Giraldus c. XXIII. dist. 1. asserens suo tempore in Anglia, colubrum, adolescentis dormientis patens guttur ingressum, moxque ad inferiora progressum cœpisse vorare intestina: tandemque in Hiberniam transuectum (cum Anglia nihil haberet remedij) & potum aquis Hibernicis emisisse per podicem, colubrum extinctum.

IN CAP. XXVII.

Non est territus scelestissimi Absalonis exemplo.] Petrus Blesensis Henrico rescribēs, nomine Ricardi Cantuariensis Archiepiscopi proponit vno verbo eandem historiam, va-

riis ex profanis Auctoribus in medium productis, & præmissa narratione concitata in epist. XLVII. & Siluester Giral. c. xxx. Hiberniæ expugnatæ dicit rem duobus verbis.

His tamen vniuersis adiungendum necessariò fuerit vnum: quod an studio reticuerit auctor, vel ignorarit, quia ignoro, neutrum ausim affirmare: fuit tamen illud vniuersæ notum Angliæ, ad cuius præsules en Alexandri III. Epistola huc reducta ex ms. nostro.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis & vniuerso Clero per Angliã, & cismarinam terram illustris Regis Anglorum constitutis salutem & Apostolicam benedictionem. Non est vobis, sicut arbitramur, incognitum qualiter Henricus illustris Anglorum Rex pro discordia, quæ inter ipsum & filios suos peccatis exigentibus est suborta, vxores eorum, filias videlicet carissimi in Christo filij nostri Ludouici illustris Regis Francorum detineat: pro quibus sibi restituendis idem Rex Francorum, & filij prædicti Regis Anglorum generi sui, preces nobis sollicitas porrexerunt. Nos itaque studiosius attendentes, iustum & honestum existere, vt viri suas vxores repetere debeãt: & precibus eiusdem Regis Francorum, & Generorum suorum non solùm in his quæ ex officij debito tenemur efficere, sed & in omnibus, quæ a iustitia non discordant, nolentes prompto animo acquiescere: præfatum Regem Angliæ studiosè satis & attentè, monuimus, eique dedimus in mandatis, vt ad commonitionem venerabilium fratrum nostrorum Tarentasiensis Archiepiscopi, Claremontensis Episcopi, & dilecti filij sui

Carturiẽſis Prioris, vel loco eius, Prioris de mõte Dei, vel duorũ ex his, ſi tres nõ poterũt intereſſe: filiis ſuis vxores eorum infra quadraginta dies poſt literarum noſtrarum ſuſceptionem reſtituere non poſtponat. Si verò eas infra præſcriptum terminum viris ſuis non reſtituerit, Apoſtolica auctoritate præcipimus vt tota prouincia, infra quam detinentur, & ad quam transferentur, quandiu ibi fuerint, donec viris ſuis reſtituantur, ab omnibus diuinis officiis præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morientium ceſſet. Inde eſt quòd vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & mandare præcipimus, quatenus eundem Regem Anglorum ad eas reſtituendas, ſollicitis monitis & exhortationibus inducatis, proponentes ei quod non minùs ſibi expedit eas reſtituere, quàm viris ſuis ipſas recipere. Et ſi iuxta commonitionem, & mandatum noſtrum, filiis ſuis vxores eorum infra terminum conſtitutum non reſtituerit: extunc in quacumque prouinciarum veſtrarum detinentur, vel ad quas transferentur, donec ibi fuerint, nulla ibi diuina officia præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morientium celebretis, vel permittatis ab alijs celebrari, ſuper his omni contradictione & appellatione ceſſante: ſcituri pro certo, quod ſi quis contra interdictum noſtrum, (quod non credimus) venire tentauerit, ſuæ temeritatis & tranſgreſſionis pœnam debitam auctore Domino reportabit.

Stipendiarias Bribantionum copias, quas rutas vocant.] Hinc claret patrem eodem clauo tentaſſe retrudere clauum filij, ſcilicet copiis Bribãtionum: quas ei obiicit Ricardus Cantuarienſis epiſt. XLVII. Petri Bleſenſis: *Et vnde hoc tibi*

quod Brabantionum factus es ductor: gentique excommunicatæ & perditissimæ adhæsisti, vt perderes deuotissimam tibi gentem? In quo te offendit: in quo gratiam tuam demeruit pater tuus? In scriptura verò vocabuli *Bribantionum* mutanda iurares scribas, vel scriptores iurasse. Altissiodorensis enim monachus habet Brebentiones in Chronolog. Appendix Sigib. *Brelenſones*: Infrà l. III. c. III. & Can. v. Concil. Lateranensis, *Brebationes*: Mathæus Paris ad Annũ. MCLXXIX. Brebãtios. Appendix Aymoini iuxta nostrum ms. priorem retinet scriptionem. *Ipse equidem* (nempe Guillelmus Cabillonensis comes) *infinitos prædones vulgò dictos Brabantiones: qui nec Deum diligunt, nec viam veritatis cognoscere volunt, ad crudelitatem suæ tyrannidis explendam colligens, &c.* Vt vt tamen scribendum legẽdumue fuerit constat ex ratione vocis, huiusmodi nebulones erupisse Brabantia Galliæ Belgicæ siue Germaniæ inferioris prouincia: quam licèt fateat cum Hadriano Barlando esse perhumanam: sub id tamen temporis ceu corpus bene affectum euomuisse colluuiem tot prædonum, pestilentiumque incolatum: quin ipsosmet suis agitatos furiis, cacodæmonumque ministros in aliena patrasse prouincia, quod Deus remouit à propria. Nicolaus autem Rieuallensis motus illa plusquam belluina filiorũ à parente defectione finxit hos versus de contemptu mundi.

Quàm breuis & nulla est totius gloria mundi,
Mente tua recolas: Henricus purpura Regum,

a Adoramus. est Henr. III.
b Ricardū signat litera R.

Et Paris absque pari a *forma, flos vnicus orbis*
Militiæque decus b *R. inclytus Hector in armis:*
Duxque Britannorum Gaufridus: & ille Joannes
Qui cumulauit opes, vbi sunt? mors sustulit illos.
Floruit Henricus quasi Carolus: alter Vlisses
Sensu: Crœsus erat opibus: pòst, pauper Amictas,
Occasu metire diem: non solis ab ortu
Fœlix auspicius, fructu fœcunda propago
Primò fuit: sed post rosa marcuit in saliuncam.
Membra caput lacerant: genitura parentem.

IN LIB. III. CAP. I.

Hugo Cardinalis Apostolicæ sedis legatus nescit quid ordinaturus.] Rogerus Houed. Annal. poster. parte præmittens Hugonem appulisse in Angliam paulò ante festum diem omnium Sanctorum, subnectit eum ab Henrico Rege euocatum Roma, pro dirimenda lite Archiepiscoporum Cantuariensis Eboracensisque, de oratorio S. Osualdi Glocestriensis, cruceque præferenda Eboracensi Archiepiscopo: quodque reliquerit has controuersias componēdas iudicio Rotomagensis Archiepiscopi vicinorumque Galliæ pontificum. Mathæus Parquerus in Antiquita. Ecclesiæ Britannicæ memorat tantùm caput dissidij, nempe Ædiculam S. Osuualdo sacram. Quāuis Roger. Houed. indicet & locorum varietate, scilicet Vintonia, temporisque differentia fuisse indictas duas Synodos. Prior enim contigit MCLXXV. sub diem vniuersis cœliti-

bus ſacrum: altera MCLXXVI. ſub Chriſti natiuitatem, vnde Sigib. appendix meminit tantum poſterioris vt pote celebrioris, ſi ſpectes totius Anglicani Cleri Conuentum. Silueſt. Girald. c. xxx. Hibern. expugnatæ ingerit ſolam mentionem Concilij: & ante Math. Parque. Præſidem nuncupat Hugutionem Petrileonis S. Angeli, Roger. *Huguezon*, fortaſſis Anglico ſermone.

IN CAP. II.

Celebraturus Generale Concilium Lateranis.] noſter Galterus l. 1. aduerſus hæreſes eiuſdem ſeculi, appellat Romanum: quia Romæ habitum in Lateranenſi baſilica. Pro euocandis Pontificibus, Subdiaconos S. R. E. emiſſos fuiſſe in quatuor mundi partes refert appendix Sigib. Quòd Otto Friſing. ſcribat l. VII. c. vltimo Alexandrum habuiſſe Romæ Concilium ſecundo poſt ſuam conſecrationem anno: nemo dixerit illud ipſum eſſe de quo impræſentiarum, cùm Otto teſtis ſit Alexandrum tantũ in priore damnaſſe plurimos antiſtites à Schiſmaticis Pontificibus vnctos, & inferioris ordinis præſules. Vt verò ſcias quatuor cardinales haud fruſtra legatos in quatuor mundi cardines: ſubieci nomenclaturam Epiſcoporũ (qui ad indictam conuenere ſynodum) erutam ex ms. noſtro: ante quam hæc epigrafe poſita eſt.

Anno ab incarnatione Domini MCLXXXIX

præsidente S.R.E. sanctissimo Alexandro Papa III. Pontificatus eius Anno xx. mense Martio, Indictione xv. & xix. die mensis, sedata iam discordia, quæ inter Ecclesiam & Imperium, occasione schismatis per Octauianum hæresiarcham, aduersus prædictum sanctissimum Papam introducti, & per successores eiusdem Octauiani, Guidonem Cremensem, & Ioannem Strumensem diutius perdurantis longo tẽpore inualuerat: prædicto Ioanne vltimo Hæresiarcha, & Frederico Romanorũ Imperatore, ad vnitatẽ matris ecclesiæ redeũtibus sedit præsidente eodem summo Pontifice Alexandro, Sancta & generalis synodus in Basilica Lateranensi, quæ appellatur Constãtiniana, trecentorum Episcoporum ad hoc ex diuersis mundi partibus cõuocatorum. Quorum nomina subtus annexa sunt.

De Prouincia Romana.

	i	Vbaldus Ostiensis Episcopus.
a *Polypticõ ms.* Tertatinensis *impress.*	ii	Hugo,[a] Tracenensis.
	iii	Ioannes, Fundanus.
	iiii	Ionatas, Soranus.
Terracinensis	v	Zacharias, Marsus.
	vi.	Odalrisius, Valnensis.
	vii.	Dodo, Reatinus.
	viii.	Formundus, Verulanus.
Polyp. ms. b *Alcetrinus.*	ix.	Leo, [b] Aletrinus.
	x.	Kodulfus, [c] Ferentinas.
c *Polyp.* Ferẽtinus	xi	Asael, Agninus.
	xii.	Petrus, Segninus.

xiii. Milo, Tiburtinus.
xiiii. Gulfranus, Senenſis.
xv. Villelmus, Lucenſis.
xvi. Petrus Aſſiſinas.
xvii. Rainerus, Caſtellanus.
xviii. Tranſericus, Spoletinus.
xix. Offreductus, Eugubinus. *Polyps.* Egubinus.
xx. Alloderius Callenſis.
xxi. Giſſo, Vrbinas.
xxii. Nicolaus, Sipontinus.
xxiii. Iacobus, Senogallienſis.
xxiiii. Acceptabilis, Tamerinenſis.
xxv. Iordanus, Humanenſis.
xxvi. Petrus, Firmanus.
xxvii. Rainaldus, Eſinus.
xxviii. Gentilis, Auſumanus.
xxix. Munaldus, Fanenſis.
xxx. Iocelinus, Ariminenſis.
xxxi. Ioannes, Sutrinus.
xxxii. Martinus, Neprinus.
xxxiii. Gentius, Tuſcanenſis.
xxxiiii. Petrus, ciuitatis Caſtellanenſis.
xxxv. Amazus, Narmerenſis.
xxxvi. Paulus, Ortanus.
xxxvii. Petrus, Amelinus.
xxxviii. Ricardus, Vrbeuentanus.
xxxix. Gratianus, Tudertinus.
xl. Viuianus, Peruſinus.
xli. Petrus, Caſtrenſis.
xlii. Leo, Cluſinus.
xliii. Martinus, Groſotanus.
xliiii. Paulinus, Sunenſis.
xlv. Petrus, Piſaurienſis.

xlvi. Iulius, Florentinus.
xlvii. Lanfrancus, Feſulanus.
xlviii. Tedaldus, Placentinus.
xlix. Stefanus, Monopolitanus.
l. Anſelinus, Melitenſis.
li. Radulfus, Melfenſis. S. Martij.

De Prouincia Capuana.

lii. Alfanus Capuanus Archiepiſcopus.
liii. Petrus Theanenſis Epiſcopus.
liiii. Rainaldus, Benefranus.
lv. Rainaldus, Aquinas.
lvi. Herueus, Sueſſanus.
lvii. Porfyrius, Caſercanus.

De Prouincia Amalfitana.

lviii. Dionìſius Amalfitanus Archiepiſcopus.
lix. Ioannes, Licturenſis Epiſcopus.
lx. R. Auellenſis, Epiſcopus.

De Prouincia Neapolitana.

lxi. Sergius Neapolitanus Archiepiſ.
lxii. Bernardus, Nolanus Epiſcopus.
lxiii. Bartolomæus, Aceranus.
lxiiii. Petrus, Inſulanus.

De Prouincia Salernitata.

lxv. Romoaldus, Salernitanus Arch.

lxvi. Arnulfus, Caputaquenſis Epiſco. *Polyp.* Capudaquenſis.
lxvii. Ioannes, Marſitanus.
lxviii. Petrus, Ænenſis.
lxix. Ioannes, Sarnengis. *Polipt.* Sarnenſis.

De Prouincia Beneuentana.

lxx. Balduinus Alifanus Archiepiſco.
lxxi. Petrus, Teleſinus Epiſcopus.
lxxii. Potio, Triuentinus.
lxxiii. Andreas, Boranenſis.
lxxiiii. Halaſius, Gordianus.
lxxv. Gafridus, Termulanus.
lxxvi. Petrus, Larinenſis.
lxxvii. Robertus, Ciuitatenſis.
lxxviii. Nicolaus, Dracoranenſis.
lxxix. Robertus, Florentinenſis.
lxxx. Bofridus, Monticorbinenſis.
lxxxi. Rainaldus, Lucerinus.
lxxxii. Ioannes de monte Magan.
lxxxiii Ioannes Maſculenſis.
lxxxiiii. Bartholomæus Arranenſis.
lxxxv. Laquintus, Frequentinus.
lxxxvi. Rogerius, Vicenſis.

De Prouincia Sipontina.

lxxxvii. Gerardus, Sipontinus Archiepiſcopus.
lxxxviii. Simeon, Veſtanus Epiſcopus. *Polypt.* Veſcanus.

De Prouincia Tranenſi.

lxxxix. Amandus, Vigilienſis Archiepiſ.

xc. Ricardus, Andrensis.

De Prouincia Barensi.

forsan Bituntinus: xci. Rainaldus, Barensis Archiepisc.
licet in Polypt. Bezuntimus. xcii. Ioannes, Botuntinus Episcopus.
Polypt. Catarinnẽsis xciii. Maio, Catarensis.
Polypt. Poligmanẽsis. xciiii. Paulus, Calpitanus.
Polypt. Bittecẽsis xcv. Arpinus, Polimacensis.
Polypt. Melphetanensis. xcvi. Casisus, Cupersanensis.
Polypt. Cãnensis. xcvii. Rao, Bitechensis.
xcviii. Ioannes, Melficensis.
xcix. Ioannes, Canensis.
c. Ioannes, Lavellanus.

De Prouincia Brundusina.

ci. Villelmus, Brundusinus Archic.

De Prouincia Idrontina.

cii. Ionatas Idrontinus Archiepisc.
ciii. Penetrarius Liciẽsis Castraensis.

De Prouincia Tarentina.

ciiii. Basilius Tarentinus Archiepisc.

Polypt. impressum: Agerontinensis.

De Prouincia Acherontina.

Polyp. imp. Terraricensis. cv. Petrus, Venusinus Episcopus,
cvi. Ioannes, Potentinus.
cvi. Robertus, Tritaricensis.

cviii. Robertus,[a] Grauitienſis.
cix. Robuam, Anglonenſis.

a *imp.* Graninenſis.

De Prouincia Conſane.

cx. Herbretus Conſanus Archiepiſcopus.
cxi. Ioannes S. Angeli de Lombardia, Epiſcopus.
cxii. Ricardus, Biſatienſis.
cxiii. Angleus, Laquedonenſis.
cxiiii. Nicolaus, montis [b] Viridis.
cxv. Petrus, Saquanenſis.

b *Polypt.* Virdanéſis *in excumonenclat. Epiſcopat. vel* Montis Videnſis.

De Prouincia Cuſentina.

cxvi. Ruffus,[c] Cuſentinus.
cxvii. Michael, Maturanenſis.

c *ſcilicet Archiepiſcopus: qui vnicũ habet Suffraganeum.*

De Prouincia Rhegina.

cxviii. Thomas, Rheginenſis Archiep.
cxix. Guido, Neocaſtrenſis Epiſcopus
cxx. [d] Filippus Crotonias, Græcus.
cxxi. Leratinus, Epiſcopus Græcus.

Polyp. Neucaſtrenſis.
d *impreſſi catalegi carenthis duobus.*

De Prouincia Meſſanenſi.

cxxii. Nicolaus Meſſanenſis Archiep.
cxxiii. Guido Cephaledienſis Epiſcop.

Polyp. Cephaludẽſis,

De Prouincia Orientis.

cxxiiii. Vuillelmus Tyrenſis Archiepiſc.

cxxv. Iocius, Acconensis Episcopus.
cxxvi. Romanus, Tripolitanus.

De Prouincia Cœlesyriæ.

cxxvii. V. Gambulensis Episcopus.

Prouinciæ Palestinæ secundæ.

cxxviii. Heraclius Cæsarienſis Archiepiſ.
cxxix. Radulfus, Sebastenus.

Guillel. Tyr. l. 21. c. 26. Capellas. Heracli.

Prouinciæ Palestinæ Primæ.

cxxx. Petrus Hierosolomitanensis Ecclesiæ prior, loco Patriarchæ.
cxxxi. Albertus, Bethleemita Episcopus.

Prouinciæ Pisanæ.

cxxxii. Vbaldus Pisanus Archiepiscopus
cxxxiii. Saganensis, Episcop. de Corsica.

De Prouinciâ Tuirensi, Sardiniæ.

cxxxiiii. Ioannes Adarensis.
cxxxv. Cometa Ampurienſis.

De Prouincia Ianuensi

cxxxvi. Hugo Ianuensis Archiepiscopus
cxxxvii. Lodius, Martinensis Episcopus.

De Prouincia Rauematensi

Girardus

cxxxviii. Girardus Rauennas Archiepisc.
cxxxix. Bernardus, Parmensis Episcopus
cxl. Albericus, Rheginus.
cxli. Arditio, Mutinensis.
cxlii. Ioannes, Bononiensis.
cxliii. Henricus, Cornolienſis.
cxliiii. Ioannes, Fauentinus.
cxlv. Alexander, Lunensis.
cxlvi. Lanfredus, Pompilienſis.
cxlvii. Leonardus, Cæsarias.
cxlviii. Gabriel, Adrienſis.
cxlix. Alericus, Bobienſis.

De Prouincia Mediolanenſi.

cl. Algisus, Mediolanensis Archie.
cli. Ioannes, Brixienſis Episcopus. *Polypt.* Pergamẽ-
clii. Galo, Bergomenſis. ſis.
cliii. Vmfredus, Cremonenſis.
cliiii. Albericus, Laudenſis.
clv. Obertus, Terdonenſis.
clvi. Vbertus, Aquenſis.
clvii. Guido, Saonenſis. *Polypt.* Albinganẽ-
clviii. Lanterius, Albiganenſis. ſis.
clix. Stefanus, Vigintumilienſis. *Polyp.* Ipo-
clx. Milo, Taurinenſis. renſis.
clxi. Germarus, Ipporienſis.
clxii. Bonifacius, Nouarienſis.

De Prouincia Aquileienſi.

clxiii. Garſentinus, Mantuanus.
clxii. Anſelmus, Cumanus.

De Prouincia Senonensi.

clxxiiii. Guido, Senonensis Archiepisc.
clxxv. Ioannes, Carnotensis Episcopus.
clxxvi. Simon, Meldensis.
clxxvii. Mathæus, Trecensis.
clxxviii. Vuillelmus, Altissiodorensis.
clxxix. Obaldus, Niuernensis.

De Prouincia Bituricensi.

cxc. Guarinus, Bituricensis Archiep.
cxci. Girabous, Caturcensis Episcop.
cxcii. Seibrandus, Lemouicensis.

De Prouincia Turonensi.

cxciii. Radulfus, Annegauensis Episc. *Gallicè S. Brieu in Armorica Britan.*
cxciiii. Gaufridus, Briocensis.
cxcv. Guido, Leonensis.

De Prouincia Burdegalensi.

cxcvi. Vuillelmus Burdegalensis Archiepiscopus.
cxcvii. Ioannes, Pictauensis Episcopus.
cxcviii. Ademarus Charbonnelli, Sãtonũ.

De Prouincia Auxitana.

cxcix. Arsius, Conuenarum Episcopus.
cc. Bernardus, Olorensis.

cci. Ademarus, Baionensis.
ccii. Garsias, Vasatensis.
cciii. Arnaldus, Bigoritanus.
cciiii. Aquensis,

De Prouincia Narbonensi.

ccv. Pontius, Narbonensis Archiep.
ccvi. Ioannes, Magalonensis Episcop.
ccvii. Raimundus, Vticensis.
ccviii. Bernardus, Bitterrensis.
ccix. Otho. [nomine Episcopatus caret ms.

alias Vsceciẽsis. *cap.* 30. *Topogra. Hiber. auctore Silvestro Giraldo.*

De Prouincia Bracarensi.

ccx. Ioannes, Lucensis Episcopus.
ccxi. Vuillelmus, Elenensis.

De Prouincia Arelatensi.

ccxii. Raimundus Arelatensis Archie.
ccxiii Fulco, Massilienſis Episcopus.
ccxiiii. Pontius, Cauallicensis.
ccxv. Petrus, Auinionensis.
ccxvi. Vuillelmus, Tricastrinus.
ccxvii. Petrus, Tolonensis.

De Prouincia Aquensi.

ccxviii. Bernardus, Aquensis Archiepis.
ccxix. Petrus, Aptensis Episcopus.
ccxx. Hericus, Regensis.

ccxxi. Bermundus. [ms. Carebat Epis-
[copatus nomine.

De Prouincia Ebredunensi.

ccxxii. Petrus, Ebredunensis Archiep.
ccxxiii. Fulco, Antipolitanus Episcopus.
ccxxiiii. Raimundus, Glandetensis.
ccxxv. Vuillelmus, Ventiensis.

De Prouincia Viennensi.

ccxxvi. Robertus, Viennensis Archiep.
ccxxvii. Robertus, Diensis.
ccxxiix. Ioannes Gratianopolitanus.
ccxxix. Artutius, Gebennensis.
ccxxx. Lambertus, Maurianensis.

De Prouincia Tarentasiensi.

ccxxxi. Odo, Valentinus Episcopus.
ccxxxii. Aimo Tarentasiensis Archiepis.
ccxxxiii. Cono Sedunensis Episcopus.

male in ms. Darentasiensi. *perperam ms.* Serdinenses.

De Prouincia Lugdunensi.

ccxxxiiii. Engelbertus, Cabillonensis Epis.

De Prouincia Bisuntina.

ccxxxv. Rogerius, Lausanensis Episcop.
ccxxxvi. Rainaldus, Belicensis.

De Prouincia Tarraconensi.

ms. Gerũdenſis.

ccxxxvii. Berengarius, Tarraconum Arc.
ccxxxviii. Raimundus Gerundenſis Epiſc.
ccxxxix. Bernardus, Barcinonenſis.
ccxl. Petrus, Auſonenſis.
ccxli. Pontius, Bertoſanus.
ccxlii. Bergarius, Ilerdenſis.
ccxliii. Arnaldus, Vigelitanus.
ccxliiii. Stephanus, Oſcenſis.
Propriam nomen epiſcopi quim & primaria litera deſiderantur in ms. ccxlv. Riuenenſis.
ccxlvi, Rodericus Calaguritanus.

De Prouincia Toletana.

ccxlvii. Celebrinus, Toletanus Archiep.
ccxlviii. Raimundus, Palentinus Epiſco.
falſo ms. Sogobiẽſis. ccxlix. Gonſalbus, Segobienſis.
ccl. Michael, Olxumenſis.
ccli. Oderricus, Sequentinus.

De Prouincia Compoſtellana.

cclii. Petrus, Compoſtellanus Archie.
ccliii. Sanctius, Abulenſis Epiſcopus.
ccliiii. Petrus, Ciuitatis Roderici.

De Prouincia Treuerenſi.

cclv. Arnaldus, Treuerenſis Archipiſc.
cclvi. Fredericus, Metenſis Epiſcopus.

De Prouincia Colonienſi.

cclvii. Rodulfus Leodienſis Epiſcopus.

De Prouincia Maguntina.

cclviii Christianus Maguntinus Archi.
cclix. Oto, Bambergensis Episcopus.
cclx. Arduicus, Augustensis. *v.c. Augustensis.*
cclxi. Bertoldus, Constantiensis.
cclxii. Olricus, Spirensis.
cclxiii. Goradus Garmatiensis. *rectius, vulgariusque* Vormaciensis.
cclxiiii. Vlricus, Curiensis.

De *Prouincia Magdeburgensi.*

cclxv. Vdo Citensis Episcopus. *Sic v. c. sed vulgo sinceriusque,* Citizensis *quo nomine prodiit Chronicon Citizense, Paulo Langio auctore*
cclxvi. Siffridus, Brandeburgensis.
cclxvii. Martinus, Misnensis.

De *Prouincia Salsburgensi.*

cclxviii. Conradus, Salseburgensis Arc.
cclxix. Conoratis, Ponensis.
cclxx. Theobaldus, Patauiensis.

De *Prouincia Bremensi.*

cclxxi. Berno, Vrinensis Episcopus.

De *Prouincia Daniæ.*

cclxii. Omerus, Burgalensis.

De *Insula Angliæ, & Prouincia Cantuariensi.*

cclxxiii. Robertus, Herefordensis Episc.
cclxxiiii. Rainaldus, Batonensis.
cclxxv. Ioannes, Noruicensis.

cclxxvii. Adam de S. Asaph.
cclxxviii. Ruardus, Menevensis,

Item in Anglia, de Provincia Eboracensi.

cclxxix. Hugo[a] Dunelmensis.

[a] *Reposuimus pro* Bulnediẽsis, *quod erat in ms. sed perperã, vt constat ex Annal. Rog Houed & mss. tabulis Dunelm. Episcoporum in nostra Biblioth.*

De *Provincia Scotiæ.*

cclxxx. Gregorius Rosensis Episcopus.

De *Insula Hiberniæ.*

cclxxxi. Catholicus, Tuamensis Archie.
cclxxxii. Laurentius, Dublinensis Archie.
cclxxxiii. Constantinus Episcopus de Quidalua.
cclxxxiiii. Bricius, Lunbnensis.
cclxxxv. Augustinus, Guatfordensis.
cclxxxvi. Fœlix, Lesmorensis.

[b] *Reg. Houed. in Annal posteriori parte meminit ambarũ cõcilio præsentium: Sylvest. Giral. c. 23. Hyber. ex. pug. dist.*

De *Hungaria.*

cclxxxvii. Andreas, Bahasinensis Archiepiscopus.

Huc vsque Catalogus licèt amplissimus (modò rationem habeas aliorum scriptorum perpaucos enumerantium) non tamen vsque quaque respondens principio propter quatuordecim Episcopos desideratos: quos potuit librarius vel oscitantia vel festinãtia mittere.

IN CAP. IIII.

R *Ex Francorum hominem exuit, homo intepidæ deuotionis in Deum, &c.*] Idem aliis scribuntverbis Appendix Sigib. monachus Altissiodor. in Chronolog. Ioan. Frasq. in chron. Guillel. Tyr. l. 22. c. IIII. ad finem, aliique: comprimis Alexander III. Papa in epist. quam, quia nondum luci datam audio, hic reddo ex ms. nostro ad calcem registri, eiusdem ita scribentis: *Alexander Papa III. illustri Francorum Regi. Romanorum Pontificum institutione noscitur processisse, quòd media quadragesima, ea Dominica qua cantatur Lætare Hierusalem, consueuerunt ipsi florem aureum, non gratia temporalis elationis, propriis manibus, annua semper reuolutione gestare: ea vtique in facto huiusmodi designantes, quæ tam ad decorem ecclesiæ, quàm ad fidelium noscitur institutionem spectare. Vnde & cum nos eorumdem antecessorum nostrorum vestigia subsequentes, similem florem eo die, in quo constitutũ est, nuper in manibus gestaremus: non inuenimus, cui tam dignè, sicut excellentiæ tuæ, florem huiusmodi debemus offerre: quem & deuotione circa ecclesiam Dei, & nosipsos: & dignitatis honore cognoscimus præeminere. Quia verò floris huius significantiam, tuam celsitudinem credimus tantò libentius nostra velle expositione cognoscere: quantò te cõstat corde & opere diuinis obsequiis, & piis actibus feruentiùs inhærere: Prudentia regiæ serenitatis agnoscat, quòd flos iste Christum Regem exprimit ac*

designat, qui de seipso loquitur dicens: Ego flos cãpi & lilium conuallium: *Aurum namque Regem non immeritò dicitur denotare; cum ad hoc designãdum à Magis figuraliter oblatum fuerit Saluatori; vt per hoc Rex Regum, & Dominus Dominantium monstraretur. Rubor autem, quo aurum coloratum est, & suffusum, passionem significat Redemptoris: de quo vtique scriptũ legitur;* Quis est iste qui venit de Edõ, tinctis vestibus de Bosra? *Et iterũ:* Quare rubrũ est indumentũ tuum, & vestimẽta tua sicut calcantium in torculari? *Odor autem huius floris, resurrectionis eius gloriam præfigurat: vt sicut ipse primogenitus mortuorum ex multis fratribus & resurgens à mortuis iam non possit mortis vinculis detineri: qua & mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo, in immortalitatis gloriam reparauit. Sanè huiusmodi anfractus & climata omnium scelerum foeditate concreta, tantus odor Dominicæ resurrectionis aspersit, vt nulla pars orbis alienam se ab odore isto sentiat vel expertẽ: sed omnes se gaudeant odore hoc suauissimo spirituales nequitias in cœlestibus iam vicisse. Porro si ad ipsius Christi resurrectionem figuraliter denotandam sanctæ illæ mulieres ad sepulcrum, aromata detulerunt, suauitate redolentium vnguentorum, gloriam præsignantes: quæ vtique terrorem, inferis: cœlis, gaudium: terris intulit sanctitatem, Hæc sunt, fili in Christo carissime, quæ in flore isto noueris figurari: vt tanto acceptior apud te & gratior habeatur, quantò eum, trifaria expositione, significaris affectuosius diligere, & sinceriùs colere didicisti. Petimus autẽ & totis affectibus exoptamus, vt ille flos aureus, qui omnes Reges & Principes antecedit: imò, per quem*

Reges regnant & prudentes describunt iustitiam, terrenum tibi regnum diuturno tempore, sua ineffabili pietate conseruet: & æternum, in illa fœlici retributione iustorum misericorditer largiatur.

Hactenus Alexander in cuius epistola, quia floris aurei mentio incidit, placet alterum producere testimoniũ ex auctore licet anonymo, synchrono tamen loquente de Vrbano Papa v. his omnino verbis: *Præterea ad ipsum eodem mense, Romam venerunt Ioanna Regina Siciliæ, & Petrus Rex Cypri: tuncque occurrit dominica, lætare Hierusalem, in qua consueuit dari per Papam Rosa aurea viro nobiliori tunc in curia existenti: dictam rosam dedit memoratæ Ioannæ tanquam nobiliori & excellentiori (licet vir non esset) prædicto Regi ipsam præferendo in hoc.* Sic ille ms. in nostra Bibliotheca cõtinuator memorialis historiarũ Innocent. III. Sermone eiusdem Diei Dominici nuncupati *Lætare*, monet sex consideranda in eodem flore; quę si non legas, saltem hic leges ex eodem collecta *huius floris materiam* (Fiebat enim arte) *scilicet aurum, muscum & balsamum: Sed cõiungitur mediante balsamo*, inquit, *muscus auro: quia triplex in Christo substantia, deitas, & corpus & anima, &c.* Anonymus ad S. Victoris Parisiensis Canonicus florens quadringentos abhinc annos, in sermone habito, eodem Dominico die: *Fulgebunt iusti sicut sol in Regno patris eorum: sicut sol*, dicit: *sicut Christus qui est sol Iustitiæ*, sol, qui illuminat tenebras nostras. Huius fulgoris similitudinem *tunc gestabimus, si tamen ipsum Christum, id est, ipsius conformitatem & imaginem in operibus nostris,*

dum ſumus in corpore, geſtáre voluerimus: quod inceſſanter agere debemus ſi ad hebdomadæ quartæ lætitiam deſideramus peruenire. Inhuius rei figura, hodie Dominus papa geſtat roſam auream, &c.

Hocce verò παράργον, mi lector, æquanimiter accipias velim; vt lubentiùs ſuauiuſque olfaceres roſam auream Regi Chriſtianiſſimo tranſmiſſam ab vniuerſali eccleſiæ Chriſtianæ Moderatore ſcias hæc coniuncta. Reuertar ad funus regium, illudque conſpergo floribus epitafij ſua tantummodo antiquitate floridi:

Qui modò ſum modicus cinis, olim Rex Ludouicus:
Dum terris præeram, terra futurus eram.
Sed licèt auferri ſua non valeat æro terræ,
Seruat perpetuum ſpiritus eſſe ſuum.
Parce mihi Domine, qui finis es, & ſine fine:
Quem ſine principio, quem ſine fine ſcio.
Iam tranſcendo fidem: quia ſcio credita pridem
More ſuo patriæ: credita more viæ.
Hoc mihi ſcire dedit, quem vita ſcit, & via credit.
Quem via credit: cum vita ſcit eſſe Deum.
Elegiſſe leges aliàs loca Regia Reges,
Huic magis elegi pauper ineſſe gregi.
Pauperis vt memores meliùs ſint pauperiores:
Gaudeo pauper homo pauperiore domo.

Obiit Ludouicus XIII. Cal. Octob. ad quem diem hæc in noſtro necrologio: Anniuerſariũ ſolemne bonæ memoriæ Regis Ludouici Iunioris: qui huius eccleſiæ (quam ſpecialiter dilexit) Libertatem & iura integra & inconcuſſa cuſtodiens, multa & magna bo-

na à patre ſuo huius loci fundatore nobis collata benignè conceſſit, & priuilegio ſuo in perpetuum tuenda firmauit, eodem priuilegio quædam exprimens à patre ſuo minimè confirmata, ſcilicet terram de Vicenia, paſcua & vſum nemoris ad opus grãgiæ ibidem ſitæ: feodorum à patre datorum poſſeſſionem, & hominia necdum habita nobis acquiſiuit atque pro molendino quodam priùs à patre dato, ſed minùs vtili: in regiis molendinis xxx. frumenti modios, Stampis, nobis annuatim ſoluendos, literis ſuis conſtituit. In fine quoque eius de ipſius eleemoſyna centum byſantios habuimus. Hac igitur die fiat commendatio ante miſſam. Epitaphiũ verò ſuprà deſcriptum eſſe illud ipſum, quod Adela cõiunx cariſſima curauit incidendum literis aureis & laminis affabrè factis; teſtantur aliqui verſus etiamnum legibiles.

Deſtinatum nepoti coniugium ad ſe formæ captus illecebra, &c.] non ad ſe, ſed ad Manuelẽ filiũ, vt in appendice Sigib. legere fuerit Anno. MCLXXXII. eaque de cauſſa, in halluciner, fuerant ſcriptæ, quas ex antiquis exſcripſi membranis, literæ: *Manuel Dei gratia ſereniſſimo Imperatori, ſemperque Auguſto Vuillelmus eadem gratia S. Petri ad vincula presbyter Cardinalis, ſalutem & continuæ proſperitatis augmentum. Ex imperialibus geſtis, & ipſorum augmentis operum cognoſcentes, quantis honoribus prædeceſſorum veſtrorum reuerentia, Chriſtianorum omnium matrem, ſacroſanctam Romanam eccleſiam ſublimauerit: quantiſque donauerit priuilegiis, intuentes: & quã-*

ta eidem Ecclesiæ à barbarorum tyrannide fuerint inflicta grauamina, ex quo Imperatorium nomen noscitur ab illis vsurpatum: meritò excellentiam vestram singulari quadam intentione diligimus, & imperium vestrum perpetua seruari stabilitate optamus, atque indeficientibus incrementis semper promoueri: inde est quod desideraremus, vt iam dictam Romanam ecclesiam debita velletis ratione diligere cum Christianissimo ac verè Catholico Domino Ludouico illustrissimo Rege Francia: qui eidem Romanæ ecclesiæ, & beatissimo patri nostro Alexandro, vera fide, & integra deuotione astringitur, firmum curaretis amicitiæ fœdus inire: vt quasi funiculum triplicem, qui difficilè rumpitur, contexentes: trium potestatum viribus adunatis, dignitates vt vestras inuicem conseruare possetis intemeratas, & inconcussas, & honores vestros alternis auxiliis ampliare. Hac igitur consideratione inducti, quoniam per venerabilem virum Archiepiscopum Beneuentanum accepimus id celsitudini vestræ complacitum, præfato Regi Francia diligentius persuadere studuimus, vt mediante sanctissimo patre nostro Romano Pontifice certi vobiscum amoris fœdus iniret, & perseuerantem pacem firmaret: & indubitantes confidimus, quia si per idoneos nuncios, & literas, hoc, prout congruit, volueritis postulare, verbum illud auctore Domino gratum sortietur effectum. Vt autem de Apostolatu supranominati patris nostri nulla menti vestræ valeat remanere dubietas, literas memorati excellentissimi Regis, maiestati vestræ fecimus destinari, quod de voluntate ipsius super amicitia vobiscum firmanda percepimus: præsenti epistola, vobis curauimus intimare. Vestra itaque sublimitatis &

circumspectionis erit, si hoc vobis, semota procrastinatione, rescribere: & vt verbū istud ad ecclesiæ Dei exaltationem, & Imperatorij culminis solium communiendum propensius, & extollendum, citius executioni mandetur, sollicitudinem atque operam vigilantius adhibete. Huc vsque membranæ nostræ, quas si quis extra lineam scriptas causetur; rescribat ad c. 20. l. 2. suprà. Nan Aymoini continuator testificatur cæteros principes orbis, ad Ludouici exemplum compositos iurasse in Alexandri confirmationem.

IN CAP. VIII.

Svccessit Baldeuinus &c. vir religiosus & literatus.] nominis proprij scriptionem video retentam in mss. tabulis Archiepiscoporum Cantuariensium. *Baldeuinus Vigornienſis Episcopus veneratione dignus, Archiepiscopus sedit v. annis, mensibus 9. diebus v. & apud Acon in itinere transmarino obiit. Vacauit* 11. *Annis: mensibus* XI. *diebus xvi.* Nicolaus Rieuallensis in Epigrammate de Stephano Cantuariensi.

Religione pius Balduinus maior Vberto
Proficit ecclesiæ, sicut Noe profuit arcæ:
Fortis adinstar Abræ confidit, sperat vt Isaac.
Diligit, inuigilat gregis excubiis quasi Iacob.
Sic regit vt Moses, sic portat ephod velut Aaron.
Vt Phinees scortum ferit expugione: sed ipse
Vt Ioseph castus, pius vt Dauid: Samuelis
More trucidat Agag: Amalecque triumfat vt hostem.

Est frugalis vti Daniel, & sicut Helias
Pro Domino Zelans: & vt ordine singula claudam:
Anglorum flos est & nostro primus in orbe.
Cætera si possem laudare, beatior essem.

Siluester Girald. c.1. Itinerarij Cambriæ honorificè meminit eiusdem, & Matheus Parquerus licèt Hæreticus Archiepiscopus asserit quorumcumque scriptorum testimonio eum fuisse pium, doctum, prudentem moderatumque virum.

In Epistolam Lucij Papæ insertam.

Cap. XII.

E. *Patriarcham, & dilectum filium magistrum Hospitalis.*] E. litera denotat Eraclium, aut vt passim scribitur in Guillel. Tyr. l. xxi. c. x. xxvi. & xxii. c. iiii. ipsaque Græca postulat ortografia) Heraclius: magistro Hospitalis nomen est Rogerus de Moris apud eundem l. xxii. c. vii.

IN Cap. XIII.

VErum cùm ille certa pericula regni proprij, &c.] Petrus Blesens. Epist. xcviii. excitans Pontifices Anglumque Clerum ad dexteram ferendam, ait: *Sed & benignissimus Princeps noster, quæ digna sunt principe* (sic enim legendum fuerit in edit. veteri) *cogitauit. Videns enim*

sanctæ

sanctæ ciuitati lamentabile periculum imminere: ad thesauros proprios, magnificā & munificā manū mi sit, atque cōmuni Episcoporū terræ, comitumque & Baronū consilio, collectam instituit: quam iuxta formam, quæ subscripta est, per singulas paroecias episcopatus vestri faciatis diligenter obseruari, &c.

Sic Petrus: cui nō subscribit Siluester Girald. c.xxvi. l.II. Hibern. expugnatæ, exscribens responsum Regis Angli suo regno per absentiam præcauentis, & audientis Patriarcham responsantem. *Nihil agis, ô Rex, huic stare consilio si perstiteris: quoniam in hunc modum nec te saluabis, nec Christi patrimonium conseruabis. Principem enim quærere venimus, non pecuniam. Quælibet ferè mundi pars, nobis pecuniam mittit, sed Principem, nulla. Virum igitur appetimus, qui pecunia indigeat: non pecuniam, quæ viro:* ad hæc verò cū Rex obmutuisset: Patriarcha orauit vel vnū filiorum, quem nec exorauit, vnde perorauit prænunciauitque statum Regni sui in peius ruiturum, quòd Hierosolymitani imperij labascentem dignitatem propriis sustentare humeris detrectaret. Vt dictum, sic factum docet ibidē Sil. Giraldus. Pontifex interim Lucius, vt pote qui haberet perspectam horum malorum panegyrin, sic Frācorum Regi scripsit. *Ingemiscimus & dolemus, stragem vbique videntes populorum: cum pauci vel nulli sint Christianorum fines vel populi: quos peccatis exigentibus, euentus belli non cruciet, aut mutuæ cladis calamitas non affligat. Sanè, vt omittamus illas diutinas persecutiones et angustias, quas ecclesia Romana, quæ mater est omnium & magistra, inessanter nosci-*

ſuſtinere: ecce tuum & Anglorum Regnum inter ſe dimicant & decertant, quæ debent indiſſolubili vinculo pacis aſtringi. Ecce Hiſpaniarum regna, quæ ad regiæ magnitudinis notitiam credimus peruenisſe: in ſeipſa manus conuertunt, & Chriſtiani eorumdem regnorum populi, bellis mutuis fatigantur: qui contra barbaras & exteras nationes, Chriſtianorum fines intendentes inuadere, totius fortitudinis viribus vnanimiter armari debuerant. His autem longè grauior dolor accedit & gemitus: quòd illa terra ſancta, quam Redemptor omnium Deus ſua corporali præſentia dignatus eſt illuſtrare: & in qua pro redemptione noſtra carnem ſumere voluit, & crucis patibulum ſubire, in tanto diſcrimine & neceſsitate conſiſtit: quòd, niſi ei fuerit a fidelibus Chriſtianis celeri virtute ſuccurſum: timendum nobis eſt, & vniuerſis fidelibus, ne ſanctuarium Dei, paganorum ſpurcitia maculetur: & eadem terra in confuſionem & ignominiam Chriſtiani nominis exponatur direptionibus gentium, quæ non ſine multa effuſione ſanguinis tuorũ progenitorũ & tuorum fidelium de ipſorum manibus fuit liberata. Vndique ſanè circũſepta eſt à paganis: contra eam veniunt, qui Chriſtianum nomen de terris abolere nituntur: cùm ex vna parte Damaſcenos & Turcos: ex alia, Perſas & Medos in conculcationem & occupationem illius terræ non ſit dubium coniuraſſe: & ſic in illis partibus vſque adeo prævaluit eorum temeritas & præſumptio, quòd, qui ſolebant in ſuis finibus formidare Chriſtianorum impetum & congreſſum: hoc anno (quod non ſine multa mentis dicimus mœſtitia & dolore) per duorum menſium ſpatium eandem terram, ſecuri & intrepidi vaſtant. Ad te itaque

illius terræ populus clamitat, tuum, & aliorum principum terræ, qui Christiano nomine censentur, auxiliũ in tribulationibus requirit, & opem: potentia tua, & regni tui postulat ab innumera multitudine paganorum defendi, & ab eorum impetu conseruari: Desperant vtique viri religiosi: timent & lugent reliquus clerus & populus videntes sacris locis ruinam & diſsidiũ imminere: cum ad cõculcandum sanctuarium Dei contra inimicos crucis Christi contra se (quod moerentes dicimus) aſpiciant evicino, & tuum auxilium, & aliorum fidelium, quod feruenter expectant affuturum ſibi videant de longinquo. Moueant itaque pietatem regiam tantorum clamor & gemitus: moueat te nihilominus ſepulchri Dominici, & aliorum ſacrorum locorum deuotio veneranda: & ad ſuccurrendum iam dictæ terræ in extremæ neceſsitatis articulo iam poſitæ, animum tuum feruenter accendat: ne noſtris temporibus illa ſacra & religioſa loca & à Domino Jeſu Chriſto corporaliter illuſtrata, paganorum contingat contagionibus profanari.

Sic quidem ms. vbi videtur legẽdum excidium.

Hucvſque ms. noſtrum: quod licèt careat & Pontificis & Regis Gallorum nominibus: hiſtorię tamen contextus & inſequentis capitis additio fidem faciunt.

IN CAP. XVII.

CFuit autem pompaticè ingreſſus, eccleſias ſpoliatas, &c.] Anno inquit Radulfus Cogeſhalenſis monachus Ciſtericenſis tum Hiero-

solymis degens, MCLXXXVII. *ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, mense Octobri.*
Ter decem demptis ab annis mille ducentis
Lux luxit Octobris, & vrbs sacra luxit.

V. Id. Octob. D. litera Dominicali, deleta est ciuitas die sabbati, et deriserunt increduli sabbata cordium Christianorum: traditaque est Hierusalem (proh dolor!) in manibus nefandorum à nefandis Christianis, & clausæ sunt ianuæ positis custodibus. Igitur Alphachimi & Cassini ministri, scilicet nefandi erroris episcopi & presbyteri secundum opinionem Sarracenorum, primum templum Domini (quod Beithalla vocant, & in quo magnam saluationis habent fiduciam) quasi orationis & religionis ascenderunt mundare, æstimantes quod spurcitiis & mugitibus horribilibus, legem Mahumeti, pollutis labiis vociferando: Halla Haucaber, Halla Haucaber, *polluerunt. Coinquinauerunt omnia loca, quæ in templo continẽtur: locum scilicet Præsentationis vbi beata mater & virgo gloriosa Maria filium Dei, vt eum secundùm legem Mosis, Domino sisteret, in manibus iusti Simeonis tradidit: Et locum scilicet confessionis, respicientem contra porticum Salomonis; vbi Dominus mulierem in adulterio deprehensam, à lege dura & lapidea, & à lapidatione Iudæorum, iudicium mutans in misericordiam, & legem in gratiam, digito scribẽte in terra:* Qui sine peccato est primus in illã lapidem mittat,, *liberauit: locũ etiam contra Orientem, vbi Iudæi Iacobum iustum, fratrem Domini dictum propter vultus similitudinem, de pinna templi propter verbum & testimoniũ Iesu Christi præcipitauerunt, atque vecte fullonis percussum occiderunt. Auream quoque crucem, si-*

cut & cateras per omnem ciuitatem, funibus innexis, ad opprobrium Christianorum, magnis clamoribus subsannãdo adoratores crucis, flentibus Christianis, & vestes rumpentibus præ dolore & tristitia: et nimia cordis anxietate iam pene deficientibus, præcipitauerunt. Posuerunt etiam custodes, ne quis Christianorum septa atrii templi intraret. Vnde Jeremias: Repulit Deus altare suũ: maledixit sãctificationi suæ: *Et iterũ.* Propter peccata sacerdotũ, & iniquitates populorũ, alieni in domo Dñi vocé dederũt sicut in die solẽni. *Ascendit autẽ ex altera parte Sephidin montẽ sanctum Sion, atque ecclesiã, noui sacramenti celebratione, frequentatione & orationibus Apostolorum, & gloriosæ virginis Mariæ post Ascensionem Domini, aduentu Spiritus sancti super Apostolos in die Pentecostes, salutatione Domini post resurrectionem dicentis discipulis:* Pax vobis, *sanctificatam: sui & suorum inhabitantium immundiciis, commessatione, potatione, luxuria, sancta loca, & se & suos polluere non metuit. Interim sepulcrum Domini denudatum, & omni ornatu expoliatum est, patulumque omnibus Christianis & Sarracenis commixtim intrantibus: & etiam locus vbi vestigia crucis nostræ redemptionis in monte sancto apparent, dextera parte habentia fissuram magnam in ipso lapide vbi sanguis & aqua de latere saluatoris in cruce pendentis, in terram profluxerũt, denudatus & expoliatus est:* sic ille ms. cui si lubet, iunges Iacobũ Vitriac. c. xcvi. & xcvii. Oriẽtalis histor. Monachique e Altissiodor. Chronolog.

IN CAP. XXIII.

EX*peditionis characterem solenniter accepit.*] In vrbe Turonensi, inquit Siluest. Girald. l. II. Hibern expug. ccxxvi. moxque Ricardi pater, & Rex Francorum, Gisortij cis Esium flumen oppidi Normanniæ Francięque limitanei. cap. xxix. stupendum quoddam fantasma sibi reuelatum de successu Hierosolymitani itineris fusè narrat, explanatque. Vtid tandem belli geratur honestè, Christianeque, Petrus Blesensis hortatur epist. cxxii. Quod certè frustra monitum, si Regiis constitutionibus obsecundatum.

IN CAP. XXIII.

F*Redericus quoque Imperator.*] *Quamquam cisalpinorum principum*, inquit Sil. Girald. cap. xxviii. l. II. Hibern. expug. *insignaculi susceptione postremus: in operis tamen executione, laudabili maturatione se primum exhibuit. Quem tantò cumulatior tam in cœlis palma, quàm in terris gloria dignum dixerim: quantò Regnis amplioribus, rebusque relictis tantique imperij cura posthabita, terminum primò statutum, animosa constantia non præteriit* Iacob. Vitriac: Cõtinuator Sigib. Monachus Altisiod. noster auctor in c. xxvii. cæteriquescriptores contemporanei, eius meminere, præcipueque Abbas Vsperg. referens leges ab eodem iam Cruce signato sancitas Nurembergæ in conuentu principum: quas

sui vice reliquit ad pacificam Germaniæ administrationem: Curiosè videbis eas in eiusdem Vsperg. chron.

IN CAP. XXV.

Castrum Rodulfi, nequissimorum proditione, &c.] Silvester Girald. & ipse Anglus Cambrēsis, contemporaneusque tribuit non proditioni, sed partim detrectationi militiæ Hierosolymitanæ, Patriarchæque Vaticinio huiusmodi: *De cætero gloria in ærumnam, & vsque ad finalem habitum honor in ignominiam vertetur.* Et paulò pòst: *Sed vtinam aut patriarcha vir fuisset, non habens spiritum, & mendacium potius locutus esset, &c.* Et rursus: *vt autem ad euidentiam maiorem paucis summatim anticipemus, quæ per ordinem postea contigerunt, sicut a præcone veritatis est propositum: sic vidimus in breui post modum diuina dispositione completum.* Hæc ce sigillatim describit, numeratque in tertio, quod Auctor ex rumore vt plurimum mendaci, tribuit proditioni: *Tertio, qui terras numquam antea perdiderat, sed semper suæ ditioni potenter adiecerat: Philippo Francorum Rege (quāquam adhuc annis tenello) viriliter in ipsum arma sumente & damna paterna resarciente: Aluerniam ferè totam amisit. Quartò castellum Radulfi & Berri ferè totam.* Ita Silvest. Giral. cap. xxvi. l. ii. Hybern. expugnatæ vertit non fallaci dolo, sed virili prælio: sed & auctor noster incertò famaque tantùm id scripsit & aserip sit.

IN LIB. IIII. CAP. I.

TErtio Nonas Septembris: *qui dies ex gentili superstitione malus vel Ægyptiacus.*] S. Ambros. Epist. 84. *Varios Lunæ cursus obeundis negotiis commendare: vel cauere quosdam dies, quemadmodum plerique posteros dies vel Ægyptiacos declinare consueuerunt.* S. August. in epist. ad Galat. *Iam verò ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut huiusmodi quorūlibet operum diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant.* Sueton. de Octauio Augusto. *Obseruabat & dies quosdam: ne aut postridie Nonas quoquam proficisceretur, aut Nonis quicquam rei seriæ inchoaret.* Porrò, tertio Nonas Sept. Agell. dicit, 4. Non. *Ante diem quoque quartum Cal. vel Nonas vel Idus tanquam inominalem diem plerique vitant.* Sed vtinã huiuscemodi profana dierum obseruatio tantum viguisset apud Ethnicos: vtinam Cimmeriæ tenebræ, caligoque huiuscemodi plusquam Ægyptia non obscurasset lumina plurimorum Christianorum: qui dies S. Iosepho patriarchę (vt impudentissimè cõfingunt & publicant nostrates Astrologastri) prænunciatos obseruant ad vnguem. Rogaui aliquando virum probum, vt resciret ex huiusmodi nugiuendulorum aliquo, nomen auctoris, in cuius libris lucerent dies illi candidi & atri. Sed quid à nebulone, nisi nebulas & risum? Extat c. 41. *Non obseruetis hos dies qui dicuntur Ægyptiaci* xxvii. q. 1. tributus S. Au-

gust. in antiquis edit. Romana etenim testatur incertum esse auctorem. Beda in libello de Horologio (quem nonnulli detrahunt illi vt pote viro pietatis non impietatis & superstitionis studioso) dies Ægyptiacos comprehendit aliquot versibus.

Si tenebræ Ægyptus Græo sermone vocantur.
Inde dies mortis tenebrosos iure vocamus:
Bis deni, binique dies scribuntur in anno.
In quibus vna solet mortalibus hora timeri,
Tertia Septembris vulpis ferit è pede denam.

IN CAP. XI.

NEc ad hũc vsque diem & aliquis supplicio est addictus.] Nec erat addicendus, Iudæis hs interneciones pridem demeritis ob crudelissimas immeritasque neces Sanctorũ puerorũ Christianorũ Anglorũ ab iisdem patratas, nempe S. HUGONIS adhuc nouennis, rapti cruciatique octo diebus à Iudæis prouinciæ Lincolnienſis: S. Vuillelmi Norduicensis pro nomine pueri Iesu, patibulo appensi Anno MCXLVI. tandemque cœlestibus prodigiis illustrati: Roberti æquè pueri ferociter mactati Anno MCLXXII. ad *S.* Edmundi, vt mittam anonymum, HENRICO II. regnante, belluinè laniatum in prouincia Gloceſtrensi. Fœlicesterque quaterque infantes: digniſſimique, qui sequantur Agnum quocumque ierit: moriatur anima mea eorum morte: nouissimaque mea fiant similia eorum prioribus. Cœ-

terùm Radulfus Cogeshalensis in Chron. præterquàm quod & Iudæorum ædes faciat æquè superbas ac noster Auctor, duo connectit inquiens: *Quæ persecutio Iudæorum* (quos fuisse quadringentos adnotat inferiùs) *in ortu Iubelei sui in quo aliquod diuinæ clementiæ signum aut diuturnæ captiuitatis remissionem sibi fore cælitus venturam interpretabantur, inchoata, vix per annum nec terrore regio, nec imperiali eius edicto, nec sub iuratoria tandem cautione Iudæis præstita conquiescere potuit. Vbique enim inimici Christi à Christianis immisericorditer perimebantur, &c.* Recensetenim mox, sed breniùs, quæ Eboraci gesta, dixit prolixius Guillel. noster. qui tamen non expressit peculiarem huius dissidij caussam, vt ille his omnino verbis: *Cum gens illa nefaria per Regnum Angliæ circumquaque dispersa sub Henrico Rege* II. *in diuturna pacis securitate, & temporum tranquillitate, vitam in omnibus temporalibus opulentissimam duxisset: in tantam prorupit audaciam, imò vesaniam, vt Dominum nostrum Iesum Christum ore sacrilego, non solum in secretis suis conuenticulis, sed & publica voce impiè blasphemaret, ac fidei nostræ atque ecclesiasticis sacramentis palam conuiciando derogaret.*

IN CAP. XIII.

Famosa illa Teutonici Imperatoris expeditio.] Iure famosa: quod constaret LXXXIII. Bellatorum millibus, Episcopis septem vnoque Archiepiscopo scilicet Tarentasiensi, duobus ducibus, Comitibus decem & nouem, Marchionibus tribus; quorum vnicus exprimitur ab abbate Vspergensi dicente graui fore & labori & tædio peculiarem singulorum enumerationem.

IN CAP. XVII.

Pontificalibus &c. vestem ineptissimè aptauit muliebrem.] Hanc tragoediam vno prosequutus est libro Hugo Nunantinus, vel Nouantus Gallus Normanus, tum Episcopus Lichefeldensis in Anglia. Tradit verò in eo, quod Cancellarius à nautis cognitus, à mulieribus (& meritò, cum sine mulierum permissu se fingeret mulierem) illusus fuerit, consputus, per vias lutosas tractus, contumeliisque affectus multis, vt refert Baleus in centuria 3. ex eiusdem Hugonis libro incipiente: *Quæ literarum apicibus notantur.*

IN CAP. XVIII.

Et fusdē peregrinantis acta, prout ab eis, qui interfuere, accepimus.] Forsā à Guill. Peregrino,

qui heroico versu cecinit Ricardi Regis Odoeporicon: Ricardo nostri instituti canonico ad S. Trinitatis Londinensis Regique Ricardo percharo, adeo vt voluerit secum proficisci in Palestinam: scripsit ergo eiusdem Regis itinerarium soluta strictaque oratione: Galterus quoque Rotomagẽsis (de quo, hoc in cap. memoria) vno libro contexuit gesta eiusdem. Sed nihil horum putem exisse in lucem. Nam & ipse Baleus vt accepi à viro perdocto, Balcoque noto, quotquot vidisset volumina scriptorum Anglicorum: vt exscripserat titulos, aut igne aut vngue disperdebat.

Nisi diuina quadam prouidentia.] V. C. *veruntamen:* sed præstat integrum producere locũ: integrior enim est, quanquam vocula *veruntamen* non vsquequaque respõdeat impressis libris. Sic igitur. V. C. *Veruntamen diuina quadã prouidentia tantis & quotidianis defectibus, nec in modico minuebatur exercitus. Nam & super illorum numerum, qui ex labore propter Christum suscepto ad æternam requiem per dies singulos assumebãtur: ex regionibus Christianis plures accedebant, & assumendo emeritos, ita suum Christus nouo militum delectu reficiebat exercitum, vt assumptionem, supplementa superarent.*

In Cap. XXIIII.

Causæ sanè pudendæ.] imò non pudendæ, quia non prouidendæ: vel saltem, quæ

prouideri non poterant, scilicet maleficia Sagarum commemorata in vita eiusdem Philippi à Rigordo scripta, Vincent. Bellou. Spec. histor. c. lv. l. xxx. & Ioanne Paris. in memoriali Histor. Quodque his grauiùs est testimoniis, consanguinitatis gradus Heroumque insignium probatus assertionibus, præcipuè Caroli Flandrensium Comitis. Causas autem memoratas ab Auctore solus, quod sciam, ille ipse refert: cæteri, præcipuè duas superiores, nominatimque affinitatis: quam Innocent. III. reiicit Guillelmo Monpessulano in cap. *Per venerabilem* l. iiii. de legitimatione filiorum, obiicienti causam Philippi: quam sigillatim monstrat fuisse meliorem: Ludouicus pater Philippi suo diuortio exposuit Franciam gladiis Anglorum militum. Philippus filius, stilis scriptorum: hoc tamen fœlicior patre, quòd Maria defuncta receperit Ingelburgem Anno MCCI. mandaritque Cardinalibus *quòd eum secum duceret sicut suam, nec separari tunc ab ea* vellet, inquit Rigord. in gestis eiusdem Philippi. Vincentius Bellou. l. xxxi. c. vi. vult id contigisse Anno MCCXIII. *nauigio, ad eundum in Angliam iam parato Rex Philippus vxorem suam Ingelburgem, à qua iam per annos xvi. & amplius dissenserat, recepit in gratiã. Ex quo Francorum populus plurimum exultauit.* Vnde paret esse suspectum Auctoris nostri dictum infrà l. v. c. xvi.

Illi autem Regis sui iniusto desiderio, &c.] In v. c. longè aliter, & non aliter, sic. *Qui nimirũ suo Regi plus iusto propitij, affinitate, per duorum*

pseudoepiscoporum Beluacensis, scilicet & Carnotensis execrabile periurium imaginariè approbata diuortium celebrarunt. Et Beluacensis quidem postea Dei iudicio traditus in manus Regis, &c.

IN CAP. XXIX.

HVmbaldus verò Dux Austria, qui vt supra dictum est.] V. C. *Hunibaldus*: facilis Lapsus notarii ex cuius stilo pendeat apex. Emendandus tamen venit appendix Sigib. ad annũ MCXCIII. vbi appellatur Dux Austrasiorum qui, hodie Lotharingi: Austrij verò seu Austriaci semper Teuthones vt Guillel. Brito Armor. l. 1. Philipp. cecinit.

Austria Teutonico, quod habens idiomate nomen
Tempore possedit Francorum natio longo,
Vndecies centum ter sex & quattuor annis
Antea quam Christum genuisset virgo beata
Postque Deum natum sex septuaginta trecentis
Eisque, qui se dediderant sub spe clementiæ, &c.]

Anonymus contemporaneus Anglus ms. addit: *Quosdam digno pretio redemit: pecuniam singulorum in tali necessitate auidè sitiens. Nec mirum. Qui enim thesauros proprios multis in locis iam expenderat: eosque partim diutina peregrinatione, partim pro sua redemptione omnino euacuauerat: necesse erat, vt aliorum pecunias auidius exquireret.*

IN CAP. I. L. V. NOTÆ.

PRætereaRex siue pro liberandis obsidibus, &c.] Hisce potissimũ causis Anonymus antè productus, producenduque mitigat insoliti vectigalis acerbitatem, inquiens: *Duæ causæ*

præcipuè vrgebant, vt scilicet obsides pro se datos erga Imperatorem redimeret: & vt exercitum copiosum contra Regem Galliæ, qui terram suam incendiis, atque rapinis vndique vastabat, confestim conduceret. Quapropter, si auidius quàm regiam maiestatem decuit, pecuniam à subditis in tali casu exquirebat: ignoscendum potius erat, & tantis angustiis afflicti Regis piè compatiendum, quàm aliquid regiæ necessitati derogandum.

IN CAP. VI.

Quod olim noscitur Gereberto.] Alias, Gerberto, apud Glabr. Rodul. l. 1. histor. c. 4. Vuillel. Gemmet. l. 8. histor. Normann. c. xxvi. Dithmarum Merseburgens. Episcopũ l. vi. chron. Lambert. Scafnab. Marianũ Scot. Herman. contract. in Chron. & Syluestri defuncti florentes seculo, neque verbulum facientes hac de fabula: cuius originem v. c. Cardinal. Baronius, Onufr. Panuin. annotat. ad Platinam. Papir. Masson. repetunt ex egregia, qua Gerbertus excelluit, Mathematicarũ, Philosophiæque peritia: vt & carmen hocce reiectum ad calcem Boetij in nostra Bibliotheca ms. confirmat.

Epitaphium Boetij; quod composuit dominus Siluester Papa Girber. Philo.

Roma potens dum iura suo declarat in orbe,
Tu pater & patriæ lumen Seuerine Boeti,
Consulis officio, rerum disponis habenas,
Infundis lucem studiis: & cedere nescis
Græcorum ingeniis: sed mens diuina coercet
Imperium mundi, gladio bacchante Gothorum:

Libertas Romana perit, tu consul & exul,
Insignes titulos præclara morte relinquens.
Nunc decus imperij summas qui prægrauat arces,
Tertius Otto sua dignum te iudicat aula,
Æternumque sui statuit monimenta laboris,
Et bene promeritum meritis exornat honestis.

Frigida insuper est ratiuncula nostri Guillelmi scribentis Siluestrum ignorasse templũ Romę, Hierusalem cognominatum: scilicet homo excellentis ingenij sic delirarit.

IN CAP. XV.

Militiam, quam Rutas vocant.] Sic supra l. II. c. xxvii. *Bribantionum copias, quas Rutas vocant:* Guillel. Brito l. v. Philippidos, *Ruptas.*

Quos Marchaderi sic clausit Rupta, quod ambo,
Dum patriæ pugnant capti vinctique cathenis,

Et paulò post.

Bellatorumque minorum
Millia dena quater, & Marchaderica Rupta,
Excedens numerum.

Et capto Isonduno.] Sic infrà c. xvii. v. c. *Isanduno*, alius Isendinio: sic fuit inconstans scribæ vel manus vel animus. Appen. Sig. Isoduno ad annum MCC. Altisiod. Monachus in Chronologia memorans synodum ibidem habitã anno MLXXX. *Exolduno:* Rigordus, Eisolduno (vnde & gallicè *Isoudun*) scribens ad annum MCXCV. non Ricardum, sed Mercaderiũ Cotarellorum ducem euertisse suburbanum, castrumque

strumque Anglo reparasse: Exoldunum porro vrbs est Biturigum in Aquitania prima ad Theonem flumen.

IN CAP. XXX.

Belluacensis enim Episcopus propinquitate Regia inclytus.] Emendatius, *Beluacensis*: nouissimum enim l. vt absonum sic & abundans: aut cum Guillel. Armoric. *Bellouagensis* l. v. Philip. hocce canens prælium.

Ricardus fines ingressus Bellouagenses.
Immẽsasque hominum prædas, pecorumque, peremptis,
Pluribus, abducit, præsul ruit obuius illi
Beluaci, cum quo Guillelmus nobilis ille
Melloti dominus patriam defendere tentat, &c.
Idem præsul erat Roberti clara propago,
Qui Grosii fuerat Ludouici regia proles
Et sic natus, erat dicto regi patruelis.

Hactenus Guillelmus, simul tangens radicẽ propinquitatis regiæ: qua noster auctor inclytum depingit Philippum. Eius verò comprehẽsionem Rogerus Houed. Annal. posteriori parte narrat, refertque eiusdem literas ad Celestinum Papam, oblatas ab Episcopo Aurelianensi Philippi Germano Celestinique responsum (quod ab auctore visum apparet his verbis: *pro baculo pastorali, lanceam: pro mitra, galeam*) in calce monentis: *Interim verò vinculis & lamentis mancipatus: vincula tua & lamẽta leniter patienterque sustineas iuxta illud poeta.*

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est:
Quæ venit indignè, pœna dolenda venit.

IN CAP. XXXV.

SVmpto *apud Meretonam, &c.*] v. c. Mertenã: paroeciale, quondamque simul cœnobiticum sacerdotium: seu, vt vocant, prioratum curatum in dioecesi Baiocensi, pendentem ab abbatia S. Laudi Constantinensis in Normannia, Canonicorum S. Augustini, distantẽ ab eadem vrbe Constantia, nouem leucis, vulgoque dictum, *Mestri*: cuius hodie curam gerit Magister Rumfarius canonicus ad eiusdem S. Laudi professus, vir non ignarus linguarũ, concionator facundus, & sacræ Theologiæ Baccalaureus.

Auctarium ad Notas. pag. 734.

AVbertus Miræus Canonicus & Bibliothecarius Antuerpiensis, cum Anno 1609. Lutetiæ nobis adesset, & sermo de *Bribantionibus* incidisset, is me monuit per *Bribantiones*, designari *Brabantos*, Galliæ Belgicę populos, Iusti Lipsij testimonium atque authoritatem allegans. Eius hęc sunt verba, cẽturia 3. ad Belgas, Epistola 45. *Nobis Belgis Ruter, est Eques: non Hercules à Græco ῥύτωρ quasi ῥυτῶν protector, vt ingeniosè excogitant: sed à Ruta siue turma militari. Guillelmus Neubrigensis*: Rex, *inquit*, perstipendiariam militiam, quam Rutas vo-

cant expugnato Isonduno. *Nos* Rottas *etiam nunc appellamus: & fuerunt propriè sanè Brabantis. Idem scriptor*: Rex stipendiarias Bribantionum copias, quas Rutas vocant accersiuit. *Vides nos* Brabantos *intelligi, nec sine gloria: quod etiam à Regibus euocaremur, ad stabiliendam eorum fortunam. Robertus de monte eosdem intelligit, in anno Domini M. C. LXXIIII.* Quod audiens Rex (*Henricus Angliæ*) Misit Brebensiones suos, & quosdam de militibus suis ad eorum auxiliũ. *Itaque robur & militia nostra à tot sæculis celebris, non etiam innocentia & abstinentia: & damnati in Concilio Lateranensi, Alexandro Pontifice, anno M. C. LXXVII. sæuitiæ nomine sumus. Canon Concilij*: De Brebantionibus, & Aragonensibus, & Nauarris, Basculis, & Coterellis, qui tantam in Christianos immanitatem exercent, vt nec monasteriis deferant, nec viduis aut pupillis, non pueris aut senibus, non cuilibet parcant ætati aut sexui: sed more paganorum omnia perdant & vastent, similiter constituimus, vt ipsi qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel fouerint, excommunicati, publicè denũcientur. *Nos, inquam, illi sumus, etsi variè & pronunciatu ferè Gallico, scripti: propiùs ad hodiernum sonum poeta qui bellum Philippi Regis Francorum contra Othonem Imper. scripsit.*

Territat in primis nostros Comes iste Louani
Henricus, socer & miles nunc factus Othonis,
Innumeris cum Brachbantis, quò sæuior alter
Vix vsquam est populus bello, aut assuetior armis.

Cęterum idem Lipsius centuria ad Germanos & Gallos, epistola 36. notat *Leopoldum* Au-

ſtriæ Ducem à Guilielmo Neubrigenſi corruptè *Humboldum* nuncupari.

Auctarium ad Cap. viii. ſignatum perperam in notis ix. l. 11.

Illuſtres quoque Francorum & Anglorum Reges modis omnibus ſolicitare &c.] Meis ad hos libros notis appoſueram vmbilicum: & ecce inter excutiendas ſchedas, mihi apparuit Annalis Vizeliacenſis fragmẽtum indicans thecnas Cæſareas quibus Ludouicus VII. Rex Francorum, vtiuſtitiæ ſic & ſimplicitatis amãtior, fuit propemodum irretitus ab Henrico Campaniæ Gallicanæ Comite, ſicut perhibet contexta his omnino verbis narratio.

His diebus Occidentalis eccleſia graui ſchiſmate laborabat. Henricus autem Comes Trecenſis partibus faucbat Imperatoris. Porro Ludouicus Rex Galliæ miſit in occurſum Alexandri Papæ Catholici legatos ſuos Theobaldum Abbatem S. Germani de pratis & Cadurcum clericum ſuum. Quorum legationem cum minus optatò Alexander ſuſcepiſſet: reuerſi, Vezeliacum venerunt. Et decidit in lectum ægritudinis Theobaldus Abbas, & mortuus eſt ix. Cal. Auguſti, ſepultuſque infra ianuam Baſilicæ B. Mariæ Magdalenæ, cuius monachus extiterat. Et vt cognouit Ludouicus Rex repulſam legatorum ſuorum, iratus pœnituit ſe ſuſcepiſſe Alexandrum contempto victore: & ſcripſit per Manaſſem Epiſcopum Aurelianenſem ſuper hoc verbo, Comiti Henrico Trecenſi qui eo tempore ad Germanicum Imperatorem pro-

perabat. At ille gratulabundus pro opportunitate reperta suggessit Imperatori, vt finiret colloquium cum Rege, adunatis vtriusque regni optimatibus & ecclesiasticis viris, contestatus iureiurando quòd Rex audita vtriusque Apostolici electionis examinatione iuxta discretionem personarum vtriusque regni, staret consilio suo videlicet Henrici Comitis. Et indictum est colloquium apud Louigennam Vicum citra Ararim fluuium in fine regni Franciæ. Et statutum est vt Alexander Catholicus & Victor schismaticus colloquio adessent, & de sua electione in conspectu totius ecclesiæ conferrent. Quod vt cognouit Alexander, misit ad Ludouicum Regem legatos, scilicet Bernardum Portuensem Episcopum, & Hiacinthum Diaconem suum, qui Regis iram lenirent, & familiare colloquium inirent. Conuenerunt ergo Alexander & Ludouicus apud Syluiniacum, qui est vicus monachorum Cluniacensium. Rex autem Ludouicus rogabat Alexandrum vt ad constitutum veniret colloquium: aut, si præsentiam Imperatoris abhorreret, saltem ad partes illas accederet vsque ad Vergiacum castrum, quod erat inexpugnabile: Cui cum Alexãder nollet acquiescere: Ego, ait Rex, & te, & vniuersum Comitatum tuum saluum ducam, & reducam saluum sicut corpus meum. Et cum nec sic acquiesceret Alexander veritus dolos Imperatoris, respondit Rex: mirum est quod conscius iustitiæ suæ subterfugit testimonium innocentiæ suæ, seu audientiam. Et abiit Rex ad indictum cum Imperatore colloquium: nondum autem cognouerat conditiones, quas ex parte sua Comes Henricus fecerat cum Imperatore. Cum ergo venisset Rex ad castrum Diuionem, occurrit ei Comes Henricus: & tunc primum

aperuit ei pactiones quas cum Imperatore fecerat dicens: Maiestatis tuæ reuerentiæ, & regni tui consulens vtilitati, Domine mi Rex, iniꝛ colloquium super Ararim fluuium: quò tu, Domine mi Rex, & Imperator Fredericus cum Pontificibus, & Abbatibus atque optimatibus regni vtriusque conuenerant præsente tuo & Imperatoris Apostolico: vt ex vtraque parte eligerentur viri probatissimi tam ecclesiastici quàm militares, qui vtriusque Apostolici diiudicabunt. Et, si Rolandi electio fuerit sanior comprobata, Octauiani electio cassabitur, & Imperator procidet ad pedem Rolandi. Si autem Victoris electio præualuerit: Rolandus annullabitur. Tu verò, Domine Rex ad pedem Octauiani venies. Quod si Victorem Octauianum deesse contigerit: Imperator ab eo deficiens, Alexandro tuo obediet. Si autem è conuerso Alexander defuerit: identidem decidet, & Rex Victori fauebit. At verò si tua maiestas noluerit, nec prædictis pactionibus acquiescere, nec arbitrio iudicum assensum præbere: ego iureiurando iurauí quod aá partes illius transibo: & quicquid de fisco Regis in feodum habeo, Imperatori tradens, ab illo deinceps tenebo. Stupefactus Rex Ludouicus, ad hæc respondit: Miror vnde tibi fiducia quod me inscio meque inconsulto talia cum Imperatore condixisti. Respondit Henricus: Hanc fiduciam, tu Rex, per Manassen Aurelianorum Episcopum mihi dedisti. Interrogatus super hoc verbo Episcopus timore Regis dissimulare cœpit occultas machinationes, quibus Henricum ad hoc induxerat. Tunc Henricus protulit Epistolam Regis, qua continebatur quòd nuncij Regis repulsi fuissent ab Alexandro. Ob quam rem indignatus Rex mandabat Henrico quatenus licenter

procederet, & colloquium vtriusque audientiæ iniret, certus quod Rex per omnia consilio illius staret. Fredericus autem Imperator ædificauerat sibi palatium miræ amplitudinis in loco, qui dicitur Dolah in finibus imperij sui. Et cognouerũt Franci quod Schismaticus Victor non esset cum Imperatore: & lætati sunt super illius absentia. Quo agnito Teutonici siue Germani currentes adduxerunt eum cum festinatione maxima eodem die. Quem assumptum Imperator duxit eum supra pontis medium: Statimque quasi pactionibus satisfeciſſet, recessit. Rex autem Ludouicus quasi venatum pergens transiit per nemus ad locum colloquij: misitque Iocium Turonensem Archiepiscopum, & Mauricium Parisiensem Episcopum: Guillelmum quoque Vizeliaci Abbatem cum aliis optimatibus regni sui ad nuncios Imperatoris, qui ibidem conuenientes verbum Regis expectabant: Inter quos etiam erat Comes Henricus qui propter affinitatem cognationis, partibus omnino fauebat Victoris schismatici. Petierunt itaque missi Regis ex ore eius competentes inducias: eo quod pactiones huius colloquii hactenus vsque perendie Regi fuissent incognitæ, præsertim cum Imperator compulerit Henricum Comitem iurare, ne prædictas ante diem constituti colloquij vllo modo manifestaret Regi: indecens autem fore tam temere de tanto negotio definire. Cũque Imperatoris Frederici prolocutores petitas inducias negarent: reuersus est Rex apud Diuionem. Cardinales verò quos illuc Alexander Papa miserat, sperantes solutum esse colloquium, Vizeliacum redierunt. Rex autem constituit, qui custodirent fines regni sui. Et sequenti summo mane venit Comes Henricus ad Regem in palatium Ducis Burgundiæ, alle-

gans Regem nequaquam esse à pactionibus liberum: ideoque se necessariò discessurum ab eo, & se traditurum in manus imperatoris, ità vt totam terram, quã de feodo Regis hactenus tenuerat, amodo impratori traditam, ab eo reciperet, & hominium illi faceret. Attamen ob gratiam Regis obtinuisse se dixit ab Imperatore trium hebdomadarum inducias ea conditione quòd Rex datis obsidibus polliceretur Imperatori ad diem se venturum, & Alexandrum adducturũ: atque ibidem causam vtriusque auditurum, & iudicio proborum virorum imperij, & Regni, parituru: aut certè seipsum tradere victum Imperatori apud Chrysopolim, quæ est vrbs nobilis Bisuntinorum: & acquieuit Rex, & defecit spiritus eius, & tædiatus est animo: pactusque est ita se facturum datis obsidibus Duce Burgundiæ, Comite Flandriæ & Guillelmo Comite Niuernensi. Omnis autem Ecclesiasticus ordo audito hoc verbo, quod fecerat Rex, doluit valde, & corde clamauerunt ad Dominum, vt misereretur ecclesiæ suæ sanctæ & liberaret Regem à fraude circumuenientium se. Abiit ergo Rex ad prædictum locum Louigennæ, vbi Regi debebat occurrere Imperator. Sed fefellit Imperator Henricum, misitque præcipuum fautorem Schismatis Renaldum Cancellarium suum Colonienſis ecclesiæ Archiepiscopũ. Cumque coram eo replicarentur pactiones, quas Comes Henricus ex ore Imperatoris proposuerat Regi: subitò diuina virtus astitit ecclesiæ suæ & piæ simplicitati Regiæ maiestatis. Respondit enim Renaldus profani erroris fautor nequaquam Imperatorem talia dixisse: scilicet quod cuiquam permitteret consortium iudicandi Romanam Ecclesiam, quæ propriè sui iuris existebat. Tunc repletus gaudio

Rex quæsiuit ab Henrico Comite vtrùm se haberent pactiones secundùm formam ab eo propositam. Et ille: habent, & Rex: Ecce ait, quod imperator, qui iuxta verbum tuum adesse debuit, abest. Ecce etiam quod missi illius formam pacti te præsente, te teste cõmutant: Verum est, inquit Comes Henricus. Et ait Rex. Nonne ego absolutus sum ab omni pacto? Absolutus, ait, Henricus. Et dixit Rex Ludouicus cunctis optimatibus suis & Episcopis, atque Abbatibus, qui præsentes aderant. Audistis & vidistis qualiter ego ipse gratis perfecerim omnia, quæ ad me pertinẽt. Edicite vtrum liber ab his pactionibus videar. Dicũt omnes, liberasti verbum tuum. Statimque Rex velocissimum equum, cui insidebat, reducens protinus ire perrexit. Teutonici autem valde confusi insecuti sunt eum rogantes vt rediret ad Imperatorem paratum a prosequi omnia quæ Hẽricus Comes proposuerat. At ille parui pendens quæ dicebantur, decipulam, quam euaserat, exhorruit dicens: feci quod meum fuit. Sic soluto conuentu Rex rediit in regnũ suum.

a *forsan, exequi.*

Hactenus Vizeliacense ms. quo sole clarius patet Imperatorem dolosè conatum imponere Ludouici simplicitati, vt pòst quasi arietem opponeret. Hiauit certè lupus: sed bolus ereptus est eius faucibus. Lector interim videat amplissimum hîc supplementum vniuersorum illius ætatis scriptorum absolutè narrantium Ludouicum Regem benignè excepisse Alexandrum, exceptumque constanter & religiosè coluisse.

Soli Deo Optimo maximo laus & honos & gloria.

INDEX CVM NOMINVM ILLVSTRIVM, TVM RERVM MEMORABILIUM, quæ hoc Opere de rebus Anglicis continentur.

A.

Abbatis Cadomensis præpropera mors 626.

Absolutio manu Episcopi scripta, mortuique pectori imposita, compescit molestas eius oberrationes, 739. 740.

Acra nunc, quæ olim Ptolemais, capta, 381. 385.

Acra à Christianis obsessa. 375. *capta.* 471.

Acræ propugnatorum pactiones, 471. 472.

Adolescentum duorum virile pectus, 649.

Adrianus Pontifex Romanus, 125. & 128. *mortuus,* 146.

Aegyptij imbelles, 193. 194.

Agareni iidem qui & Saraceni, 484.

Albericus Comes Græciam in Græcia quæsitam re-

perit in Normannia, 655. 656.
Albertus Cardinalis item & Legatus, 207.
Albertus Episcopus Hostiensis, Apost. sedis Legatus. 22.
Alexander Ecclesiæ Lincolnienſis Episcopus, 189.
Alexander in Gallia Rom. Pont. institutus, abdicato Victore competitore, 136. Turone concilium cogit 161. mortuo Victore in Italiam redit, 174. in Siciliam renauigat, 175. Imperatori reconciliatus, 259. mortuus 283.
Alexander Lincolnienſis Episcopus captus 23. missus, 26. duo condidit Cœnobia, 25.
Alexandria, ex cuius nomine, & à quibus in Lõgobardia condita, 176. frustra ab Imperatore oppugnata, 177.
Alexandria in Ægypto à Christianis capta, 197. 198.
Alienora, Lodouici Franci, repudiata, 107. optatis potita est nuptiis, 109. & 280.
Alienora virago, 457.
Altredus Eboracensis Archiepiscopus. 1.
Amalricus Rex Hierosolymorum 193. Victoriosus, 197. mortuus 305.
Amica pactio inter Anglorum & Scottorum Reges, 119. & 120.
Amplexus Regum Angliæ & Franciæ, 620.
Anastasius, Rom. Pontifex, 88. mortuus, 125.
Andronici scelera 281. supplicium, 282.
Anglia cur Britannia dicta 156.
in Anglia multi tyranni, 78.
Angliæ intestina mala 77. & 79.
Angliæ procerum in Regem conspiratio, 218.
Angliæ regnum Ducatui Normanniæ iunctum. 1.

Angli numeroſiſsimi, crucis candidati, 361.
Anglorum potentia, Danis erat formidabilis, 489.
Anſelmus Longobardus, Lanfranci ſucceſſor, 8. & 9. exactus 10. reſtitutus 11. mortuus 12.
Antiochia Syriæ capta, 9.
Aprorum, ſuumque Silueſtrium magnus grex de repente in Caſtris Chriſtianorum conſpectus, 196.
Aquilonaris Anglia Anglorum Regi reddita, 119.
Archiepiſcopus Tyrius, triſtis nuncius. 355.
Ardemachia, prima ſedes Hyberniæ, expugnata, 302.
Armenij cuiuſdam, ob vitiatam filiam impotentia & perfidia, 58.
Arragonum Regis liberorum fortuna, 143.
Arturus verus Britonum, 297. & 440.
Aſcalona capta, 72.
Aſcalona Saladino tradita, 337.
Aſcalona euerſa. 502.
Auſtriæ calamitas, 572. & 573.

B.

Babylon, ciuitas gemina, cognominis 193. 194.
Baldeuinus, ex Abbate Epiſcopus primo, factus, deinceps Archiepiſcopus Cãtuarienſis. 298. & 542.
Baldeuinus Hieroſolymorum Rex 58. eius geſta 76.
Balduinus Almarici filius Lepra infectus 305. ſororẽ duxit vxorem ibid. eius animi præſtantia & fortitudo 308. mortuus 311.
Baptiſmum ſerius, ſed ſeriò petentes baptizauit ſanguis proprius, 334.
Bedera ab Arragonibus occupata, ac deinceps culta 153.

Bederenſes, ciuitate aliquandiu obſeſſa, ſuo Domino reconciliati 151. *perfidiæ ſuæ pœnas dant* 153.
Bederenſium ſcelus 149. *&* 150. *quomodo expiatum,* 153.
Belinas nunc, olim Cæſarea Philippi, 195.
Bellelandæ origo 47.
Bellum ciuile in Anglia 29. *&* 30. *& conſequentib. pagell. aliquot.*
Bellum pluſquã ciuile in Anglia 215. *& ſeq. duab. pag. confectum* 252. 253.
Bellum, pax rurſum inter Reges Angliæ & Franciæ 199. 200.
Bellum iterum inter Reges Angliæ & Franciæ, 611. 612.
Benedictus Iudæus, baptizatus 382. *nomine tenus Chriſtianus, animo Iudæus, Apoſtata ſuis redditus,* 387. *&* 388.
Berengeria, require, filia Regis Nauarrorum.
Bernardus Abbas 45. *Clareuallenſis* 51. *mortuus.* 87.
Bernardus de Baliolo 235. *eius conſtantia* 236.
Bereuik vicus nobilis, 670.
Boamundus, Antiocheni principis filius, Comes factus Tripolitanus. 342.
Brachium ſancti Georgij quid ſit, 67.
Bribantionum militum virtus, 232.

C.

CAcodæmon ſancti Iacobi Cõpoſtellani addictus imperio ſe profeſſus eſt Authorem bellorum & diſſidiorum Orientalium 578.
Cadauer oberrans ſecuri percuſſum ingemuit, 645.

Cælestinus Pontifex Rom. 446. & 455. *eius seueritas*, 475.
Cæsarea Philippi proditione capta, 195.
Campanæ, peregrinis aduenientibus, concrepari solitæ, 340.
Canum turba prosequens cadauer vagabundum 641 648. *ex eius combustione lues ingens orta ibid.*
Carleil, vel Carleolum, alias Lugubalia 15. 54.
Castellum de Scharcheburch munitissimum & firmissimum 117. & 118.
Castitas Malcomi regis insignis, 67.
Castra vnde dicta. 68.
Cenomanensis quidam 576. & *conseq. duab. pag.*
Christiani à Saladino pecunijs expugnati 461.
Christianorum in Oriente victoria. 9.
Christianorum militum intemperantia. 68. *incommoda ibid.* & 69. *victoria.* 71.
Christianorum mira constantia in Oriente 458. 459. *incõmoda* 460. *intestina mala* 461. *victoria*, 471.
Christianorum munitio ad vadum Jacob, capta à Turcis 310.
Christianorum Principum cunctatio perniciosa, 310.
Christianorum victoria ad oppidum Rama 308. *clades* 309. *altera clades* 333. *victoria* 479.
Christianorum militum necessitas 477. *animi remissio* 478. *labores* 495. *strages* 498. *ab expeditione Orientis domum reditus ibid.*
Cisterciensis Ordinis duo Monachi capti à Piratis, & à Saladino delusi 605. 606.
à Cistercienſis ordinis Monachis tributum exactum, 520. 550.
Clemens Pontifex Rom. 354.
Comes Aluernensis, subactus à Rege Angl. 612.

Comes Barcinonensis, vir magnificentia regia 142. *Aragonici Regis filiam vnicam capit vxorē* 144. *eius generosus animus & fortitudo, ibid. &* 145. *Angli studiosus ibid.*

Comes Campaniæ, crucis candidatus 357. *vir constans* 474. *in Oriente Princeps* 497.

Comes Cestrensis regis aduersarius 218. *captus,* 225.

Comes Ferrariensis, Henr. II. aduersarius 230. *ei reconciliatus,* 248.

Comes Flandrensis, Galli studiosus, & Anglo coniūctus aduersus Anglum consobrinū 217. 218. *victoriosus* 220. *canit receptui* 221. *eius de oppugnando Rothomago consilium* 245. *Henr. II. Angl. Regi reconciliatus* 250. *&* 251.

Comes Flandriæ, crucis candidatus 366. *eius querela* 670. *Victoria ibid.*

Comes Leicestrensis in Regem animatus non bene 218. *captus.* 228 *missus.* 252.

Comes Leicestrensis, Anglorum regis in Oriente assiduus Comes, eiusque studiosissimus, 520. 521.

Comes Pictauiensis idem dux Aquitanus, 137.

Comes Richardus, profusis domi opibus, Hybernicis auctus spoliis 212. 213. 214.

Comes Richemundensis à rege contusus, 132. 133.

Comes S. Ægidij, vir ditissimus 138. *multis odiosus.* 145.

Comes Tripolitanus, pueri regij tutor 311. *Fraudis suspectus* 328. *Guidoni Pictauiensi inimicus* 330. *Saladino iunctus, ibid. Guidoni reconciliatus* 331. *eius perfidia* 333. *fuga* 334. *machinatio turpis* 340. *mors turpior.* 341.

Comitatus Huntedunensis Scottorum regi redditus. 120.

Comitis

Comitis Albemarlensis dolus, 220.
Comitis Andegauensi gesta 28.
Comitis Cestrensis, de Roberto Marmiū victoria, 40.
Comitis Glouecestrensis affinitas & res gesta 29. & 32.
Comitis Guarennensis filia 75.
Comitis Muranensis non verus filius, 79.
Conanus, Comes Richemuntensis 179. eius vnica filia ibid.
Concilij Lundonensis decretum, 34.
Concilium Lateranense 261. eius decreta ibid. & deinceps in paginam 278.
Concilium Lundonense 22. & 111. & 256.
Concilium Oxonense aduersus Publicanos connocatum. 157.
Concilium Papiense, 137. & 138.
Concilium Rhemense, 45.
Concilium Turonense 161. eius decreta 162. in consequentem vsque paginam 169.
Concordia inter Alexandrum Pontificem Rom. & Fredericum Imp. 259.
Concordia inter Henricum, Ducem Normanniæ, & Stephanum Regem Angliæ, 105.
Concordia Teutonicæ Nobilitatis, 528.
Conflictus Anglorum & Scottorum, 21.
Cōflictus Christianorum & Turcorum apud Assur, 479.
Conflictus ingens ad mœnia Rothomagi, 246.
Conflictus ingens in Ægypto, inter Christianos & Turcos, 197.
Conflictus ingens inter Henricum, II. Anglorum Regem & perduelles, 229.
Conflictus inter regios Anglos & Scottos, 237.

Conflictus ingens inter Christianos & Turcos, 308. & 309.

Congressus Imperatoris, & Regis Francorum, 12. & 526.

Congressus Regum Angliæ & Franciæ, 400.

Coniuratio Lundonius conflata, quo authore. 626. & 627.

Conradus (Marchio de Monte Ferrato) senior à Sarracenis captus 339. *redemptus missione ciusdam præclari Turcæ*, 344.

Conradus iunior, Tyri strenuus defensor 339. 340. *eius industria*, 342. *in patrem pietas* 344. *cum Rege Hieros. controuersia. ibid.* & 461. *indignitas, & Tyrum reditus relictis castris*, 470. *interfectus* 483. *incertum à quo* 484.

Conradus, Romanus Imperator 59. *crucis candidatus, in Orientem proficiscitur* 67. *indidem nulla re gesta memorabile reddit*, 69.

Conspiratio ingens in Regem Anglorum Henricū secundum 216. & *sequentibus duabus pagimis.*

Conspiratio Teutonum contra suum Imperatorem. 526.

Constantia Ludouici Francorum Regis soror, Eustachio desponsata, quare 36. *male habita Lundoniis*. 37.

Controuersia ingens inter Regem Hierosolymorum & Cōradum Marchionem de Monte Ferrato, 343. & 344.

Controuersia inter Dunelmensem & Eboracencensem Pontifices, 86. 87.

Controuersia Regum, Angliæ nimirum & Franciæ, super possessione Normanniæ. 198. 199.

Controuersia vetus Pisanorum & Ianuensium

compoſita 353.
Curſor ad Regem Anglorum Henricum ſecundum miſſus, 242.
Cur terræ Hieroſolymitanæ habitatores toties commigrare cogantur, 319. & octo ferè conſequentibus pagellis.
Cur Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus ſit occiſus, 200. & deinceps in conſequentibus ſeptem pagellis.
Cyprus ab Anglorum rege quî expugnata, 462. & conſequentibus duabus pagellis.

D.

Dæmon in accipitrem, 68.
Dæmones tranſeuntibus offendicula ponunt, 154.
David Comes Huntedunenſis conjuratorum Princeps & Dux, 230. *eius fuga*, 248.
David Scottorum Rex profligatus 20. *ſecundo in fugam actus* 21. *eius ingenium, vita & obitus*, 77.
Decimarum exactio inſtituta in Anglia. 361.
Decreta Chriſtianorum cruce inſignitorum 357. 358. 359.
Dies Ægyptiacus ac Iudæus infauſtus. 377.
Diſciplina Eccleſiaſtica minuatur Principum authoritate. 266.
Diſcordia Chriſtianorum in Oriente. 482. 496.
Diſcordia duorum fratrum. 240.
Diſcordia inter Matildem olim Imperatricem, & Stephanum Regem Angliæ competitore. 33.
Diſcordia Regum Angliæ & Franciæ. 318.
Diſſentio inter Henricos duos, ſecundum & tertium Angliæ Reges. 216.

Dissensio ingens inter reges Angliæ & Franciæ in Oriente 465. *& conseq. duabus paginis.*
Diuelinum (Metropolis Hiberniæ) occupatum, 213.
Ducatus Normanniæ Anglico regno iunctus, 13.
Ducatus Aquitanicus, vndè regno Franciæ iunctus, 107. *in Normanniæ Ducem translatus,* 109.
Dunum in Hybernia ab Anglis captum, 301.
Duo simul Romani Pontifices. 137.
Dux Austriæ, Regis Angloram beneficio in Oriente retentus. 478. *ingratus in eundem* 510. *mortuus,* 575. *eius filius ibid.*
Dux Burgundiæ Crucis candidatus. 356. *constans.* 474.
Dux Louanienſis potens. 525. *ei paratæ insidiæ* 526.

E.

Ecclesiæ Eboracensis diutina vacatio. 286.
Ecclesiam grauantes immoderatis exactionibus sunt peiores Pharaone. 270.
Ecclesiis sub obtentu necessitatis tributum non indixit Henricus secundus Rex Anglorum. 372.
Ecclesiæ Lincolnienſis diutina vacatio, 189.
Edictum Henrici secundi in peregrinos milites 114.
Edissa Christianorum in Mesopotamia arx 62. 63. 64 *à Turcis proditione capta. ibid.*
Episcopi eligendi dotes quæ, 264.
Episcopi Anglicani cruce insigniti, 361.
Episcopi cuiusdam magna animi constantia, 80. 81.
Episcopus Beluacensis ab Anglo captus, 668. *& consequentibus duabus paginis.*
Episcopus Dunelmensis idem Cancellarius Angliæ,

& Regius in Anglia Procurator constitutus, 392. Comes item factus 394. à Pont. Romano absolutus à priore Sacramento 395. multat Iudæorum interfectores pecunia, 422. eius fastus regius, auaritia, ambitio 433. & consequentibus quatuor paginis. Fœdus cum Scottis 440. tyrannis 441. Joannem inimicum capit. 443. eius impotentia animi. 444. tyrannis 445. temerita 447. fuga. 449. colloquium cum Joanne 450. infamia & turpitudo 451. exilium voluntarium. ibid. reditus dolo quæsitus 454. gloria 456. silentium coactum ibid. Comitatu priuatus 549. eius summaria vita 680. & tribus consequentibus paginis, crapula mortifera 584. filij, 586.

Epistola Senis montani, 614.

Episcopus Leodiensis, cur, & à quibus interfectus. 525. 526.

Eudonis, cuiusdam Britonis mira insania, contumelia & impietas 60. & consequentibus quatuor paginis. eius obitus, discipulorum nomina, & mortes 65.

Eugenius Pontifex Romanus, 53. 54. in Gallias veniens Rhemis Concilium agit 59. mortuus 87.

Eustachius Joannis filius confossus. 123.

Eustachius Stephani Regis filius 36. eius facinus 54 mors 103. 104.

Expeditio Hierosolymitana prima 8. 9. secunda 55. 56.

Expeditio prima Teutonum in Orientem, 426. secunda. 558.

Expeditionis Tholosanæ origo, 137.

Expeditionis Ægyptiæ causa 231.

Exulum non verorum facinus, 526.

F.

Factum infectum Pont. 493.
Fames diutina in Anglia & Francia. 667.
Fergusus, Galuuadensis princeps, & eius filij. 239.
Filia Comitis Glouestrensis consobrino nupta, 390.
Filia vnica Comitis Palatini, Henrico Saxonico, qui desponsa & nupta, 514.
Filia Comitis Richemuntensis ex asse hæres, Anglis Britanniam adiecit, quæsito inde coniugio. 179.
Filia Ducis Lotharingiæ. 1.
Filia Danorum Regis statim à Francorum Rege repudiata, 490.
Filia Nauarrorum Regis, Anglorum Regi nupta, cum eo in Orientem nauigat, 457. *coniuge casu orbata,* 509.
Filia Regis Francorum, Constantinopolitani Imperatoris filio desponsa, fraudata optatis nuptijs 281. 282.
Filia Regis Gothorum in Suero nupta, 292.
Filiorum Arragonum Regis vnus superstes, patre mortuo, & Monasterio relicto, ex vxore vnicam filiam suscipit, 143. *ea collocata Barcinonensi Comiti, eodem vnde exierat, redit.* 145.
Filius Regis Nauarrorum cur Angli studi sui. 554.
Flandrorum infinita multitudo, edicto Regio exacta, 114.
Fœdus Imperatorum, Græci & Romani, 428.
Fontes, locus, 45.
Fredericus Romanorum Imperator Mediolanensibus

infensus 133. *item Alexandro Pontifici Romano.* 175.

Fredericus Romanorum Imperator crucis candidatus, suus imitationis exemplum fuit, 362. *in Orientem cum filio* 375. *a Græco Imperatore impeditus*, 426. & 427. *eius interitus* 430. 431. *cadauer repertum*, 432. *honorificè sepultum ibid.* & 433.

Frerum Constantinopolitanum qui vulgo dicatur. 67.

G.

Galterius Constantiensis factus Episcopus Lincolniensis, 298. *post Rothomagensis, ibid.* & 299. *ex Oriente cur in Anglium missus*, 441. *collega Cancellarij*, 442 *co pulso regni gubernator*, 453. *à rege alienus cum ad Pontificem defert, sed frustra*, 661. *Regi reconciliatus*, 573. & 674.

Galli acres & exercitati in præliis, 453.

Gallorum, castris relictis, fuga, 223.

Gaufridus Comes Andegauensis, 16. *Hæres institutus regni Anglicani ibid.*

Gaufridus, Comes Britanniæ, cum fratre in patrem arma parat 294. *patri reconciliatus versipellis moritur*, 296.

Gaufridus Henrici secundi filius electus Ecclesiæ Lincolniensis Episcopus, 190. 191. *eius fortitudo, & virtus*, 232.

Gaufridus Henrici secundi Regis frater ei cur inimicus, 129. *fratri reconciliatus & mortuus* 132.

Gaufridus Henrici tertij frater factus Archiepiscopus Eboracensis 389. *Turone inauguratus à Cancellario, capitur* 447. *Dunelmensi inimicus, quare* 492.

Gaufridus de magna villa, captus, quare, & qui vir 35. 36. *missus, in Regem infestus.* 37. & 38.

Gillebertus vir mirabilis. 39.

Græcia nobilis mulier, 565.

Guido quidam Pictauiensis Hierosolymorum Rex. 328. & 329. *diademate coronatus,* 330. *Christianus Principibus in Oriente odiosus* 330. *eius edictum insulsum* 332. *captus* 334 *missionem, Ascalona translata impetrat,* 338. *Cõrado Marchioni infensus* 345. & 461. *Regno nudatus* 482 *Cypri possessione honoratus,* 504.

Guillelmi pueri Regij *siniſter casus* 105.

Guillelmus Albemarlensis 40. *eius scelus.* 42.

Guillelmus Comes Albemarlẽsis ægrè Regi *obtemperans.* 118.

Guillelmus de S. Barbara, Dunelmensis Episcopus mortuus, 86.

Guillelmus de Longo Campo, factus Episcop. Eliensis 388. *captum* Regem *iniuſsit.* 517.

Guillelmus à Barba-longa Lundonensis, homo seditiosus 627. *eius vita & mors* 628. *& concubentibus quatuor pagellis: à vulgo tanquam martyr honoratus,* 634.

Guillelmus Marcellus captus in prælio, qui missus. 34.

Guillelmus Papiensis Cardinalis. 135.

Guillelmus Pessulani montis Dominus, ab imperatore sollicitatus, 175.

Guillelmus, prior Regularium *Archiepiscopus Cã-*

tuariensis.15.

Guillelmus Nothus, primus (Normannorum) Angliæ Rex *1. eius bonitas 2. testamentum 4. cadauer insepultum, ibidem, 5.*

Guillelmus Rex *Scottorum 181. in gem Angloru conspirat 218. in Anglia infestus 226. receptui canit 227. cunctator captus. 237. missus 253. obsides dat de seruanda fidelitate. ibidem.*

Guillelmus Rufus *secundus (Normannorum) Angliæ* Rex. *6. 7. eius insolentia & prodigalitas 8. interitus. 10.*

Guillelmus Thesaurarius, Ecclesiæ Eboracensis *Pontifex designatus repulsam passus apud Pontificem* Romanum *53. iam senex, factu Pontifex 89. mortuus ibid.*

Guillelmus Trentheueil, Anglicarum *partium studiosus 145. & 146. interfectus à suis 153. eius necis vltor filius 154. 155.*

Guillelmus de Vesti. 235.

Guillelmus Yprensis, in Angliam *euocatus, aduersus Matildim. 32.*

H.

HAco, *tyrannus, 288.*

Hæretici in Albigesio, Vuasconia & Tolosanis partibus. 266.

Hæreticorum receptores, fautores & defensores excommunicati, 266.

Hanseſisij, populi in Oriente 613.

Haraldus Anglorum Rex, *1.*

Henrici Essexensis fuga è prælio 124. dedecus monastica vita expiatum ibid.

Henricus Andegauensis Comitis filius 74. *eius iusiurandum ibidem.*

Henricus Campaniæ Comes, princeps in Oriente constitutus, 497.

Henricus Cluniacensis Monachus, 18.

Henricus Ducis Saxonici filius, 513.

Hẽricus Eboracẽsis Archiepiscopus, 87. *a* [illegible] 98.

Henricus Fontanensis, Eboracensis Pons fu[illegible], Romano Pontifici quare gratiosus. 54.

Henricus Matildis Imperatricis olim ex Andegauensi Comite filius 100. *eius bona fortuna* 102. 103. *constituta cum Stephano Rege concordia, eius hæres declaratus* 105. *in Gallias redit,* 106. *repudiatam ducit vxorem,* 109. *eius iustitia,* 112. *inauguratus magna ipse & voluntate Anglorum* 113. *Regiæ dominationis instaurator* 116. *Vuallensium domitor* 124. *a Rom. Pon. absolutus* 130. *fratre debellatũ sibi reconciliat,* 132. 133. *ad Lincolniã diademate decoratus, & quare.* 135. *eius aduersus Aquitanos bellum quare susceptum,* 141. *Thomæ Cantuariensi infensus,* 173. 174. *eius liberi.* 178. *cum Vuallensibus secundum bellum, ibid. Britanniæ possessionem quî sit adeptus,* 179. *Normanniæ quî,* 199. *Filium natu primum Regem creat,* 200. *malè audit interfecto Thoma Cantuariensi Archiepiscopo,* 206. *ea de re se purgat,* 208. *Hyberniam lucrifacit,* 211. *eius anxietas,* 220. *animi magnitudo & fiducia,* 222. *inuictus animus,* 223. *expedita celeritas,* 224. *clementia,* 225. *Victoria,* 229. *de rege Scottorum,* 237. *humilitas,* 240. *pietas.* 243. *indignitas,* 248. *benignitas ibid. stratagema,* 249. *pacatum regnum,* 252. *iterum à filius la-*

ceſsitus, 294. 295. pie [illegible] ſuorum & lætitia, 304. crutis candidatus, 315. [illegible] ſus, anxius, 161. mortuus, 166. vbi ſepultus, 367. vitæ eius ſumma, 368. [illegible] conſequentibus quatuor paginis.

Henricus, Henrici ſecundi filius, Rex Angliæ, & c. deſignatus, 178. tertius inauguratus, 220. diſceſſit a Patre ad Gallum, 216. in patrem infeſtus, 217. Flandrenſi cõmunitus, 218. amicos patris ſollicitat ac abalienat, 231. patri reconciliatus, 250 iterum patri moleſtus. 294. mortuus, 295

Henricus Northumbriæ Comes, 75.

Henricus, Piſanus Cardinalis, 139.

Henricus, Rom. Imperator. 15.

Henricus, tertius (Normannorum) Angliæ Rex 10. 11. eius de fratre victoria, 12. 13. eius coniux, liberi, & ſecundũ coniugium, 15. vita & mors. 16.

Henricus Vuintonienſis Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis legatus, 34. eius cum Cantuarienſi Epiſcopo controuerſia. 35.

Hoilandæ inundatio, 258.

Hominis peſsimi cadauer vagabundum & formidabile. 641.

Homines morituros nigreſcere ſolere, 91.

Hubertus, Decanus Floracenſis factus Epiſcopus Salesberienſis 388. reuertitur in Orientem fidus Comes, 502. 503. captũ inuitat, & cum mandatis ab eo in Angliam amandatur, 519. factus Cantuarienſis Archiepiſcopus, 523.

Hugo Conuentienſis Epiſcopus Eccleſiam ſuam fecit ſecularem. 44.

Hugo Epiſcopus Dunelmenſis cur excommunicatus, & a quo 493. 494.

Hugo Bigotus regem inimicum capit 218. *ei reconciliatus*, 227.
Hugo Cardinalis, & Apostolicæ sedis legatus, 257.
Hugo de Castello, nobilis Gallus, captus, 229.
Hugo de Lasci præfectus Hyberniæ, 303. *obtrunc atus* 304.
Hugo de mortuo mari, regi solus inofficiosus, 111.
Hugo ex Thesaurario Dunelmensis creatus Episcopus 86. 87.
Hugo Viuantinus, Cestrensis Episcopus in gratiam Regis redit, 572. 573.
Humboldus, require, Dux Austriæ.
in Hybernia nullum venenatum animal, 209.
Hybernia sæpe, & a quibus expugnata 209. *cur semel ab Anglis subacta* 210.
Hyberniæ descriptio 209.
Hyberniæ Rex accersitus Anglo regnum tradit, 210. 211.
Hybernienſium superstitiosus Paschatis cultus, 32

I.

Iacobus de Aueniis, nobilissimus Gallus, Gallorum in Oriente dux 375. *in prælio interfectus*, 479.
S. Iacobus Compostellanus liberat clientem à cacodæmonis impetu 518.
Ignis Græcus, 460.
Imarus Tusculanus Episcopus, 139.
Imperatoris Constantinopolitani mors, 280. *filius occisus*, 281.
Imperatoris Græci perfidia, 67. & 426. *fœdus cum Saladino ibid. cum Imperatore Latino*, 428.
libido Christianis damnosa, 63.
Ioceus nobilis Iudæus 382. *eius crudelitas*, 417.

Imperij Romani varietas olim, 511.
Inducia triennales in Oriente inter Christianos & Turcos, 502.
Inducia inter Francorum Regem & Regios procuratores Anglicanos 521. iterum, 535.
Inducia breues inter Reges Anglorum & Francorum, 555.
Inducia iterũ inter eosde reges Anglorũ & Fracorũ 673.
Inducia salutares inter Anglos & Francos, 319. 366.
Inga tyrannus, 288.
Ioannes de Curci, vir bello clarus, 301. & 302.
Ioannes, Henrici secundi Anglorum Regis filiorum minimus aduersus patrem cum fratre conspirat, 365. à patre honorificentissimè habitus, erga eundem ingratus fit, 391. Cancellario subdolosus, 439. 440. sibi prouidus ibid. Cancellarium territat, eique pacem dat 445. fraternæ vltor iniuriæ, 448. nimium facilis & mollis 456. a Franco sollicitatus 512. arma capit in absentem fratrẽ 521. transit in Franciam, ibid. patriæ infestus. 534 de statu deiectus 541. fratri reconciliatus 572.
Ioannes Neapolitanus Cardinalis, 139.
Ioannes sine terra, 178.
Ioannes de sancto Martino Cardinalis, 139. Alexandro inimicus, 174.
Ioannes Strumensis, Schismaticus, 259.
Ioannis Archidiaconi Eboracensis inexpectata mors 286.
Ioannis Lugdunensis Episcopi de Regibus Anglorum & Francorum iudicium, 557. 558.
Iocelini, Edissenorum Principis incontinentia & li-

bido Christianis damnosa, 63.
Iocæus nobilis Iudæus, 382. eius crudelitas, 417.
Iudæorum cædes, 382. ædes ambustæ, 383. cladei, 402. 403. & inde in pagin. 421. pertinacia 417.

K.

KTelli cuiusdam vita religiosa 185. perspicax ad insidias cacodæmonum, 186. iudæis interdicit vico quem habitabant, 187. immunitas signo crucis ab hostibus videtur. 188.

L.

LAicorum in Ecclesiasticos ius iniustum, 272.
Lanfrancus Longobardus Abbas, deinde Episcopus. 4.
Legati Pontificij duo in Galliam, 207.
Lis inueterata inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos, 590. & consequentibus duabus pag.
Lis magna inter Cantuariensem & Vuintoniensem Episcopos. 35.
Lodouicus Francorum Rex, 64. crucis candidatus in Orientem tendit 66. 67. indidem infecto negotio reuersus. 69. Sancto Laurentio nominatim deuotus. 200. mortuus. 279.
Longobardi, populi. 133. libertatis studiosi, 176.
Lucius Pontifex Romanus 283. eius ad Anglorum Regem Epistola, 312. 313. in Angliam appulsus 316. in Galliam redit inanis spei, 317.
Lundonienſium audax facinus. 31.

M.

MAgorum corpora incertum vnde Mediolanum allata, 134. Coloniam translata, 136.
Magnus, Ingæ nepos, Rex Norwegiæ, 287. profliga-

tus à Suero, 289. Obtrutus & oppressus. 291.
Mahometus Pseudopropheta, 598. eius vafrities, 599. principatus ibidem. dolus 601 lex, ceu religio, 602
Malcolmus, pietate insigni Scottorum Rex. 83. & 84. eius mira castitas, 85. æquitas, 121. obitus, 186 sepulchrum, 187.
Maltone Clericorum Regularium cœnobium, 674. & quid illic acciderit ibid. & seqq. pag.
Mathæus, Comes Bonomensis, accepta circa genu plaga mortuus, 221.
Matildis filiæ coniugium, 15.
Matildis, Anglicanæ Reginæ obitus. 15.
Matildis olim Imperatricis in Angliam aduentus, 27. eius superbia, 31. 32. fuga. 34.
Mediolanensium arrogantia, 133.
Mediolanum cur euersum à Frederico Imperatore. 133. instauratum, 176.
Messana ab Anglis cur capta & expugnata, 424.
Militiæ Templi virtus. 71.
Monachi duo Cistercienses à Saladino decepti, 604.
Monasterij Fontanensis origo. 44.
Monasterus grauem stigal non indictum, 372.
Monasterium beati Martini de bello, 5.
Monasterium fœminarum de fonte Ebraudi. 48.
Moneta cur in Anglia mutata 282.
Monasterium sancti Rufi 126.
Mors Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi quî sit expiata 206. 207.
Mulierculæ cuiusdam in Deum fiducia, 57.

N.

NAualis pugna Tyriorum cum Turcis obsessoribus. 343.

Nicea Bithyniæ capta, 9.
Nicolaus Anglus, ex Episcopo Albano factus Pontifex Romanus 125. *eius vita ibid. & 126.*
Nomen Saluatoris edere ad moderatam turbationem, laudabile, 154.
Noradinus Turcorum Rex 193. 194. *eius vafrities*, 195. *mors*, 305.
Noradini filius exhæredatus 306.
Normannia à Comite Andegauensi occupata, 28.
Notingehamensium turpis deditio, 540.

O.

OBsides *Anglorum Regis apud Imperatorem*, 551. *missi* 575. 576.
Octauianus, vir nobilis, Pontifex Romanus creatus, 137. *Victor appellatus, ibidem.*
Orientis principes cur satellitibus stipati, 484.
Osbertus Eboracensis Ecclesiæ Archidiaconus, Guillelmo Pontifici inimicus, 89. 91.
Oxenofordia à Stephano Rege capta, 34.

P.

PActio cõstituta inter *Reges Anglorum & Frãcorum* 467. 468.
Pactiones Regum Angliæ & Franciæ, ratione Normanniæ, 199.
Pactiones Christianorum cum Turco, 502. 503.
Pactiones Christianorum Principum cum Saladino. 331.
Palæstina à Christianis subacta, 71.
Papæ electio quæ legitima censenda 261. 262.

Papienſium fides, 133.
Paroeciæ nullus præficiendus niſi viginti quinque annos natus, 265.
Paroecias multas obtinens quî plectendus, 278.
Patriarcha Hieroſolymitanus in Angliam miſſus, 308. quare, 310. 311.
Pax Angliæ, &c.
Pax Angliæ parum tuta, 535.
Pax inter Anglorum & Francorum Reges, 154.
Pax iterum inter Reges Anglorũ & Francorum, 621.
Pax Eccleſiarum Angliæ concuſſa, 335.
Pelagius Hæreſiarcha in Oriente, 156.
Periurium Epiſcoporum, Beluacenſis & Carnutenſis 491.
Philippi, Comitis Flandrenſis pium inſtitutum, 308. mors, 353.
Philippus Aquitanus, Epiſcopus Dunelmenſis, 387.
Philippus Franciæ Rex 280. crucis candidatus, 355. periurus, 362. Anglo infeſtus, 364. à Meſſanenſibus hilariter exceptus, 423. odium eius in Anglũ, 425. feſſos recreat & reficit ſuo aduentu, 461. regi Anglorum ſubinuidus, 466. Guidonis aduerſarius, 469. mollis, 472. cur ex Oriente receſſerit 473. 474. non abſolutus à Pontifice Romano malè audit 475. Anglum accuſat, 485. molitur res nouas, 488. Danam coniugem à primo concubitu repudiat, 490. abſolutus à ſacramento, 491. Speratis fruſtratus nuptiis, 515. capit arma in victum Anglorum Regem, 519. reparat vires in Anglum, 534. ſacrilegus 552. fugit, 554. Inducias Anglo dat, 555. inſtaurato bello, mox receptui canit. 612. nuptias affectat Germanæ Reg. Anglicani, 615. iterum ex optatis fruſtratus nu-

ptiis. 616. mollis, 667. à suis destitutus, ibidem.
Philippus de Toeuilla, à rege contusus. 110. 111.
Pluma, munitio in Andegauensi tractu 564.
Portentosum conuiuium nocturnum, 97.
Portentum in Anglia futuræ famis, 97.
Portus Morinorum, 244.
Prodigia in aere conspecta, apud Dunstapelam, Angliæ vicum, 399.
Prodigium de buffone torquato intra saxum condito, 96.
Prodigium de canibus leporariis duobus, intra saxum latentibus, 95. 96.
Prodigium idem ter in Anglia conspectum, 531. 532.
Proditores Tyri, suspendio multati, 340. 341.
Ptolemais ciuitas, nunc Acra dicta, 335. & 466.
Publicani hæretici. 155. eorum doctrinæ summa, 158. supplicia, ibid. & 159.
Puer nouennis, Rex Hierosolymorum designatus, 311. mortuus, 328. & 329.

Q.

Quidam conuersus de Tama, & eius vaticinium, 190. & 191.

R.

Radulphus Abbas, Cantuarienſis Episcopus, 13.
Radulphus de Fougeriis contra Regem conspirat, 218. captus, 225.

Raimundi Antiochenorum Principis encomium, & obitus, 70.

Ranulphus *de Glanuilla*, Regius *in Anglia procurator*, 384. *procurationem abdicat*, 391. *in Oriente militaturus. ibid. &* 392.

Ranulphus, Comes *Caſtrenſis cum aſsiduis*, Regis *Stephani aduerſarius*, 29. *amicus captus, miſſus, capitalis hoſtis factus eiuſdem*, 43.

Ranulphus *de Glanuilla*, 235. *eius lætum nuncium* 242.

in Redemptionem Regis *Anglorum calices ſacri traduntur*. 530.

Redemptionis Regis *Angliæ ſumma* 528.

Reges *Hyberniæ rebelles ſubiugati* 214.

Reges Norvvegiæ quando demum & cur vngi cœperint 287.

Regis Francorum religio 246. *&* 247. *natalis ibid.*

Reginaldi *Sydonij apud Tyrum Machinatio turpis* 341.

Reginaldus de Caſtellione, vir pius & fortis, à Saladino interfectus 334.

Regis *Francorum ſuperbum & acre reſponſum* 216. *&* 217.

Regis Scottorum fuga 33.

Regnum Angliæ diuiſum 27. *&* 28.

Regnum Norvvegiæ cæde olim lucri fiebat regnantis 28.

Regum *Angliæ vetuſta ſuperſtitio contempta* 56.

Religioſos *ſpecialiter honorauit Henricus ſecundus Angliæ* Rex 372.

Rex Babylonis Chriſtianorum opera tutus à Turcis 193. *& conſequentibus pagellis quatuor.*

Rex *Longobardorum, Siciliæ infeſtus* 377.

Ribaldi qui, & eorum facinus, 552.
Richardus Elienſis, fit Lincolnienſis Epiſcopus, 388.
Richardus Henrici ſecundi Anglorum Regis filius, Dux Aquitaniæ, Comes Pictauienſis, 294. *crucis candidatus*, 354. *corruptus à Franco patrem deſerit*, 364. *morte paterna perturbatus*, 366. *inauguratus, ſeu vnctus ad primam regni viſitationem vniuerſos dimittit captiuos*, 380. *eius edictum contra Judæos. ibid. & 382. pro Iudæis alterum*, CCCLXXXVIII. *fratri benignus*, 390. *item Scottorum Regi* 394. *eius facetum dictum* 395. *vafrities in emungendis auaris. ibidem & 396. callidè dictum* 397. *de eo rumores ibid. eius in Orientem profectio* 398. *ira in Judeorum interfectores*, 422. *animi moderatio*, 424 *Cancellario regni Collegam mittit*, 440. *eius in Cypro inſperata victoria*, 462. 463. & 469. *naualis victoria* 466. *Franco inuiſus ibid. Guidonis ſtudioſus*, 469. *ſibi prouidus*, 473. *ſolers*, 476. *ſeuerus. ibidem. ſplendidus & magnificus*, 479. *inſidiarum ſuſpectus Franco*, 486. *falſi de eo rumores.* 497. *in Cyprum renauigat, ſed mox vela vertit, & Turcos fugat* 500. & 501. *paciſcitur cum Turco ibidem. naufragus*, 509. *captus in Auſtria* 510. *Imperat. cuſtodiæ traditus*, 513. *vir conſtans & inuicti animi*, 517. *pertæſus detentionis ſuæ*, 528. *miſſus ſemel, fruſtra reuocatus in regnum redit*, 536. & 537. *fratrem abdicat*, 540. *Rex nouus*, 541. *ſuum repetit.* 547. *cum exercitu tranſit in Normanniam*, 551. *felix.* 552. *victorioſus*, 553. *cum Franco inducias facit*, 555. *fratri benignus*, 562. *ſubitò alius*, 570. *de Franco triumphat* 611. & 612. *purgatur litteris Mon-*

tani, 613. obsides recipit 656. victor, 667. Seuerus, 668. & 669. amicus denuo factus Rothomagensi, 678. obstinato animo, 679.
Richardus de Lusci, pro Rege dux exercitus, 226.
Richardus Malabestia, coniuratorum Princeps. 399.
Richardus prior Douerensis, factus Archiepiscopus Cantuariensis, 208. eius cum Eboracensi contentio. 256. mors, 298.
Rieuallis, locus, 45.
Rixa ingens inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos de Primatu, 256. & 257.
Robertus de Arbusculo, 47.
Robertus Comes Glouestrensis, captus, 33.
Robertus de Cruci in pugna occisus, 123.
Robertus Dux Normanniæ vir bellicosus. 7. 8. & 9. eius fortuna. 10
Robertus Eboracensis Ecclesiæ decanus, Guillelmi Pontificis aduersarius, 88. 89. & 91.
Robertus Ecclesiæ Lincolniensis Antistes, 189.
Robertus Marmium, 40. eius res gesta, ibidem, & 41. mors ibidem.
Robertus de Stuteuella, 235.
Rogerius, Abbas Bellelandensis, 49.
Rogerius Archidiaconus Cantuariensis, Archiepiscopus factus Eboracensis, 91. inauguratus, 121. & 200. mortuus. 283.
Rogerius de Murbray, in Regem Angliæ, Henricũ secundum, 231. anxius, ibidem & 232. eius fuga 237.
Rogerius Salesbirensis Episcopus captus, 23. eius fortuna, ibidem. & 24. auaritia, ibidem. perinrium, 25. amentia & infelix obitus, 26.

Roheſia, vide Ediſſa.

Rollandus, *Uctredi filius, paternæ vltor iniuriæ,* 240.

Rollandus *Romanæ Eccleſiæ Cancellarius,* Pontifex *Romanus* 137. *Alexander dictus, ibidem.*

Rothomagenſium ludi, 244. *victoria,* 246.

Rothomagum (Normanniæ Metropolis) obſeſſum, 245. *ſolutum,* 249.

Rutæ, *quid ſibi velit, vocabulum militare, ſed merè barbarum,* 219.

Ruuellus, *Campanæ nomen* Rothomagi, 246.

S.

Saladinus, *Saraconis nepos, Turcarum Tyrannus,* 306. *ambitioſus & fœlix ibidem. fugatus,* 307. *victorioſus,* 309 & 310. *vafer* 330. *iterum victor,* 334. *crudelis, ibidem. capta Ptolemaide clemens,* 335. *pactione Hieroſolymam capit, ibidē,* & 337. *fœdifragus,* 341. *aſtutus,* 345. *eius ſtratagemata ad Acram,* 375. *fœdus cum Imperatore Græco,* 426. *dolus* 461. *fides promiſſa,* 471. *neglecta,* 476. & 477. *ſibi damnoſa, ibidem. ſtratagemata,* 478. *ſtrages.* 479. *dolor & nuncius.* 501. & 502. *morte ſciſſum eius regnum.* 507. *malleus Chriſtiani Nominis.* 603. *eius dictum,* 604.

Sancta ciuitas capta, 9.

Sanguinem pluit in Normannia, 679.

Saracenorum dominatio, 57. *proſpera fortuna* 69. & 70. *aduerſa fortuna,* 71.

Sarracenorum in Hiſpanias irruptio, Duce Pſeudophiloſopho quodam. 594. & *conſeq. duabus pagellis. clades & fuga,* 595.

Saraco, Turcorũ Dux in Ægyptũ, 194. 195. & 305.
Schisma Romanæ Ecclesiæ, 123.
Scottiæ insigniores arces, 253.
Scottorum barbaries & immanitas, 233.
Seditio in exercitu Scottorum, rege capto, 238.
Seditiones Britannicæ compositæ, 185.
Senex quidam in Oriente Saracenorum regulus, 483. Montanus dictus, & eius Epistola quâ Anglorum Regem purgat, 614. & 615.
Sicariorum genus in Oriente pessimum, 482.
Siciliæ perturbatio, vnde, & cur Christianis in Oriente exitiosa, 277. & 278.
Spectrum quoddam, 577. 578.
Soles duo visi, 651.
Soldanus Iconij, 67.
Soldani dolus, 428.
Stephanus maior, Comes Blesensis, in Oriente mortuus, 17.
Stephanus, Comes Bononiensis, regni vsurpator Anglici. 17. inauguratus. 18. eius fœlicitas. 20. auri cupiditas. 22. & 23. Normannia exutus. 28. captus in prælio 30. missus. 33. instaurato bello in fugam actus ibid. eius vafrities. 36. & 37. fortuna anceps 42. & 43. ingratitudo. 43. confidentia 55. 56. impotentia. 72. & 73. cum Henrico Normanniæ Duce concordia. 105. & 106. mors. 112.
Stephanus Andegauensis damonis consulti ambiguo delusus responso. 562.
Stigandus, Cantuariensis Episcopus, 2 eius scelera ibid. & 3.
Suerus Præsbyter insignis, Norwegiæ tyrannus. 287. & 288. Rex. 290. Gotham capit vxorem. 292. eius titulus, ibidem.

Suenorum Dux, patri defuncto suffectus, exercitus confecti Imperator, 435.
Superbiæ definitio, 629.
Synodus Angl. & Francorum. 139.

T

TAmesis fluuius, glacie concretus 34.
Tancredus Rex Siciliæ, repudiato Longobardorum Rege Teutone, 377.
Templarij sequestres, 199.
Templarij, Philippo Flandrensi odiosi, 308. industrij 309. fortes milites, à suis proditi, 333. nõ benè habiti à Turcis, 334. & 335. mortis contemptores victoriosi, 484.
Terra sancti Martini, 94.
Testamentum Comitis Andegauensis. 128. 129.
Theobaldus Abbas Beccensis, Episcopus Cantuariensis, 22.
Theobaldus, Cantuariensis Archiepiscopus, idemque Apostolicæ sedis legatus 89. & 91. mortuus 154.
Theodinus, Cardinalis item & Legatus 207.
Thessalonica expugnata à Theutonis 427.
Thomas Cancellarius Regius, factus Cantuariensis Archiepiscopus 154. infensum habens Regem in Galliam fugit, exacta omni eius affinitate 173. & 174. Regi suo reconciliatus 201. iterum inuisus 203. interfectus 204. in Diuorum numero habitus 241.
Thomas Eboracensis Archiepiscopus 14. eius castitas, ibid. mors 15.
Thomas alius, Eboracensis Archiepiscopus 4. & 9.
ToKedinus Saladini nepos 334.

Treugæ quid 555.
Tueda fluuius Angliæ Scotiæque limitaneus, 227.
Turci Ægypto expulsi, 193.194. & 195.
Turcorum immanitas in Ediſſenos, 57.58. & 71.
Turcorum magna clades, 479.
Turcorum militum virilitas animi, 476. & 477.
Truſtinus Eboracenſis Archiepiſcopus, 15. eius animi magnitudo, 21. obitus, 43. opus 44.
Tyrannus Cypri captus, & argenteis vinculis decoratus, 462. & conſeq. duab. pag.
Tyronum exercitatio bellica in Anglia inſtituta, 558.
Tyrus, ciuitas præpotens, ſola immunis 337.338. quomodo & à quo ſeruata 339. fruſtra à Saladino obſeſſa, 342. olim inſula, nunc quo authore continens, ibid. & 343.

V

VAſculum, cuius nec materiem, nec colorem, nec formam facilè dignoſcas, 98. & 99.
Vaticinium Tamenſis cuiuſdam irritum, 298.
Vctredus Galuvadenſis à fratre captus, 239.
Vectigal graue numquam impoſitum ab Henrico ſecundo, 372.
Veneficæ cuiuſdam, Sueri ſtudioſæ, impietas, 291.
Veritas ſolida eſt, 636.
Vernullium a Francis fruſtrà obſeſſum 220. ſolutum ab obſidione. 223. iterum fruſtra obſeſſum, 552.
Victor Papiæ Rom. Pont. declaratus, abrogato Alexandro, 138. mortuus, 174.

Vipſe quid apud Anglos, 97.
Virides pueri, maſculus & fœmina, 92. & 93.
Viuianus Apoſtolicæ ſedis legatus 301. *fruſtratus ſua ſpe* 372. & 303.
Vrbanus, Pontifex Rom. 319. *mortuus* 345.
Vualenſes, hominum genus agile 249.
Vualenſes populi Britanniæ 121. *reliquiæ Britonum* 122. *eius regionis ſitus & natura ibid.* & 123. *eorum poſt bellum ſuſceptum cum Anglis deditio* 124. & 125. *bello fracti ad pacem compulſi* 178.
Vualterius Eſſex. 45.
Vuillelmus Vuiſcardi Normanni filius duxit vxorem, Henrici Angl. regis filiam 568.
Vuimundi Epiſcopi vita 78. *indèque in tres conſequentes pag.*
Vuintonienſis Epiſcopi potentia 32.
Vuiſcardus Normannus Apuliam & Calabriam ſubigit 567. *accerſitur ad opem Rom. Pont. ferendam* 568. *eodem die de duobus triumphauit Imperat. ibid. eius filij Græcis & Afris terribiles ibid.*
Vulfputes, quid ſibi velit idiomate Anglico 92.

FINIS.

NOTARVM AD GVILlelmum Neubrigenſem

INDEX.

ACherontinæ prouinciæ Epiſcopi quinque in Concilio Lateranẽſi ſub Alex. 3. 742. 743

Ælredus ſecundus Abbas Rieualis 681. Iuuenis educatus in Aula Regis Scotiæ ibid. æquiparatus SS. Mauro, Benedicto, Bern. Ibid.

Albemala oppidulum ad Brailam flumen 708 quandonam Ducis obtinuit titulum ibid.

Albigenſium hæreſeων tres Claſſes. 724

Alexandri 3. epiſt. pro repetendis vxoribus filiorum Regis Angliæ 733. ad Ludouicum Regem Francorum de roſa aurea eidem miſſa. 753

Amalfitani Archiepiſcopatus præſules qui in Concilio Lateran. tertiò 740.

Andreas Archiepiſcopus Hungariæ in eodem Concilio. 752

Angliæ Pontifices ad Concil. Lateran. profecti, 751

Antiquarius, qui ſcribit noua & vetera. 703. de

eodem S. Augustini locus ibid. quot diuina verba describit, tot Satanas accipit vulnera ibid.
Aquensis Prouinciæ comprouinciales quot ad Lateranense Concilium, 748.
Aquileiensis Metropolis suffraganei Concil. Lateran. præsentes, 745.
Aragonenses infesti cenobiis, viduis, pupillis, senibus, 774.
Archiepiscoporum Cantuar. tabulæ ms. in Victoriana Bibliot. citatæ 688. 690. 731. 747.
Arelatensis Metropolitanus interest Concil. Lateran. cum suffraganeis, 748.
Arnoldus Vuion Benedictinus emendatus, 689. 712. eius nictatio, 714. 715.
Asfordus Dioeceta ridés monachos punitur cœlitus.
Auona flumen 729.
Austrij, Theutones: Austrasij sunt Lotharingi, 774.
Autberti Miræi v.c. auctarium, 718.
Auxitanæ metropolis Episc. adsunt concilio Later. 747.

B

BAlduinus Archiepis. Cantuar. æquiparatus Noe, Abrahæ, Isaac Mosi, &c. 759.
Barensis Archiep. venit ad Concil. Lateran. cum suis coepiscopis.
Basculi, milites stipendiarij facinorosissimi, 779.
Beneuentani comprouinciales in Concil.

Latera.743.
Belinas vrbs in Oriente, olim Cæsarea Philippi,729.
Berengarij Pictauensis locus de religione canonicorum S. Rufi.713.
Bernardus Portuensis Episcopus ad Regem Francorum legatus,781.
Berterus Cameracensis Decanus, 720.
Biterra vel Blyteræ vrbs Galliæ Narbonensis, 720.
Bituricensis duo diœcesani adfuerunt Concil. Later. cum Metropolitano, 747.
Bribantiones vel Brebensones gens excommunicata & perditissima,735. Paganis similes,779,
Briglintonienſe cœnobiū ad S. Augustū. Normam vbi situm, 693.
Britonum historia, est fabula Giraldo Cambrensi & Georgio Lilio Anglis. 695.
Brunduſinus Archiepiscopus interfuit Concil. Lateran.742.
Burdegalensis Arch. duoq. Episcopi ad fuerunt similiter,747.

C

CAdurcus Ludouici VII. legatus, 780.
Canis viuus, quomodo est melior leone mortuo 687.
Canonicorum Regular. Citense vel Cicense cœnobium, a quo conditum 687.
Capuani Archiepiscopi suffraganei Concil. Lateran. præsentes numerantur.740.

Carleil vel Carleolum vrbs Angliæ,703. quãdo condita,Ibid.
Caſtra vnde dicta,701.702.
Cereus in Stephani Regis manibus fractus, ruinæ præſagium, 691.
Chriſti in templo præſentati locus,à Turcis profanatus,764.
Chryſopolis vrbs nobilis Biſuntinorum, 784.
Clarato vertit Gallicè fabuloſam Britonum hiſtoriam,685.
Concilium Lateranenſe ab Alexan.3. coactũ, cur dictum Romanum,737.pro euocandis ad illud Epiſcopis miſſi in quatuor orbis partes Subdiaconi S. R.E.ibid.
Confeſſionis locus in templo Hieroſolymitano cur ſic dictus,764.
Conſanæ prouinciæ Epiſcopi præſto fuerunt in Concil.Lateran.743.
Crux aurea Hieroſolymitani templi vicatim tracta funibus Hieroſolymæ,764.765.
Cuſentinus Archiepiſcopus cum vnico ſuffraganeo in Concilio Lateran. 743.

D.

Dacia,quondam Gothia, 715.
Dani à Danais dicti ibid.
Deo non eſſe curæ res humanas,hæreſis,722.
Dies Ægyptiaci ſeu infauſti, 768. etiamnum in Aſtrologaſtrorum Ephemerides relati ibid.
Diuortij inter Ludouicum & Alienoram Reginam variæ cauſæ,707.

Dolah locus palatij ab Imperatore Frederico ſtructi, 783.
Dominica Regia, Dominicæ literę, 708.
Dromon, nauis veloceſſimæ & piſcis nomen 728.

E.

ECcleſiæ expilatæ parietes fluxerunt ſanguine, 693.
Ediſſæ vrbis varia nomina, 700. rectiùs Edeſſa ibid.
Erniſius Abbas S. Victoris Pariſ. cur diſſuaſus de Concil. Lateran. 725.
Eudo hæreticus vocabat ſequacium ſuorum alios Angelos, Apoſtolos, &c. 701.
periit in carcere Remenſis Archiepiſcopi, ibid.
Eudonum familia nobilis. ibid.
Expeditio Imperatoris Teutonici cur famoſa, 771.

F.

FOntebraldenſes conſtitutiones à quibus, & quando mitigatæ, 696.
Frederici Imperatoris excommunicati cauſſæ, 719. ad Hieroſolymitanam expeditionem it 766. poſtremus in ſigno belli ſuſcipiendo, non in bellando ibid.
Fretellus Archidiaconus ſcripſit τὴν τοπογραφίαν terræ ſanctæ, 719.
Fulbertus Abbas Arraſienſis ad S. Auguſtini regulam, 718.

G

GAlfridus Monumetenſis non condidit Hiſtoriam Britonum, ſed vertit 605. vnde Monumetenſis cognomen ibid.
Gallia præcellit Britanniam aeris ſalubritate & ſerenitate, 732.
Galteri Auguſtiniani Canonici de odio Frederici in Alexand. 3. locus, 718. 719.
Galteri ad S. Victoris Pariſ. æquè canonici liber contra ſui æui hæreſes, 737.
Galteri Rothomagenſis Archiepiſcopi liber de geſtis Ricardi Regis, 772.
Gilberti Semprigamenſis elogium, 696. obitus & tranſlationis dies, 697. eius anima ſedes ſapientiæ ibid. cœnobiorum ab eo conditorum numerus ibid.
Gilbertini ſunt Canonici nō monachi vt vult Arnoldus Vuion, 698.
Girardus Albienſis Epiſcopus, 725.
Gocelinus Toloſanus Archiep. ibid.
Gocelinus Lodovenſis oppugnat hæreticos iuramenti oſores ibid.
Guillel. Conquæſtor leoni ſimilis, 687.
Guillemo Conquæſtori iam humando terra fuit emenda ibid.
Guillelmus Curbulenſis canonicus Auguſtinianus contra Arnol. Vuion, 688. eximiæ religionis ibid.
Guillelmus Monpeſſulanus diuortium ſuum malè tegebat exemplo Philippi Regis, 773.
Guillel. Niuernenſis Comes datus obſes. 784.

Guillelmi

Guillelmi Normáni elegia de nece S. Thom. Cantuar. 730.
Guillelmi peregrini carmen de Ricardi Regis oedoporico, 772.
Guillelmus Remensis Archiepiscopus, 720. 721.
Guillelmus Stephanides scripsit vitam, necem & miracula S. Thom. Cantuar. 630.
Guillelmus Vizeliacensis Abba legatus, 783.

H.

HAdrianus 4. Papa studuit Auenione. 714 factus religiosus Canonicus in S. Rufi non monachus vt Vuion scribit ibid.
Halla Haucaber exclamationes Turcicę. 754.
Hæretici in Gallia dicti Publicani, cathari, paterini, Agennenses, 720. impostores magi, malefici, bestiæ ibid.
Hæreticæ fœminæ facinus magicum, 723.
Hiacinthi Diaconi cardinalis legatio, 781.
Hispani se mutuis conficiebant pugnis tempore Guillel. Neubrig. 762.
Hyberniæ præsules in Concilio Lateran. 752.
Hybernia aeris serenioris asseritur contra Bedam. 732.
nullum gignit animal venenatum ibid.
Hybernicæ aquæ potus extrahit colubrum dormientis gutturi illapsum ibid.
Hierosolymæ captæ anno 1187. narratio testis oculati. 764.
Hugo Nunantinus edidit tragœdiam Eliensis Episcopi, 771.
Hugo puer nouennis laniatus à Iudæis, 789.

I.

S. IAcobus iustus frater Domini, vbi nam præcipitatus 764.
Iadarensis prouinciæ comprouinciales Episcopi in Lateran. Concil. 744.
Ianuensis, vel magè, Genuensis duo Episcopi in eodem Concil. 744.
Idrontinus Archiepiscopus ad idem Concil. venit, 742.
Ingulfus Abbas Croylamdensis. 694.
Innocent. 3. Papę locus de rosa aurea, 755.
Ioannes Aprilius laqueo solutus SS. magorũ Regum patrocinio, 717.
Ioannis Cornubiensis Eulogium ad Alexãd. 3. Papam 726.
Iocius Turonensis Archiepiscopus legatus ad Imperat. 783.
Isondunum, rectius Exoldunum vrbs Galliæ, 777.
Iudæi annum integrum ab Anglis vexati. 770. quadringenti intra annum trucidati ibid. palàm Christum blasphemabant. ibid. eorum vanæ spes ex Iubilęo suo, 770.

L.

LEonij Victoriani Canonici locus, 716.
Lucifero nefariè sacrificabant publicani hæretici, 724.
Lucius Papa certò prænunciauit Angliæ tumultus ob negatum terræ sanctæ Ducem regium, 761.
Ludouicus VII. Rex Francorum Religiosus Princeps 753. corde & opere vacabat diuinis, ibid.

Christianissimus ac verè catholicus. 758.
Alexandro Papæ in Gallias delato legatos mittit 780. cum eodem colloquitur 781.
Alexandri Papæ ad eum rosam auream mittentis epist. 753.
Ludouici Epitafium. 756. obitus dies ibid.
Lusabelem cacodæmonem præsidere vniuersis corporeis, hæresis Publicanorum, 724.

M.

MAgalonenses Canonici, Religiosi, 713.
Magdeburgensis Archiepiscopatus suffraganei profecti ad Concil. Lateranense, 751.
SS. Magorum trium Regum corpora primò Mediolanum, dein Coloniam à quibus translata, 716.
eorum patrocinio appensus furcæ liberatur, 717.
Maguntinæ prouinciæ præsules Concil. Lateranensi præsentes, 751.
Manasses Aurelianensis Episcopus, 780. dissimulat Henrici Comitis Trecēsis dolos, 782.
Manueli Græcorum Imperatori epist. 757.
Martinopolis, vrbs Turonum, 725.
Martyrum Catholicorum & hæreticorum disparitas, 723.
Mauricius Parisiensis episcopus, 783.
Mediolanensis metropolis dioecesani Episcopi in Concil. Lateranensi, 745.
Mercaderius Cotarellorum Dux. 776.
Meretona vel mertona sacerdotium ordinis S. Augusti. 778.
Messanensis prouinciæ comprouinciales E-

piſcopi adfuere Concil. Lateran. 743.

N.

NEapolitani Archiepiſcopi præſules ad Lateran. Concilium profecti recenſentur, 740.

Nicolai Rieuallenſis monachi citantur epigrammata ex mſs. S. Victoris Pariſ. 681. 682. 736. 759.

III. Non. Sept. vel poſtrid. Non. aut. Non. ex ſuperſtitione veterum dies inominales, 768

O.

OLiuerius hæreſiarcha omne iuramentũ illicitum aſſerens, 724.

Orientalis eccleſiæ præſules ad Concil. Lateranenſe profecti numerantur. 343. 744.

S. Oſithæ cœnobiũ & Citẽſe cadé ſunt. 688. eſt Canonicorum ordinis S. Auguſt. ibid.

S. Oſualdi Gloceſtrenſis ædicula diſceptata, 736.

P.

PAleſtinæ primæ & ſecundæ præſules aliquot in Concil. Lateran. 744.

Peccator viuens quî poſſit eſſe melior iuſto mortuo, 687.

Petuntur inhoneſtè multa, quæ honeſtè poſſunt recipi, 727.

Petrus Narbonenſis Archiepiſcopus, 725.

Philippus Bellouacorum Pontifex regio ſanguine ſatus 777. incarceratus reſcribit Celeſtino Papæ ibid.

Piſanæ prouinciæ Epiſcopi quot interfuerint Concil. Lateran. 744.

Ponticus Virumnius propugnauit fabuloſam Britonum hiſtoriam, 685.

Publicani hæretici in Flãdria diſquiſiti & exquiſitè puniti,721.
Puer viridis inuentus cum ſorore,705.
Chriſtiano tincti lauacro ibid.
Puerorum Chriſtianorum à Iudæis laniatorum mentio,769.

Q.

QVirqueham Coenobium inſtituti Ciſtercienſis in Angla,695.

R.

RAdulfi Cogeshalenſis de capta Hieroſolyma à Saladino capta,locus.76.
Remenſes dioceſani in Concil. Lateran. numerantur,740.
Renaldus Colonienſis Archiepiſcopus Cæſarei ſchiſmatis fautor, 784.
Ricardus ad S. Auguſtini Regulam Canonicus Ricardo Regi percarus,772.
Rogerus de Moris magiſter hoſpitalis hieroſolymitani,760.
Roſæ aureæ vel floris aurei à Papa dari ſoliti expoſitio,754. eius triplex materia 755. cur potius data Ioannæ Siciliæ Reginæ quàm Petro Regi Cypri ibid.
ex Rotomagenſi prouincia ſolus Egidius Ebroicenſis Epiſcopus ad Concil. Laterã. venit,740.
Roheſia vrbs,vulgo Rages,700.
Ruta vel Rupta,quid. 776. vnde dicta,778.
S. Rufi Eccleſia Canonicorum religioſorum, 713. ex Auenionenſi ſuburbano tranſlata Valentiam Ibid.
Rumfarius Canonicus Auguſt.laudatus,778

S.

SAgiensis ecclesia Cathedralis quondam S. Augustini,717.
Salernitani suffraganei in Cõcil.Lateran,740.
Sanguis Christi & aqua vbi fluxerunt ex eius latere,fissura magna 765. denudatus profanatusque à Turcis ibid.
Sardiniæ insulæ duo episcopi in Conc. Latera.744.
Sarracenorum Episcopi & presbyteri profanant templum Domini,764.
Senonẽsis Archiepiscopatus præsules Concilio Lateran.præsentes recensentur,746.
pro Sepultura,vel chrismate cur nihil accipiendum,726. Monpessulani clerici nihil possunt exigere, possunt tamen laici compelli ibid.
Siluester Giraldus narrat fideliter captionem Castri Rodulfij.767.
Siluester Papa vnde magus creditus, 775.
non potuit ignorare templum Romæ dictum Hierusalem.776.
Syluiniacus Cluniacensium Monachorum vicus.780.
Sipontinus Archi.præsens Conc.Lateran.741
Stephanus Langto Cantuar.Arc.concinnator vitæ ac processus S. Thomæ Can.730.
Stephanus Tornacensis, ex Abbate S. Genouefæ paris.Episcopus hæreticis resistit, 720.

T.

Basilius Tarentin.Archiep.in Cõcil.Lat.747.
THeobaldus Abbas S. Germani Paris. legatus ad Alexãd.3. Papam 780. mortuus

& sepultus Vezeliaci ibid.
Percussores S. Thomæ Cantuar. nominatim expressi. 729.
Scriptores vitæ & miraculorum eiusdem nominatim signati, 730. 731.
Turo vel Turonum, Ptolomæo Cæsarodunũ, Turonus & alia nomina, 725.
Turonensis prouinciæ tres Episcopi in Concilio Lateran. 742.
Turonense concilium, 725.
Turquetulus Abbas Croylandensis, 694.

V.

de Valterij Espec nobilis virtute liber, 695.
Vuallia quondam diuisa trifariam 709. vnde sic dicta ibid. Propriè Cambria nuncupabatur ibid. eius fertilitas, 710.
Vuallensium mores vt Anglis dissimiles, 710. 711.
Vuillelmus puer à Iudæis in crucem actus, 769.
Vuillelmi S. R. E. Cardinalis epist. ad Imperatorem Græcorum, 757.
Vergiacum castrum inexpugnabile, 781.
Vigilienſis Archiepiscopus in Concil. Laterã.
Vrbani 2. epist. ad Abbatem S. Rufi, 713.
Vsuras quas accipere possint clerici, 727.

FINIS.

PAg. 10. lin3 pro *petulit* lege, *pertulit*. p. 21. l. 7. pro *Deinrorum*, l. *Dèirorum*, p. 22. l. 3. pro *decore*, l. *dedecore*: p. 34. l. 1. pro *Marcellus*, l. Martellus, p. 35. l. penult. pro *Album*, repone *Albanum*, p. 36. l. 1. post, *ius* adde, *gentium. sed* ibidem l. 6. *Lundolnienſem*, l. Landonienſem, pag. 49. lin. 1. *miſerandæ* lege *mirandæ*, pag. 52. l. 10. post *abundauit*, adde : *ſed longe ſuperabundauit*. pag. 60. dele ſcholium ad oram poſitum. pag. 66. l. 10. *paratu*, l. partu, p. 76. l. 12. *partibus*, l *patribus*, p. 77 l. 3. dicatæ, l. ditatæ, ibidem, l. 18. *perciturum*, l. pariturum, ibid. l. 25 *reactum* l. reatum, p. 78. l. 10. poſt voculam *cum* adde, *caſu*, p. 81. l. 12. & *cæna* l. cæſa, p. 84. l. vltima & 85. l. 1. *quieſceret* l. *quieſcerent*, p. 85. in ſcholio 1. *repulis* l. repulſis p. 96. in ſcholio 2. *bigo viuis* l. *bufo viuus*. ibid. Cenomanicæ reponas pro Cnomani. p. 114. l. 14. regionibus, ibidem l. 18 *cetrs*, l. *certi* p. 122. in ſcholio marginali litera C. pro *Cumbricæ* l. *Cãbricæ* p. 296 l. 7. *Regnum* l. *Regum* p. 198. l. 14. meditãtibus le. *mediantibus*, p. 200 l. antepenultima *cxultabat*, l. *exulabat* p. 202. l. 14. poſt, *tunc*, adde *actum*, p. 241. l. 21. cantica l. cantia, p. 312. l. 16 *inclinati* l. *inclyti*, pu. 325 l. 21. *degenerat* l. *degenerabat*, p. 179 l. 14. *ſolicitudines*, l. ſolitudines, p. 184. in ſcholio 2. *myſterij* pro *myſterium*. p. 211. l. 17. *reuentibus*, l. ruentibus. pag. 241. l. 21 pro *Cantica* l. *Cantia*, p 243. in ſcholio pro *huminem*, l. *humilem*, p. 162. l. cap 37. pro *ſimulatas* l. *ſimultæ* p. 254. vltima *Regis* l. Regi, p. 257. l. 18. *prærogatiua* l. *prrrogatiuas*. p. 371. l. 7. *in probis* l. *improbis*, p. 382. l. 5 *obbonantem* l. obſeruantem, p. p. 396. l. 15. *pellegit* l. *pellexit*, p. 436. l. 10. electio l. *electo*, p. 436. l. vlt. *deſpertatus* pro *deſperatus*, p. 447. l. 4. *inſit* l. inuaſit p. 550. l. 22. Relioſos l. Religioſos p. 552. in ſcholio *Gaurini* l. *Taurini*, p 556. lin. antep. *patribus* l. pattibus, p 614 l. 4. *Sicardo* l. *Ricardo*, p. 619. l. vlt. *claruit* l. *claruit*, p. 634 linea penult. *indecorum* ſecundò poſitum l. *indignum*, p. 643. poſt *deditus* adde, *vanitati*, p. 654. l. 9. *Nuga* l. *Plaga* p. 655. l. 17. *non* l. *animo*, p. 657. l. 6. l. feralibus, p. 663. l. 10. *redire* l. *redisse*, p. 667. l. 11. lege angebat.

Index mendorum in notis emendendarum.

PAg. 681. l. penult. *Henrico*, repone Hierico. p. 684. Glauræ l. *Glauorniæ*. p. 700. vſque ad hæc verba : *His igitur in literis* repones pagina præcedente ante hæc: *Huc vſque &c.* p. 713. effectum, *affectum*. p. 721. l. 3. poſt *magiſter*, ſcribe *Geruaſius*. p. 745. verſa facie altera, pro numero 740. repone 749. p. 747 poſt marginalem numerum clxxix repone clxxx. & ſic conſequenter, pag. 730. lin. penult. pro 1570. lege 1170.

10161.36